
Artificia
Hominum
Miranda
Naturæ
in
SINA
et
EUROPA
Francofurt
Sumpt. Wil
Serlini et
Fickwirt
16 56
A. Frolich fec.

ARTIFICIA
Hominum
MIRANDA
& Naturæ,
in
SINA & EVROPA.
ubi
EXIMIA,
Quæ à mortalium profecta sunt industriâ, sive Architectura spectetur, sive Politia.

&

SINGVLARIA,
Quæ Sol uterq; in visceribus terræ, aquarum varietate, radicum virtute, florum amænitate, montium portentis unquam produxit compendiosè proponuntur,

CONFERVNTVR.

ad

CREATORIS.

Laudem amplissimam.

(o)

Francofurti ad Mœnum,
Sumptibus VVilhelmi Serlini & Georgii Fickwirth/ Anno 1655.

Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Prudentissimis, Consultissimisq́,

DN. CHRISTOPHORO BENDERO, J.U.L. Consuli Seniori,

DN. ERASMO SEYFARTO, J.U.D.

DN. JOAN-PHILIPPO KELLNERO, J.U.D. Consuli Juniori,

Inclytæ Reip. Francofurtanæ Scabinis, Senatoribus, ac ad rem librariam Commissariis ordinariis, Dominis ac Evergetis suis plurimùm colendis & observandis, salutem & animi mei, submissionem.

Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi, Prudentissimi, Consultissimiq́, Domini ac Evergetæ plurimùm colendi & observandi.

AJunt quidem, nauclerum ad clavum sedentem nihil age-

te, remiges desudare, nautas per foros discurrere: longè tamen majora præstare rectorem navis, quàm istos occupatissimos. Transtulit hunc laborem non nemo per comparationem ad reipublicæ gubernationem; id quod multis, numeris quadrare potest. Nã qui summæ rei præest, per operarum pensa aliis distribuit, ipsus tanquam anima vim quasi inspirat membris, & instar oculi pervigilis longinqua dispicit, ad commoda capessenda, aut noxia declinanda. Nauclerus Cynosuram spectat, aut aciculam magneticam, ut cursum teneat, admotâ ad clavum manu: gubernator civitatis Numen respicit, ne aberret à bono publico, & sic prudenter exequitur munus suum. Non potest excidisse animis nostris, quàm dextrè in vestris maximè manibus, ante pauculos annos, per sęvissimam

tem-

tempestatem, clavus reipublicæ viguerit. Numini quidem omnia & singula debemus; sed veneramur Numinis dona, quibus viri præstãtissimi fulgent. Licuit Ethnico, beatam prædicare Rempublicam, in qua aut philosophi præessent, aut Rectores philosopharentur: longè rectius beatam dicemus nostram rempublicam, quę vestris maximè consiliis floret, vestra maximè prudentia claret, vestra maximè pietate fulcitur. Indefessi onus sustinetis, frequentissimi estis in Curia, aures præbetis faciles quibuscumque, litigia expeditis & amputatis, si vestra stetur sententia, Quicunque vel per transennam tantos labores aspexerit, dicet, longè facilius fluctus commoti Mœni, quando adverso exagitatur vento, numerari, quàm catenata illa molimina, ut non rarò corporis cura interrumpatur. Epulantibus aut quietis nautis, adhæ-

rere clavo non desinit gubernator; dormientibus civibus, vigilat Epaminondas. Eadem vobis meus, idem studium.

Verum enimverò natura nos ei necessitati subjecit, ut alterna requie carere nequeamus. Qui nimium tenditur arcus, rumpitur. recreandus est animus aliquo oblectamento , uti corpus , quod à quiete vegetius ad operas revertitur. Liceat igitur ad vestras dextras hunc libellum deponere, qui ad recreationem animi videtur plurimum collaturus. Nam in quamcunq; paginam incidant oculi, eximium quid invenerint, non longioris meditationis, uti historia præter exordium & finem casuum vicissitudines amat , etiam in futurum propensa , unde attentum requirit lectorem, & negotiis obrutam mentem, non tam divertit, quàm prægravat;

vat; ſed hic ſunt omnia inuar emblematum , quæ ſingularia ſuum exerunt decorem ; ſicuti variæ merces tabernas illuſtrant, ſingulæ aut nihil aut parum obſcurant ſi detrahantur. Vnde licebit vel ſeorſim , quæ ſeſe dant obviam, contemplari, vel conjunctim in ſerie uno intuitu defungi. Ignoſcite, viri graviſſimi, ſi nobis extremis civium etiam veſtra valetudo ſecunda, & animarum vigor eſt cordi & curæ ; Non una de cauſa plurimum vobis debemus, qui veſtris meritis, Numine propitio, non ſine applauſu civitatis totius ad eos proceſſiſtis honores, quibus vix aliquid, niſi ſummum accedere poſſit. Ea prudentia verſati eſtis in republica , ut bonorum vota, improborum ſubterfugia integritas veſtra auferat.

Cumq; emporium hoc non parum celebretur ob rem literariam,

 per

per tumultus tricennales Germaniæ valdè attritam; & pax cælitus demissa pristinum ei splendorem promittat, lecti estis ex omni ordine vestro, qui typographica & libraria curetis negotia. At illa judicium poscunt maturum maximè, & omnium rerum, tum divinarum tum humanarum capax, nam quid non illinitur papyro? quo nomine vos Europa, librorum avida plurimi facit.

Cepimus nos rem librariam agere, & patrocinio magno nos egere facilè intelligimus: morbus invidiæ omni mercimonio est sonticus, & sinistro fato huc penetravit, quotiescunq; novus quis homo industriam suam literatis satagit cõprobare. Luctanti cum mille difficultatibus pro subsidio additur opprobrium, pro dextra porrigitur sinistra. Hic animum induximus; istud homagium,

quod-

quodcunq; tandem eſt, vobis præſtare, donec obſequii ampliandi naſcatur occaſio. Accipite ergo, in hoc teſtimonium, Viri clariſſimi iſtunc libellum nan auſtera fronte, & noſtram tenuitatem alis veſtri patrocinii pro tegite; noſtrorum votorum ſumma erit, ut tanto patrocinio in ſeram ætatem poſſimus frui. Francofurti ad Mœnum die 12. Septembris, anno 1655.

V.V.V.M.M.M.

humiliter addictisſimi clientes

VVilhelmus Serlinus & Georgius Fitzwirth.

PRÆFATIO.

ADumbravit Deus ter Optimus Maximus, benevole lector, potentiam suam æternam in operibus Creationis, quæ non nisi cum admiratione contemplari possumus, utut cælorum compagines & motus, astrorum moles, situs & virtutes tenuiter noscamus, elementorum permixtiones vehementer sentiamus; ignem utique in nubibus, & sub terra occultari, aërem charactere vario signari, aquam diverso affici, terram mirabilium penu rectè dici, intelligimus vel per ipsam experientiam.

Cum voluptate, aliquando & cum stupore legimus eorum monimenta, qui universam rerum naturam sunt complexi. Plinium tamen multi fabulatorem nuncupare non verentur, qui omni comparatione major, ab imperitis explosus, à doctoribus, siqua impegit per alienam fidem (quis enim periculum omnium fecerit?) facilè tum excusatur, tum corrigitur, rerum

usu

uſu propediem pateſcente : quamvis & ipſus currendo minimè legendus videatur, aut temerè arguendus, cùm obſcuros præbeat receſſus, non cuivis obvio facilis, quem poſt primam ſalutem in penitiorem admittat familiaritatem, etiam multis à limine ſalutatus.

Singula ſi Plinios tuliſſent ſecula, Cardanos & Scaligeros, Galilæos & Kircheros, inoffenſo pede pueri arcana naturæ tractarent. Majoli dies Caniculares varietate rerum mirè delectant, Aldrovandus properantem non dimittit hoſpitem, Botanici & minerales totam nobis occupant mentem, & qui peregrè revertuntur, ſatietatem ſui nunquam largiuntur, etiam profuſiſſimo ſermone; quod imperitiæ explendæ deſiderium, quam oculorum paſcendorum libidinem & Eccleſiaſtes notavit, rerum naturalium atq; moralium juxta ac divinarum ſciētiſſimus.

Sparſa equidem cùm viderē per univerſum terrarum orbem cimelia, quæ partium opulentiam vel inopiam oſtenderent, cepi meorum uſibus puerorum nonnulla in ordinem dudum diſtribuere, exemplo magnorum virorum, quæ, memoriâ vitium faciente, in promtu nihilominus haberem; id ſemper cogitans, voluiſſe Nu-

men

men vel sic Sabbathum celebrari, per contemplationem scilicet cæli, terræ, maris, & quæ iis continentur: penetraverat enim in animum puero, altiusq; sederat laudatus Antonius Eremita, qui nullis membranis, nullis adjutus scriptis ad summam pervenerat sapientiam, ex hoc libro trifolio, innumeris characteribus intus & extus scripto haustam.

Verum enimverò, apertus est nouus, quem vocant, orbis terrarum, ex quo multa ad nos fuerunt relata, non semper probatæ fidei, quod vel unicornis planum fecerit: illecebræ auri tamen adeò invaluerant, ut vetus orbis sese videretur effusurus in novum, neque tamen ad Sinam perventum.

Equidem Europæ sortem non pænitendam æstimans, etiam multis nominibus beatam credebam, & cæteris terrarum partibus superiorem. Vnum erat, quod ægrè faciebat animo meo, & tormentorum bellicorum, & typographiæ inventum Germanis meis quidem dari, sed quod fortè à Sinis ad nos defluxisset, canale credium subterraneo, uti fons Arethusa. Asiam primùm cultam fuisse, ob primordia mortaliũ & restaurationem eorundem, nullus negem; sed eandem culturæ aut pertæsam, aut refracta-

ctariam, Europa tradidisse lampada gloriæ clalâ fronte affirmem.

Persîde quid nunc vastius & rusticius? Græciâ, & quicquid familia Ottomannica sui fecit juris, quid barbarius? ubi olim ingeniorum coticulæ, & artium brabea, ibi ad convictum necessaria vix exercentur opificia. Ægyptum in ipsâ Ægypto non invenias; Africa universa ipsam humanitatem exuit, deterior, adeoq; tetrior utrâq; Americâ. Sola Sina intra Indos & Abyssinos, Tartaros & Oceanum Eoum seposita, suas sibi habuit & retinuit res, à cætera mortalium genere discretas, primævæ politiæ tenacissima, nullius indiga, nullius appetens, omnium ad miraculum usq; abundans.

Sed Natura in ipsam prodiga non effudit omne penu, quin Europæ, reliquæ Asiæ indignata aut paria, aut potiora largiretur, sub finem seculorum: id quod ex magnetica navigatione, ignivomis machinis, hydraulicis, symphoniacis, Telescopiis syderalibus, mathematicis portentis, horologiis, opificiis, typographiâ, & omni humaniori literaturâ non iniquo rerum æstimatori patebit. Specimen dedimus & artis & naturæ parallelum: & commodum sese nobis obtulit Atlas major post Dresserum cujus copia

non

non cuivis sit, quemadmodum olim non cuivis licebat adire Corinthum.

Seniam speramus, nisi singula suis sunt constituta locis, cùm repetitionis tædium esset subterfugiendum, næ idem occuparet aliam atq; aliam claßem. Styli inæqualitas vel sic orbem terrarum, in planitiem & montana factum exhibebit, ne scilicet authorum, apud quos pleraq; mutuati sumus, viderentur detorta, aut quicquam nostrâ recitaretur fide & periculo. Rapsodiam enim damus, sive Collectanea, in modum parallelorum, quæ nobis admiranda Dei opera, Naturæ artificis industriam, inexhaustam ingenii humani vim & solertiam, divinos virtutis igniculos, ad meditationes suavißimas ob oculos posuêre.

Ambitiosum nimis foret, Salomonis commentaria & proverbia sententiosa, de Cedro Libaniusq; ad Parietariam, votis exposcere, aut sapientiam illius ætatem audire, cùm pateant opera Dei cujusvis oculis, modò illos contendamus cum mente ad gloriam ipsius & laudes, quæ infinitè majora suis reposuit in patriâ cælesti, sed spiritualia atq; æterna, quòd Elementatorum nullus tum sit futurus usus, nulla neceßitas, fortè nulla existentia.

Et qui perſpicaciſſimè ſunt contemplati aſtra, non ſolùm anſatum Saturnum, ſtipatum Iovem, triquetrum Martem, Lunam in valles depreſſam, in montes acuminatam, in lacus & fluvios ſive luminoſos, ſive igneos diſſectam nobis proponunt; ſed & aſſeverant, inde colorum diverſitatem primitus fluere, & in terrena deſcendere; quod non volunt ex ratiocinatione collegiſſe, ſed ſenſu oculorum deprehendiſſe, adeò ut ſuperius ſint omnia virtualiter, uti loqui amant, quæ nos aut poſſidemus aut aliis invidemus craſſo ac terreſtri modo. Tantò igitur reconditiora & nobiliora continebit cæli empyrei convexitas!

Eò conſcendit Pſaltes, à piſcibus maris, à pecoribus campi, ab alitibus cæli, donec ſtellarum ordines trãſiliat, uſq; ad gloriam divini nominis progreſſus, hominiq; coronam illîc repoſitam. Et nobis exclamare licebit, Quid eſt homo, Quid eſt Europa, ut memor ſis ejus? ſi eam antiquiſſimo metiamur pede, cùm horreret ſylvis, efferaretur moribus, ſqualeret deniq; ſitu Tartarico; jam autem ſuſcepit omnem culturam, induit comitatem, invenit, exercet, politq; & alienas & ſuas artes, adeò ut in certamen venire cum Sinâ, & in plurimis ſe illi magiſtram

dare

dare ausit; tandem & dotium naturalium, & ingenij sagacißimi sibi conscia, exteris invidenda.

Chronologiam addidimus, quam ipsi vix probamus, quòd conjecturis potißimùm nitatur, quæ, si ut mathematices postulata nobis permittantur, minus languidè & ipsi assentiemur, unicuiq; suum permittentes temporis computum. Neq; verò otium est, Chronologiarum apices inspicere, aut retundere, plausibilem etiam nostra procul dubio inventuri colorem, sicuti ferè omnes suis potuêre erroribus. Aut vera, aut verisimilia si ex ultimâ antiquitate attulimus, quis redarguere audebit, nisi veritatis penitioris myſtes & tenebrarum discussor? Hoc saltem egerimus, ut nostra negentur, id quod cuivis pronum, sed ut solidè refutentur, non item; at ut meliora reponantur, id demum nobis in summo voto. Hunc applausum si nostra Chronologia mereatur, nempè ut in commune commodum rei literariæ certiora eliciat, sat magnum laborum præmium obtinuerimus.

Intellige autem benevole Lector, vidisse nonnullos amicorum collectanea nostra, per Europam

pam hinc inde excerpta: inaudiebant de Sinarum imperio Atlantem majorem proditurum, prodiisse; instit'ere, ut naturæ partus, Europæ hactenus incogniti, aut minus dextrè depicti, in quibus Aristotelis ingenium hebetaretur, vel nostro nisu, lucem aspicerent communem: putabantur & Moralistæ, postquam Ethices nomen barbarum quidpræse fert, evocari in latißimum virtutis campum, ut demonstrari posset, tanquam in Olympiacis, quid tyrocinium Europæ distaret magisterio Sinarum.

In hoc tamen Europam, inprimis Germaniam, minus pollere necessum est, quòd primùm nullos, deinde paucißimos, tandem hostes infensißimos nacta sit priscæ virtutis præcones, caterùm literarum & annalium ignara, præter cantilenas, quas panegyricas aut Martias vocari deprecamur, quibus memoria heroum & cujuscunq; virtutis credebatur, ad posteros propaganda, sed incertißimo temporum indice; cùm Europæi maximoperè conniterentur, ut melius agerent, quàm dicerent.

Itaq; salve Lector, artis ac naturæ solers, & fruere istis exasciatis, quæ tibi si ineptula, nonnemi-

nemini aliquo Philoſopho digna videbuntur; & Vale.

Francofurti ad Mœnum, Cal. Sept. anno D. 1655.

Benevolentiæ Tuæ ſtudioſus

A. P. F. B.

IMPE-

IMPERIUM SINICUM CVM EVROPA collatum.

CAPUT I.

Circulus Sinæ amplissimus, ad Europæ amplissimum collatus.

SINÆ *termini* sunt, quà ad Orientem spectat, *Eoum mare*: quod à Boreâ in Austrum, & ab Austro in Occasum totam ferè alluit. Ad Boreã à veteri Tartariâ, regnisq; Niuche, Niulhan & parte Tanyu secluditur per murum illũ famosissimũ, qui Occasum versus extensus, desinit ad ripas Crocei fluminis: deinde magis ad Boreã deflectens, regno Tanyu, & arenoso deserto, quod Xamo vocant, clauditur, & à regno Samahan ac Cascar separatur. Reliqua, quę ad Austrum vergunt, ambiunt regna Prete Joan, Geo seu Cangingu (Sifan dicta apud Sinas) Tibet, Laos, Mien, Pegu versus Bengalam, Tunking & Cochinchina. Triginta

circiter gradus porrigitur in longitudinem, à Promontorio Ningpo urbis, ad Amasæos, seu Damasios montes, qui faciunt 450. milliaria Germanica. Latitudo est maxima à decimo octavo gradu, ad quadragesimum secundum, quæ 22. gradus efficit, adeoq; 330. milliaria. Quà patet mari, nullam ferè aquarum habet altitudinem, sed tempestatibus famosa littora, scopulos rupesq; sub aquis delitescentes. Ad Boream ingens illa solitudo est, murusque celeberrimus, in quo industria mortalium repagula naturæ conjunxit. Ad occasum sunt continui, altissimique illi montes, quasi naturæ munimenta, Tartaris & aliis regnis objecta, adeò exiles, clausique sunt omnes aditus, & sic à reliquâ Asiâ, minoribusque regnis discriminatur, tanquam Orbis in magno Orbe singularis.

Orientales Tartari, Europæis vix de nomine noti, diversis regibus, iisque vel pluribus, vel paucioribus, secundum vicissitudines rerum & belli aleam, parent. Qui regnum *Niuche* incolunt, Kin dicuntur populi, id est, aureorum montium domi-

domini, aliquando Sinis fuere tributarii, aliquot munimentis & præsidiis coërciti; habitant subterraneas cavernas, vestiuntur exuviis animalium, contuso milio, affundunt aquam, & cerevisiæ speciem conficiunt. Qui opibus pollent, tentoriis utuntur, quæ ex pannis sericis constant, bysso, vel pellibus, armanturque cerâ pellucente, perquam versatilia, ut maximâ velocitate erigantur, & complicentur. Erecta reti ex crassioribus funibus contexto circumdant, ad quinque vel sex pedum altitudinem, interpositis hinc inde bacillis, quemadmodum caulæ pastorum muniri solent: Rete tapetibus vestiunt, solumque sternunt, tum decussatis pedibus, more sartorum, consident prandentque, nullis adhibitis sedilibus: apponunt tamen mensulas omninò humiles, & minimè operosas], id quod per universam Asiam, præter Sinas Europæis moribus proximos, videre licet. Magnates diversa habent Tentoria, pro uxore, liberis, famulis,

culina aliisque usibus, ita instructa & dispoſita, ut domum videantur constituere unam: sic mobiles habitant civitates, vagantur q; cum armentis ac familiâ totâ, & pro re natâ mutant paſcua. Vestis ex pellibus maximè, & ob Sinarum viciniam ex serico & goſſipio, oblonga ad talos uſque demittitur, manicæ stringuntur, corpus baltheo arctatur, ex utroque latere pendent strophiola ad sordes abstergendas, cultellus & duo marſupia, in quibus tabacum, quem hoſpitibus per fistulam succensam propinant, & alia servant. Colore sunt albicanti, forti ac solidâ membrorum compage, parum garruli: Cubile illis solum, tapete, quo ehippium adornant, substracto; cibus, quem occupant, satiat, carne tamen ut plurimum veſcuntur, nec à semicrudâ abhorrent, eaque camelorum & equorum. In arte sagittandi exercentur à puero: nemo apud eos equorum ungulas ferreis munit soleis, cùm tamen aſſidui sint in equis, & tota eorum militia equestribus constet turmis. Lingua habet aliquid Perſicæ vicinum; characteres quidam ad Arabicos accedunt,

dunt, ſed in legendo à capite ad calcem deſcendunt, adeoque à dextrâ ad ſiniſtram pergunt. De Turcis & Muhametiſmo peſſimè ſentiunt: ab Indiæ ſacrificulis edocti cadavera comburunt, fæminis famulisque, equis ac armis in eundem rogum conjectis; quid poſt mortem futurum ſit maximè ſolliciti, quo vel ſolo articulo ad Chriſtianorum ſacra attrahuntur.

Inter omnes Tartaros hi ſemper fuêre maximi Sinarum inimici, qui ſub Sungâ familiâ Imperatoriâ per irruptionem variis affecerunt Sinas cladibus, adeò ut ex Borealibus provinciis ad Auſtrales ſe recipere Imperatores fuerint coacti: nam occupaverant Leaotung, Pecheli, Xanſi, Xenſi & Xantung provincias, ſibique facilè ſubdidiſſent univerſum Sinarum Imperium, niſi illorum felicibus ſucceſſibus invidiſſent viciniores Samahaniæ Tartari, qui jam magnam Aſiæ partem ſuæ fecerant poteſtatis, per Auſtrales ad Occidentaliores provincias ingreſſi, illis acre intuliſſent bellum, quos tandem omninò etiam ex Imperio expulerunt, imò & Tar-

tariam ingressi Orientalem, magnâ ex parte occupârunt; de quo bello Marcus Paulus Venetus agit. Deinde contra Australes Imperatores Sinicos plurimis commissis præliis, victoriæ præmium sumsêre Imperium, conditâ Ivena familiâ, circa annum C. 1279. Sed Hunguvo è vilissima sorte fit sacrificulus, deinde latro publicus, tandem dux, & profligatis ex Sina Tartaris restituit Sinarum Imperium, quod sibi familiæque vindicaverat anno C. 1368. Isti ipsi Tartari Kin ab anno C. 1616. Sinarum imperium vellicant, & ab anno C. 1644. totum ferè occupant.

Niulhan aliquando pars regni superioris, non raró suum sibi habuit regem. Proximi hîc sunt alii Tartari, Yupi, sic dicti, quòd galeas ac thoraces è durissimis ac robustissimis conficiant piscium pellibus. Ultra istos est ingens terra penè inculta, Yeço vel Jesso, quam fretum à Japonia separat, ubi habitant Sylvestres homines, ab urbe Meaco milliaria 254. toto hirti corpore, Japonensibus formidolosi. Sed ultra Leaotung, quæ Niul-

han

han & Yupios ſpectat, deſcenditur ad fretum Anian per 6000. ſtadiorum, verſus Americæ Queiviram, nempè per 350. milliaria Germanica.

Tanyu regnum flectitur ab Ortu paululum ad Occaſum, ingens ſanè & potentiſsimum, habetque immenſam terrarum planitiem inter Xamo deſertæ ſolitudinis campos & Sinas, ad Samahaniam uſque excurrens. Hæc gens Sinarum res ſæpiſsimè turbavit, ſed aliquoties devicta, colonias à Sinicis Imperatoribus accepit, easque ſub Ivena familia viginti quatuor ſupra centum, quæ in modum munimentorum extructæ validis præſidiis gentem effrenem in obſequio tenerent, & ad manſuetudinem traducerent.

Jam ſuccedit *Samahania*, quæ & Samarcanda dicitur, ad occaſum Imai montis, non longè à mari Caſpio remota, ubi Alexander condidit Alexandriam Bactrianam. Cum iſtis Venetus pervenit in Sinam infra terminum muri famoſi, trans Croceũ flumẽ, qui familiã Cinchi referunt, ſed ejecti adhæsêre Tamerlano Duci, & cõdidêre regnũ Magni Mogoris, captoq; Bajazete

 Aſiam

Asiam ferè totam in suam redegêre potestatem, quamvis Tamerlanus nunquam lacessierit Sinas, sed ad occasum per regnum Mogor adusque Persidem processerit, circa annum C. 1406. (Vicinum hîc fuerit regnum aliud Tartarorum, Cascar) Samahaniæ rex albis induitur vestibus, aureis argenteisque utitur vasis, manibus cibum capit: possidet civitates insignes, domos ac palatia, egregiæ architecturæ.

Vox *Sifan* apud Sinas omnia Imperii confinia, quæ ad Occidentem jacent, includit: Ea potissimum sunt, quæ à provincia Xensi ad Junnan pertingunt continentque regiones Usuçang, Kiang & Tibet, quæ nomina vel centum involvunt gentes diversas: hîc bonivigent mores, egregiis respublicæ gubernantur legibus, civitates plurimæ fossis mœnibusque muniuntur, quantum inter Min montes & Croceum flumen patet. Post Tibet est regnum Mien, ad orientalem Bengalæ partem.

Regnum *Laos* Sinici Imperii fuit aliquando, pars provinciæ Junnan, quamvis post Dynastæ rebellionem sui manserit juris:

juris: mediũ inter Tungking & Cochinchina; Changpa; Camboya & Sion; Pegu; & Lu, quod regnum eſt ipſiſſima provincia Junnan. Itaque ſitum eſt in meditullio Auſtralis Aſiæ, undiquaque à mari ad 50 milliaria remotum: Fructus omnes habet toti Indiæ communes, at vix ullos Europæos, ſi poma granata excipias & uvas ſylveſtres, haud ingrati ſaporis. Regio tota Oryzæ eſt feraciſſima, nec ſiccitatis ſubit periculum, quia totâ etiam æſtate magnis aquarum fluctibus intumeſcunt flumina, ob liquefactas in montibus Junnan nives, non ſecus atque Nili aquis Ægyptus tota inundatur: quod magnum planè divinæ providentiæ argumentum eſt, cùm in hoc regno tantùm per duos menſes toto anno cælum pluat; quo tempore arant & ſementem faciunt. Sterileſceret enim terra, emorerentur ſegetes, diſcederent famelici mortales, niſi fluviorum exundationes ſubvenirent: deducti etiam ſunt ingenti labore rivi & canales effoſſi, ut latius habitari poſſit. Sed non minus miraculum fuerit, quòd tantùm excreſcit in altum oryzæ culmus, quantum

ipſa aqua aſcendit, quod idem in Sion & Camboya fit; unde & navibus inſiſtentes maturam demetunt oryzam, cujus ſtirps aquæ ſemper inhæret, ut creſcat, nec enata emoriatur.

Regna Tungking & Cochinchina Sinis dicuntur *Gannan*, erantque dynaſtiæ Siang ſub Cina familia. Occupavit autem Hiaovu, Hanæ familiæ Imperator bellicoſiſsimus omnes has regiones, deductisque coloniis Sinica politia ac legibus inſtituit, primusque Kiaochi nomen indidit, à decuſſatis pedum digitis, primo ſcilicet, ſeu digito majore, quem hallucem vocant, incumbente proximo minori, quod ut plurimum toti huic genti adnaſcitur. Nunquam tamen Sinæ viſi ſunt haſce terras magni facere, idque ob barbaros gentis mores; quin potius ob innatum libertatis amorem, cùm viribus ac corporis robore facilè ſuperent Sinas. Sub exortum Taimingæ familiæ ab Hunguuo ſubjugata fuit hæc gens ante annos plus minus ducentos & nonaginta; at regio Chin regulo cuidam in feudũ fuit conceſſa, quem non ita multò pòſt tres illius præfecti

fecti interfecerunt, agnati ex familia Ly, regnũq; occupârunt. Hosce illius regni motus cùm inaudiſſet Junglous Imperator, duos ex præfectis rebellibus ſuſtulit è medio, tertius fuga evaſerat, & regnũ denuò conceſsit in provinciam: ſed vix arma poſuerat Imperator, cùm redit Ly fugitivus, ejectisq; Sinicis præfectis, regnũ recuperat, ubi prudenti prius cõſilio per legationem Imperatoris demulſerat animũ. Is tũ erat Siventeus, quietis amans, voluptatis potius mancipiũ, quàm Imperii dominus; & tot rebellionum pertæſus, nec dignam provinciã ſua cupiditate ratus, eandem Ly reverſo in feudum concedit, regulumque creat hac conditione, ut legatum ſingulis trienniis cũ amplis mittat munerib.: itaq; avelluntur hæ regiones à Sinico Imperio circa annum C. 1428. At ne ſic quieti conſultum, quin inteſtinis agitata diſsidiis in tres partes divideretur, quarum una Laos, altera Tungking, tertia Cochinchinæ regnum conſtituit; cùm tamen non niſi partes provinciarum Quangſi & Junnan ſint, quas omnes Synæ Leao, barbaros vocant.

Sina igitur undiquaque clauditur &

Oceano & Asiaticis populis, quos licet duum facere generum Tartaros & Indianos: neque verò aliter compingitur Europa, nisi inter mare & Asiaticos; mare illud est mediterraneum, & Oceanus tum Æthiopicus, tum Hyperboreus: & populi sunt tum Turcæ, tum Moscovitæ, qui utrique laciniam Europæ lacerârunt, vicem reddentes expeditionibus priscorum Europæorum, qui Asiam sæpius afflixêre, & regnis etiam in medio ejus conditis, imò imperiis Asiaticis eversis. Sed hæc prius fuêre.

CAPUT II.

Sinæ appendices & Europæ.

Sic igitur in Oceanum Eoum redimus, & ad principium muri famosissimi relabimur: ubi memorandæ veniunt peninsula Corea & regio Leaotung. Japonibus est *Corea*, quæ Sinis Chaosien, continens cum Niuche Tartaria, ad Yalo fluvium finiens, cætera mari alluitur. Hæc est illa regio, quam Uvus Imperator, Chevæ familiæ author, Kicio, ex Xangâ familiâ Impera-

peratoris consanguineo, in feudum concessit, circa annum Domini 1121. cùm devicta extingueretur Xanga familia, demortuo nequissimo illo Imperatore Kieo, qui ab Uvo superatus, sese cum superbissimo quod extruxerat palatio vivum combussit, digno suâ libidine, quâ infamis vixerat, exitio reperto. Hiaovus Hanæ familiæ, regem Coreæ, ut iterum feudum admitteret, coegit, ac sublato Leaotung nomine, quod Cina familia imposuerat, Chaosien nomen restituit. nam circa Cinæ familiæ finem, devictus ex eâ familia rex, Coream ingressus, concedente Coreano rege, provinciam Civenlo in Australi parte inhabitavit; inde Tangæ familiæ authorregi Coreano bellum indixit, ipsamque etiam Regiam Pingjang occupavit, debellato Caosien rege, cui tamē regnum, præscripto feudi obsequio restituit. Cùm autem Tamingæ familiæ caput Hunguus Tartaros ex Sinâ felicissimè ejecisset, rex Coreæ, qui etiam à Tartaris vexatus, oppressusque fuerat, per legatos Hunguuo victoriam est gratulatus, eique se ultro, tanquam feudatarium subjecit; qua de

 causâ

causâ ab Imperatore aureum accepit sigillum, quod regibus feudatariis concedere solet Imperator Sinicus. Coreanum autem hoc maximè movebat, quòd animadvertisset, à vicinis Japonibus sibi bellum imminere, & auxilia à Sinis speraret, quæ etiam sæpè obtinuit: tandem tamen reges Coreæ Japonibus tributa solvere sunt coacti, mater scilicet soboli propriæ, hâc tamen lege, ut semper rege defuncto, alter qui eligeretur, vel Pekinum ipse ad Imperatorem veniret, vel legatos mitteret, ut clientis fiduciarii obsequia præstarentur. Referunt autem annales, primum illum regem, qui ab Hunguvo in clientem fiduciarium fuit admissus, nequam fuisse, ac perversæ indolis, moribusque minimè regiis, imò vilissimum ac planè obscurum, uti Sinæ loqui amant, quamobrem à subditis per seditionem interfectum; regnum verò occupasse præfectum quendam, Ly nomine, qui cliens fiduciarius factus, eoque nomine rex Chaosien, in obsequio deinceps manserit cum posteris. Quæ regni constitutio nunc sit, inferius de Tartarorum irruptione patebit. quod quidem

agno-

agnoverunt feudum, ſed quòd capillos abradi imperaſſent, in rebellionem, adeoq; grave bellum conjecerunt. Tota peninſula in octo dividitur provincias; quæ in medio eſt, Kinki dicitur, in qua nobiliſſima urbs Pingjang, eademq; Regum ſedes: Orietalis, olim Gucipe, nunc eſt Kiangyven: Occidentalis, quondam propriè Chaoſien nunc eſt Hianchai. Auſtralis, nuper Pienhan, nunc Civenlo eſt: quæ ad Notapelioten, olim Xinhan, nunc Kingxan: quæ ad Notolybicũ, olim Mahan, modò Chungcing: quæ ad Barrapelioten, modò Hienking, olim Caokiuli: quæ ad Barrolybicũ, Pingan appellatur. Urbium ac civitatum numerum, nemo hactenus Europæus deſcripſit: compertum tamen, multas eſſe & frequentes, pro multitudine populorum per eam regionem copioſiſſima. Sunt etiã montani, ſui juris, uti non pauci, per Sinã, qui neminẽ admittunt, ſuis cõtenti recubilis, crudeles tamen, & raptores. Diu dubitatũ, an Corea inſulæ nomẽ meritò ferret, tandemq; compertum, continenti annexam. Italiæ ferè ſimilẽ diceres, niſi arctior eſſet, & in extremo coiret: porrigitur inter Japo-

Japoniæ oceanum & Çang ſinum Sinenſem, qui juxta provincias Xantung, Peking, & Leaotung, ipſam Tartariam Orientalem, adeò regna Niuche & Niulhan, regionemq; Yupi penetrat. Verſus Cambalu & Catayo, quæ vulgò notantur & creduntur immenſa regna, ad fretum Anian uſque pertingentia: ſed inferius patebit, quid ſit Catayo, Mangin & Cambalu.

Reliquum eſt, ut & regionem *Leaotung* diſpiciamus, cujus ingens eſt tractus, inter ſinum Çang & murum illum magnum. Licet autem magnitudine, populique frequentiâ provinciæ nomen ac dignitatem jure mereatur, illam tamen Taiminga familia concedere noluit, quòd abolitis ferè ubique urbium ac civitatum nominibus, munimenta ſtatuit, quæ à militaribus regerentur præfectis; relictæ tamen ſunt pauculæ, in quibus ſummi præfecti, Prorex nimirum, ac regni habitaret Viſitator, majori cum majeſtate ac imperio. Cogitur enim Sinicus Imperator per totam regionem ingentia alere militum præſidia, ob nimiam Niuche & Niulhan

han Tartarorum viciniam, præcipuè postquam ſub Kiacingo Imperatore murum Tartari armatâ ſuperârunt manu, ingentesque egêre per totam devaſtatam provinciam prædas; ac tametſi bellum illud minimè fuerit continuatum, ſopitum tamen potius fuit, quàm extinctum: nam ſub Vanlieo iterum illius erupit incendiũ, nec quievere prius Tartari, quàm totum ferè occupaſſent imperium, uti inferius recenſebitur. Regionis termini ſunt, ad partem Orientalem Ylao fluvius, & ſinus maris, per quem à Coreâ peninſulâ ſeparatur: ad occaſum eam claudit Pecheli provincia, & medius inter utramque profluens Linchang: reliquas partes, quæ ad Auſtrum magis ſpectant, Çang ſinus maris & alluit & tuetur. Priſcis temporibus, ſub Yui diviſione, pars Leaotung Ki, pars Cing provinciæ attributa legitur, ſub Xuno verò terræ vergentes ad Barrapelioten regioni Jeu fuere accenſitæ, illa nimirum pars, ubi nunc Quangning. Hiaovus Hanæ familiæ, poſtquam Coream armis domuiſſet, multis ſecum deductis è Corea advenis, hîc colonias condidit non pau-

paucas, provinciamque Caokiuli insignivit nomine. Tangæ familiæ auctor has denuò terras, adeoque Coream occupavit, duasque magnas in ea urbes condidit, unam Cai, alteram Leao, quæ tandem Leaoyang dici cepit.

Tota regio duas tantùm majores numerat urbes, civitates aliquot, munimenta verò quamplurima, quæ magnitudine & populi frequentia etiam quasdam primi ordinis civitates superant. Urbes duæ sunt 1. Leaoyang Ningyven ; um civitates & munimenta Ycheu. 4. Cajyuen. 5. Quangning. 6. Ningyven. 7. Chinyang. 8. Kincheu. 9. Cai. Minora. 10. Hai. 11. Tieling. 12. Chungen. 13. Puho. 14. Kin. 15. Fo. 16. Luixun. 17. Chekiao. 18. Chehai. 19. Quangning. 20. Tringleao. 21. Ganlo. 22. Pieyang. 23. Samian. 24. Tanyang. Minora, seu tertii ordinis sunt, 25. Chungtun. 26. Ço. 27. Jeu. 28. Heutun. 29. Yeutun. Incolæ sunt ad studia prorsus inepti, maxima ex parte torosi, forma præ cæteris quadrata, firmissima membrorum compage, audaces, fortes, ad bella aptissimi, laboribus adsueti, bellis enim cō-

tinuis

tinuis ex vicinia Tartarorum ardet regio: unde ex vicinia, commercio, ultro-citroq; factis deditionibus gens ferè tota Tartaricos magna ex parte induit mores, ea præcipuè, quæ magis vergit ad Orientem, adeò ut pro ipsis Tartaris contra Sinas steterit: & quia pars Orientalis à Tartaris occupata fuerat, pro Leaoyang metropoli, quam illi invaserant, Ningyven metropolin substituit Sinicus imperator. Nuces avellanæ sylvestres, minores illæ nusquam alibi in hâc extrema Asia visuntur copiosiores: abundat frumento & mylio, oryzâ caret. reliqua porrò legumina læta profert, atque olerum genera omnia, maximè brassicarum, quas vix in totâ alibi Sinâ reperias: habet uvas, ficus, poma, pyra, aliosque similes Europæ fructus, unde præclara omninò & amæna regio dicenda est, præcipuè cùm montibus locis in multis careat, marisque viciniâ, adeoque & commodis utatur. Quòd si pacis artibus gens hæc magis esset addicta, haud dubium, quin regio hæc facilè una ex præcipuis totius Sinici imperii provinciis evadere possit:
natu-

naturâ enim eſt fertiliſſima, ſed culturæ obſtant continua bella.

Hactenus Sinam incluſimus circulo amplisſimo, quem Oceanus Eous, & ſpatioſiſsima regna, ſive regiones, Niuche, Niulhan, Tanyu, Sifan ac Gannan abſolvunt, quæ Sinarum ſæpiculè jugum portaverunt, & identidem excuſſerunt. Enimverò Europa & ſuos paſſa eſt manes, ubi Gothi, Vandali, Alani, Gepidæ, Hunni, & ex ſeptentrione, qui vagina gentium quondam audivit, & ab ipſa Mæotide palude inundârunt, ut ne refricem doloroſiſſimum vulnus in Græciâ ſuſceptum, quod ſanguinem aut ſtillare, aut exugere nondum deſiit. Sic fruſtra Africæ proximiora poſſeſſa, amiſſa, recuperata, deſtituta, evaneſcente etiam immani molimine in Americam, & Indiam.

CAPUT III.

Circulus Sinæ proprius: ubi de gemino muro Britannico.

Murus Sinicus quatuor omninò provincias ambitu ſuo cingit, trecenta milliaria, quo-

quorũ quindecim uni gradui pares, longę, à ſinu maris, in quẽ Yalo fluvius, ex Tartariâ Orientali influit, uſque ad Kin civitatis montes, prope ripas Crocei fluvii, nuſquam interruptâ continuâ ſerie, præterquam ad Boreales partes urbis çiven, provinciæ Peking, ubi exiguum ſpatium tenent horridi & inacceſſi montes, qui firmiſsimum murum nectunt. ibidem Croceum fluvium ad Se fauçes, uti & reliqua flumina minora alicubi, ab exteris ſubingredientia regionibus, arcubus hinc inde, fornicibusq; ſuperſtructis, ad inſtar pontis admittit. Cætera totus ſibi conſtans, ac ferè uniformis, non per planiciem modò, quæ in his partibus rarior eſt, ſed & qua ipſos montes tranſcendit. Certis intervallis altiores habet turres, portas etiam quaſdam ad exeundum, ubi neceſsitas poſtulat, & illis vicina caſtella munitiſsima, tum ad muri cuſtodiam, tum ad militum habitationem aptè diſpoſita: habuit enim, aluitque ad ejus cuſtodiam, quà longè ab ortu in occaſum patet, imperator Sinicus haud minus, quàm millionem, ut vocant, militum, ſeu decies centena millia. Muri altitu-

altitudo triginta Sinensium cubitorum est, latitudo duodecim, & sæpius quindecim.

(Cubitus facit pedem architecturæ: passus habet sex cubitos, pertica decem. Stadium numerat 360. passus: milliare ad unum gradum decies quinquies repetitur, & apud Sinas exigit 16⅔. stadia, id est, duplum, ad Strabonis calculum, qui stadio tantum 33⅓. passus contribuit.)

Inchoavit hoc opus *Xius* Imperator, Cinæ Imperialis familiæ author, qui Sinicos Imperatores omnes, & operum magnitudine, & rerum gestarum, ac bellicâ gloria, vel æquavit, vel superavit. Hic, postquam totam jam Sinam, devicta Chevâ familia, suo subjecisset imperio, ex regulo factus Imperator, Tartaros ipsos multis magnisque cladibus afflixit; & ut futuras eorum in posterum in ipsam Sinam irruptiones reprimeret, planeque impediret, murum hunc magnum extruxit, quo, tanquam continuis mænibus, arcerentur Tartari. Aggressus est opus anno secundo sui Imperii supra vigesimũ, qui fuit ante Christum natum 215. Quinq;

annis

annis totam absolvit fabricam, incredibili hominum adlaborantium multitudine: nam ex denis tres viros adesse, per totam Sinam delectu habito, voluit. Variis in partibus regni extructio cœpta, & quinquenii spatio, incredibili velocitate absoluta, tanta operis firmitate ac soliditate, ex meris scilicet silicibus, lapidibusque, ut, sicubi clavus infigi posset per lapidum commissuras, morte luerent, qui partem eam fabricassent.

Ad sinum maris, in regionis Leaotung ultimis finibus, quà in septentrionē vergit peninsula Corea, ubi illius initium per aliquot stadia aquas subit, scribunt Sinæ, ad ea sub aquis jacienda fundamenta, quamplurimas naves non lapidibus, sed crudi ferri massis plenas, fuisse demersas. His innixus fundamentis assurgit occasum versus, & Leaotung regionem: mox excurrit ad Peking, inde Xansi & Xensi provincias munit, non rectà semper progrediens, sed quandoque deflectens, juxta varium locorum situm. Opus sanè magnificum ac ingens, & omni dignum admiratione, ad hæc usque tempora
ferè

ferè ſine labe aut noxâ, contra tot injurias temporum perſiſtens. reliqua ad Oceanū uſque claudunt montes Damaſii, per ducenta milliaria germanica, adeò ut illîc nec muro, nec portis aut repagulis natura videretur fulcienda.

Dubito, an liceat huc referre Britanniæ murum, qui ſanè eodem modo fuit conſtructus & ſæpius repetitus: Nam Julius Agricola, referente Cornelio Tacito, ſpatium terræ inter Glotam & Bedotriam, ſive fretum Dunbritannicum & Edenburgicum, poſitum præſidiis firmavit, anno æræ Chriſtianæ 77. ſummotis velut in aliam Inſulam Caledoniis hoſtibus, imperante adhuc Veſpaſiano, à quo Britanniam inter provincias redactam Witichindus Saxo memorat. Inſcriptiones Romanæ à Camdeno productæ id evincunt. Sed Britanni, quorum curam Domitianus, de externo Imperio non adeò ſollicitus, intermiſerat, eo defuncto, teneri ſub Romanâ ditione non poterant: unde ſucceſſor illius Hadrianus Britanniam petens, in eâ multa correxit, murumque per octoginta millia paſſuum primus duxit, qui Barbaros

Roma-

Romanosque divideret, ſtipitibus nimirum magnis, in modum muralis ſepis, funditus jactis atque connexis, ut alibi facere eum conſueſſe docet in vita ipſius Ælius Spartianus, anno C. 117. Antoninus Pius Britannos per Lollium Urbicum legatum vicit, ut docet in vitâ ipſius Julius Capitolinus, alio muro ceſpitio ſubmotis barbaris Caledoniis ducto. In eodem videlicet anguſto terrarum ſpatio, quod Julius Agricola præſidiis prius firmaverat: ultra quod vallum erat ea Britanniæ pars, quæ Caledonia appellabatur, maximam hodiernæ Scotiæ partem complexa: id quod circa annum C. 144. acciderit. Severus porrò Imperator, tertio ante obitum anno, qui Chriſtianæ æræ 208. cum exercitu in Britanniam profectus eſt: ubi Getâ juniore filio ad jus dicendum in parte Inſulæ Romanis ſubjectâ relicto, & ſeniore Baſſiano, qui Antoninus Caracalla dictus eſt, ſecum aſſumto, aggerem ditionis Romanæ eo tempore limitem (illum videlicet Hadriani murum ceſpitium) transgreſſus, Mæatarum primum, deinde Caledoniorum (qui altero illo Antonini Pii ceſpitio

muro ab illis disterminabantur) fines, ad extremam usq; insulæ partem penetravit, atq; suorum quinquaginta millibus morte absumtis, & hostibus eâ conditione ad fœdus faciendum coactis, ut non parvâ regionis parte cederent, ad socios demum est reversus. Idem murum lapideum, ubi antea cespitium Hadrianus posuerat, à mari ad mare per transversam insulam duxit, rectâ tramite, inter urbes, quæ ibidem ob metum hostium factæ fuerant: quem videlicet murum, hactenus famosum atque conspicuum, sumtu publico privatoque, adjuncta secum Britannorum manu, construebant, octo pedes latum, & duodecim altum, rectâ ab Oriente in Occasum lineâ, ex ripâ Tynæ fluminis & Escæ, per 60000. passuum; finem habet juxta Carlile ad Occidentem. Anno C. 285. Diocletiano & Maximiano Herculio imperantibus, Carausius Menapiæ civis purpuram sumsit, & Britanniam occupavit; tum Constantius Constantini Magni pater, dicitur Cæsar: Carausio, cùm bella frustra tentata essent contra virum rei militaris peritissimum, remissum est insulæ impe-

imperium. Is Pictis, è Scythiâ adversus Severum à Fulgenio conductis, locum mansionis inter Britannos in Caledoniâ concedit, eosque muro inter fretum Dunbritannicum atque Edenburgicum reædificato, & septem castellis munito, à reliqua insula discludit. Oppressi postmodum Britanni ad Valentinianum III. ex Cæsare nuper Augustum, mittunt, & novam legionem auxiliarem è Galliis transmissam obtinuerunt, quæ Gallionis Ravennatis ductu, Pictos & Scotos anniversarias prædas agentes, tempore autumni, trans maria fugavit: is muri cespitii loco lapideum erigit anno C. 426. & in littore Oceani ad meridianã plagã adversus barbarorũ incursiones, turres per intervalla ad prospectum maris collocat. Anno C. 431. Scoti & Picti totam aquilonarem extremamq; Britannię partem, vacuã propè indigenis, usq; ad murum illum lapideũ inter fretum Dunbritannicũ & Edenburgicũ, ante quinquennium constructũ, capessunt, indeq; tertiam à Gildâ memoratam vastationem adorsi, muri custodibus deturbatis, muro ipso perrupto, & indige-

narum intra murum horribili ſtrage cædeque factâ, miſeros Britannos civitatibus derelictis ad ſolitudines confugere coëgerunt: quâ in re Scotorum Albienſium hiſtorici ſtrenuam Grimi vel Graimi cujuſdam operam prædicant, à quo perfoſſus ille murus Grahamsdike vel Grimesdike appellationem ad hodiernum uſque diem retinuit.

Vallum ita deſcribit Beda: Vallum fit de ceſpitibus, quibus circumciſis è terrâ, velut murus extruitur, altus ſupra terram, ita ut in ante ſit foſſa, de quâ levati ſunt ceſpites, ſupra quam ſudes de lignis fortiſſimis præfiguntur. Jam lege apud Spartianum, murum ceſpitium maximum ejus imperii decus fuiſſe: quid ergò de lapideo exiſtimandum? Scoti tamen & Picti vaſtant partem ex axe Aquilonis uſque ad Severiam foſſam. Britanni murum inſiſtunt Anno C. 431. defendunt armis, ſed non natura, heu! non fortuna dederat gratiam belli. Tum aſtuta gens Scotorum, gnara quid faceret pro imminenti muro, ac ſudium profundo ſaltu, ferreos in menſurâ, arte mechanicâ ſtruunt aculeos, ſuperſtâ-

tes-

tesque muro deorſum trahentes avidè interimunt; inquit Fabius Ethelvverdus. Periit igitur murus uterque, ut veſtigia vix extent, adeoque dubitetur de utriuſque loco genuino. Paucis, inquit Buchananus lib. 4. in rege 27. antequam hæc ſcriberemus, annis, veſtigia foſſarum & murorum, item vicorum apparebant; nec adhuc muri diruti omninò ita confuſa ſunt indicia, ut non interim ſe multis in locis prodant: terraque leviter effoſsâ, quadrati lapides eruuntur, quibus vicini agrorum Domini, ad ædium ſuarum ſubſtructiones utuntur. Indicant autem inſcripti lapides, qui interim inveniuntur, id opus Romanorum fuiſſe: quibus aut teſtimonia ſalutis per tribunos & centuriones acceptæ, aut ſepulcrorum inſcriptiones continentur: Quicquid ſit, nihil iſti muri faciunt ad Sinicum, cùm dicantur vel 22. milliaria, vel 32. item 82. explere: nam librariorum vitium, quod aut ſignum parentheſis, aut incuria fecerit, de CXXXII. milliaribus ſpatium ab uno mari ad alterum neutiquam admittit. Sunt autem milliaria ea Anglicana, quorum ſena ab-

sorbētur unico Germanico. Pænitebit etiam contulisse, soliditatem, altitudinem & latitudinē structuræ: adeò ut omnis comparatio absolvatur in repagulo arcendorū hostiū. Habet etiā Sinicus murus suas portas, ut ad exteros proruere liceat, ꝑ lubitu: eas verò oportet esse vastas, quæ exercitum admittant. Nihil ejusmodi per Europam occurrit: memorat autem Plinius lib. 5. Taurum montem esse immensum, innumerarum gentium arbitrum, numerosis nominibus & novis quacunque accedat, insignem; brachia emittere, subinde tentanti maria similem, dehiscere etiam, & se populis aperire, portarum tamen nomine unitatem sibi vindicare, quæ alibi Armeniæ, alibi Caspiæ, alibi Ciliciæ vocentur. Et lib. 6. hæc legimus: Ab iis (qui Albaniam incolunt) sunt portæ Caucasiæ, ingens naturæ opus, montibus interruptis repentè; ubi fores obditæ ferratis trabibus; subter medias amne Dyriodori fluente, citraq; in rupe castello, quod vocatur Cumania, communito, ad arcendas transitu gentes innumeras: ibi loci terrarū orbe portis discluso, ex adverso maximè

ximè Harmaſtis oppidi Iberũ. Eędem portæ dicuntur Iberiæ, quæ malè dicuntur Caſpiæ, ubi Neronis comminatio, ad Caſpias portas tendere dicebatur, cùm peteret illas quæ per Iberiã in Sarmatas tendunt, vix ullo, propter appoſitos mõtes aditu. Ad Caſpiũ mare ſunt aliæ, Caſpiis gentib. junctę: interruptis anguſto tranſitu jugis, ita ut vix ſingula meent plauſtra, longitudine 8000. paſſuum (ultra unũ milliare Germanicũ) toto opere manufacto, dextrâ levâq; ambuſtis ſimiles imminẽt ſcopuli. Pratitæ Paredoni tenent iſtas portas: intus eſt Ecbatana, Parthorum quoq; regna foribus diſcluduntur. Itaq; hinc exitur in Parthiam, illinc in Syriã; dũ mare Caſpiũ & ſinus Perſicus utramq; lineã transverſam ducunt & inferius & ſuperius, quæ regio ferè quadriformis, & Doritis & Syromedia Straboni ac Ptolomæo dicitur. Turcæ an. C. 626. ab Imperatore evocati, ruptis Caſpiis portis in Perſiã irruunt, quorũ 40000. ſtipendio cõducti, imperatorio junguntur exercitui cõtra Cosrhoën. An. C. 763. denuò effundũtur p portas Caſpias in Armeniã; & p̃das agunt, vel ſua ſponte, vel à Saracenis cõtra

Romanos evocati, donec anno C. 1047. Persarũ imperiũ, & Babylonẽ occuparunt.

Illa omnia referent viburna, & Sinicus murus cupressum.

CAPUT IV.

De provinciis Imperii Sinici, quæ totidem regna possent censeri, uti & pleraq; fuêre: tum de regnis Europæis.

Sina olim divisa fuit in provincias duodecim à Xuno Imperatore: deinde redacta in novem, ab ejus successore Yuo, annis ante Christum natum, 2260. quo tempore non nisi partes Boreales complectebatur, ubi limitem faciebat Kiang fluvius. Sed partes deinceps Australes paulatim subactæ, & à barbarie liberatæ, factæ sunt provinciæ quindecim, quibus accensentur & regio Leaotung, & peninsula Corea, vectigales, neque verò involvenda silentio nobilissima insula Hainan; nam alias innumeras, quæ subinde adeò conjunctæ sunt inter se & vicinæ, ut una continens videantur, nihil attinet referre.

Postremis temporibus Sina divisa est in Australem & Borealem, quarum illa à Tartaris regnum Mangin, hæc ab iisdem Catayo.

tayo regnum nuncupatur; ubi prius novem provinciis; posterius verò sex absolvitur, sive octo, si regionem Leaotung & peninsulam Coream connumerare lubeat.

Muri illius famosi mentionem Marcus Paulus Venetus non facit, non quòd murus illâ tempestate nondum fuerit, sed quod Tartari, quibus ipse militabat, ultra muri finem & Croceum fluvium, quâ montes sunt Damasii, irruptionem fecerint. Mangin autem Tartaris notat Barbaros, quo modo Sinis illuditur, haud indigno in Sinicam arrogantiam & superbiam scommate, ut barbari audiant, qui barbarũ reliquum mortalium genus censent. Catay verò regnum dicitur Sina Borealior, à Mauris, Saracenis, Turcis & Tartaris, qui singulis trienniis ad Regiam munera deferunt, aut salutatum veniunt pedestri itinere, per Laòr & Cascar; mentiuntur tamen sæpius sese legatos, quando cum turmis mercatorum, quas Caravanas vocant, accedunt, ut ita ad interiora penetrent, & liberius mercentur. Eadem penè ratio vocis Cambalu, quæ neutiquã

 regnum

regnum aliquod, ſed regiam ſummam per adjectionem denotat, unde vel abſolutè ponitur pro regiâ urbs Domini; vel cum metropoli, cùm dicitur Cambalu Peking, ſive Cambalu Nanking, quòd Monarcha & Auſtrali & Boreali gauderet. Provinciæ ſex ſunt maritimæ, Peking, Xantung, Kiangnan ſive Nanking, Chekiang, Fokien & Quangtung: Hinc Boream verſus occurrunt mediterraneæ Quangſi, Kiangſi, Huquang, Honan, Xanſi: & quæ ad Occidentem vergunt, Xenſi, Suchuen, Queicheu, Yunnan. Magnus fluvius Kiang, quẽ maris filium vocant, Auſtrales à Borealib. provinciis dirimit: cùm autem omnes tandem ſub uno Monarchâ coaluerint, provinciarum ſummam adſcribemus: in illis quindecim inveniuntur 145. urbes magnę, quæ totidem metropoles regnorum aut Ducatuum liceret dicere; & habent ſub ſe civitates 1331. ex quibus 148. urbibus prorſus ſunt pares. Numerantur hîc 32. civitates majores, quę nulli urbi ſubjiciuntur, urbis tamen dignitate & nomine carent; habentq; ſub ſuo imperio civitates 63. Sunt deniq; 3. Civitates extra omnem ordi-

ordinem, in quibus habitant Præfecti militares. Munimenta ſpectantur per provincias ſparſa, intra murum, & exterius, adeoque nonnulla in ipſo muro, 159. tum urbes militares 17. & civitates militares, 66. ubi cives & milites promiſcuè habitant: quæ omnia collecta dant 1816. loca, celebrioribus per Europam urbibus, ſi Romã, Venetias, Conſtantinopolin, Londinum, Pariſios, Pragam excipias, nihil inferiora.

Urbs minor dicitur Sinis Hien, major Cheu, maxima Fu. Urbes deniq; præcipuę magnitudinis, nobilitatisq́; ſunt 150. inferioris ordinis 1226. omnes altis muris foſſisq; munitę, præter militares urbes & civitates, caſtella & munimenta, oppida, municipia & pagos, Europæis urbib. ſæpè haud multum cedentes: ſuburbia adeò ſpatioſa, etiã pluria, ſpectantur annexa, ut tergeminæ putentur urbes. Æſtimantur a. urbes ex præfecturâ, ut & civitates: municipia & pagi nõ ex magnitudine & frequentiâ cõmerciorũ, ſed quòd muris ꝓpriisq; magiſtratibus deſtituãtur. Qui rẽ accuratiꝰ cõputant, referũt ibid. numerari quinquaginta octo milliones, nongẽta & quatuordecim millia

 ducen-

ducenta, octoginta quatuor, (58914284.) quo tamen calculo minimè comprehenduntur regii ſanguinis familiæ, magiſtratus, Eunuchi, milites, ſacrificuli, mulieres, pueri. nam ſi ſolus murus à millione militum cuſtodiebatur, ſi trecenta millia per totam Sinam nuper erant ſparſa, qui omnes unum Hunguvo, Taimingæ familiæ imperatoriæ conditorem, & ſui generis authorem agnoſcebant, qui ante annos 290. Tartaros ejecerat eoſdem è Sinâ, qui Sinam nunc demum recuperaverunt: ſi 5000. fæminæ in Regiâ verſantur, ſi 5000. milites ſingulas obeunt vigilias nocturnas, & totidem Eunuchi de die, ſi 11000. præfecti fulgent, maximus iterum exurget numerus. Jam & tota penè Sina navigatur, unde plurimi mortales in navibus habitant, adeò ut credantur vix pauciores aquarum, quàm continentis eſſe incolæ, quod in Auſtralibus maximè provinciis locum habet.

Inter Europæas regiones Gallia ut plurimum cenſetur populoſiſſima, Belgium tamen, ob commercia & opificia eam ſuperat: nam etſi in circuitu nihil ultra 1000

millia-

X. AUSTRIA numerat civitates octoginta. 1. Wienna. 2. Wolfersdorf. 3. Enczis. 4. Laſſee. 5. Bresburg. 6. Holitſch. 7. Niclasburg. 8. Durnbach. 9. Krusbach. 10. Gellersdorf. 11. Korneuburg. 12. Pulka. 13. Horn. 14. Egenburg. 15. Gars. 16. Czvvelt. 17. Geim. 18. Paungarenberg. 19. Freiſtat. *20*. Lincz. 21. Welhering. *22*. Peurbach. 23. Redavv. 24. Wels. 25. Ens. 26. Steir. 27. Wardhoven. 28. Ips. 29. Pachlarn. 30. Pinxdorf. 31. Tuln. 32. Kehamkirchen. 33. Pruchk. 34. Nevvſidl. 35. Ovvar. 36. Sopron. 37. Nuſtat. 38. Ebenfurt. 39. Pfortenſtain. 40. Rotmans. 41. Judenburg. 42. Kobenez. 43. Levvben. *44*. Cell.

45. Aſ-

45. Aſslencz. *46*. Praytnavv. *47*. Kapſn-berg. 48. Kriegla. *49*. Veravv. *50*. Pela. *51*. Gracz. *52*. Hartperg. *53*. Weiſtritz. *54*. Weynperg. *55*. Lutenburg. *56*. Rackels-burg. *57*. Mureck. *58*. Muroela. *59*. Voils-berg. *60*. Obdach. *61*. Champrecht. *62*. S. Leonhart. *63*. Wolsberg. *64*. S. Andre. *65*. Gryſnar. 66. Lavamind. *67*. Draburg. *68*. Schvvamburg. *69*. Pettavv. 70. Frid-avv. 71. Czakhonthum. 72. Waraſdin. 73. Volckmark. 74. Clagnfurt. 75. Werd. 76. Veldkirchen. 77. Mylſtat. 78. Glaneck. 79. Scheufling. 80. Hinczmarc.

XI. SAXONIA connumerat civitates 99. 1. Wittemberg. 2. Gutterbogen. 3. Tham. 4. Ledeleben. *5*. Furſtenberg. 6. Luberaſs. 7. Calavv. 8. Lucken. *9*. Sonne-vvalt. 10. Cotbus. 11. FinſterWalt. 12. Sprengberg. 13. Senſterberg. 14. Mucken-berg. *15*. Hojersvverda. 16. Wittichenavv. 17. Kônigsvvarth. 18. Reichenbach. 19. Gorlitz. 20. Lauben. 21. Fridberg. 22. Fridland. 23. Sittavv. 24. Lubben. *25*. Bautzen. *26*. Schlukenavv. *27*. Kreibitz. 28. Schandavv. 29. Sche-nitz. 30. Biſchosvverd. 31. Camitz. 32.

Dreſda.

Dresda.33.Meisen.34.Hain.35. Ortrand. 36. Elstervverd. 37. Mulberg. 38. Arenbruk. 39. Hertzberg. 40. Schlieben. 41. Bratti. 42.Bretsch. 43. Kemburg. 44. Bilterfeld. 45. Dieben. 46. Torgavv. 47. Belgern. 48. Wurtzen. 49. Dalem. 50. Leisnick. 51. Dobeln. 52. Freiberg. 53. Henichen. 54. Oederen. 55. Saida. 56. Catharnberg. 57. Mariaberg. 58. Annaberg. 59. Gostat. 60. Weisenthal. 61. Thal. 62. Gotsberg. 63. Hoff. 64. Olfnitz. 65. Sparenberg. 66. Salbing. 67. Plann. 68. Schneberg. 69. Zvvika. 70. Chemnitz. 71. Penigk. 72. Rochlitz. 73. Colditz. 74. Aldenburg. 75. Ronneburg. 76. Steyn. 77. Werda. 78. Berga. 79. Zeitlenroda. 80. Weida. 81. Roda. 82. Gera. 83. Zeitz. 84. Eysenberg. 85. Dornburg. 86. Naumburg. 87. Osterfelt. 88. Luca. 89. Born. 90. Grim. 91. Eulenburg. 92. Leipzig. 93. Raenstat. 94. Weissenfels. 95. Horburg. 96. Mersburg. 97. Hall. 98. Brempt. 99. Wettin.

XII. BRANDENBURG connumerat civitates centum sexaginta. 1. Brandenburgk. 2. Ratenavv. 3. Spandavv.

davv.*4*.Berlin.5.Copenik.*6*.Belitz.*7*.Furstenvvald. 8. Franckfurt. *9*. Crossen. 10. Zulich. 11.Sternberg.*12*.Reipsigk. 13.Czilentzich.*14*.Kônigsvvalde. *15*.Landsberg. *16*.Kustrin.*17*.Quatsen.*18*.Dam.*19*.Dressen.*20*.Arnsvvald.*21*.Kalis. *22*.Nurenbergichen. *23*. Stargard. *24*. Nevvgatin. *25*. Corlin.*26*.Colberg.*27*.Griffenberg. 28. Camin.29.Wollin.*30*.Pudgla.*31*.Usedom. *32*.Wolgast.*33*.Anklavv.*34*.Treptovv.*35*. Fridland.*36*.Schonhausen.*37*.Ukermund. *38*.Pasevvalck.*39*.Stetin.*40*.Dam.*41*.Golnavv.*42*.Gripenhagen.*43*.Pirits. *44*.Lippen.*45*.Soldin. *46*. Bevvalde. *47*.Furstefelt. *48*.Mori.*49*.Kônigsberk.*50*. Angermund.*51*.Gartz.*52*.Premslavv.*53*.Straetsburg.*54*.Lichem.*55*.Templin. *56*.Rapin. *57*.Billinischefehre.*58*.Navve.*59*.Kabelitz. *60*.Grabavv. *61*.Mockern. *62*. Kabelitz. *63*. Buck. *64*. Tangermund. *65*.Gardeleben.*66*.Steinthal.67.Arneberg.*68*.Sandavv.*69*.Havelberg.*70*.Welsenach.*71*.Kirits. *72*. Perleberg. *73*. Prutzvvalck.*74*. Wilstock. *75*. NeuBrandeburg. *76*. Haus zu Stargard.*77*.Warenburg.*78*.Malchin. *79*.Demmyn.*80*.Loytz.*81*.Gripsvvald.*82*. Trib-

tribſes. *83.* Grim̃e. *84.* Stralſund. *85.* Bart. *86.* Damgard. *87.* Mutlavv. 88. Sulte. 89. Gnugen. 90. Dragun. 91. Grubenhagen. *92.* Guſterovv. *93.* Roſtock. *94.* Bukavv. *95.* Muſſunde. *96.* Kropelyn. *97.* Wiſmar. *98.* Tarſavv. *99.* Golovvitz. *100.* Gadebuſch. *101.* Lutſovv. *102.* Turovv. *103.* ThomDam. *104.* Parchen. *105.* Lubitz. *106.* Plavven. *107.* Grabavv. *108.* Domilz. 109. Danneberg. *110.* Berge. *111.* VVulfsborch. *112.* Biſmarck. *113.* Oſterburg. *114.* Gartavv. *115.* Lentſen. *116.* Dalmin. *117.* Ultzen. *118.* Lunenburg. *119.* Lavvenburg. *120.* Meydborg. *121.* VVormlitz. *122.* Borch. *123.* Heiligendorf. *124.* VVolmerſtede. *125.* Barleben. *126.* VVansleben. *127.* Staffurt. *128.* Barby. *129.* Zerbſt. *130.* Deſſavv. 131. Koten. 132. Mocha. *133.* Bruck. *134.* Seburg. *135.* Mansfelt. *136.* Mittelhauſen. *137.* Aſchersleben. *138.* Quedelnburg. *139.* Halberſtat. *140.* Goslar. *141.* Hildesheim. *142.* Braunſvvyk. *142.* VVolfenbutel. *143.* Hanover. *144.* Mynden. *145.* Rintelen. *146.* Hamelen. *147.* Huxer. *148.* Brakelen. *149.* Grubenhagen. *150.* Eynbeke. *151.* Duderſtat. *152.* Oſterode. *153.* Hildesheim. *154.* Stolberg.

berg. *155*. Gishorn. *156*. Helmſtat. *157*. Schipſtede. *158*. Hatzkeroda. *159*. Bernburg. *160*. Ballenſtede.

Sic calculus dabit ter mille, octingentas quinquaginta quinque civitates, neq; verò minutulæ huc ſunt congeſtæ, ad explendam papyrum.

CAPUT VII.

Vlterior enumeratio quinq; reliquorum regnorum, cum duabus appendicibus.

I. Cyprus inſula dividitur in quinque regiones, & adſciſcit ſibi quinque inſulas; unde civitates numerantur quadraginta tres. 1. Nicoſia. *2*. Cherines. 3. Famaguſta. *4*. M. Filermo. *5*. Villa nova. *6*. Canura. 7. Polaua. 8. Aganea. *9*. *Zaliſo*. 10. Ruſacare. 11. Rhodiportus. 12. *Cerigo*.. 13. Tiniure. 14. Caverna. *15*. Pratichica. *16*. Cithera. 17. *Negroponte*. 18. Lipſa. *19*. Mandugo. 20. Talitada. 21. Valona. *22*. Platari. 23. Cariſto. *24*. Mitilene. *25*. S. theodori. *26*. Teslio. *27*. Gieremia. *28*. Caſtel-Gero. 29. Aſſo. 30. Chidonia. 31. Vaſilica. 32. Ruinæ. *33*. *Chius*. *34*. Pigrino. *35*. Heluas.

luas.36.S.Elia. 37. Cardemile.*38.Stalimini*. 39. Paleocaſtro.40.Mandro. 41. Sala. 42. la Scala. 43.Cogito.

II. CANDIA numerat civitates triginta quinque.1.Candia.2.Catapina.3. Edelo.*4*.Creſonella.*5*.Sittia.*6*.Palio.*7*.Cortoneſe.8. Verapolo. *9*.Girapetra. 10. Ceraton.11. Antropoli.12. Matalia.13. Arcatima.*14*.Chetina.15.Bonifacio.*16*.C.Novo. 17. Neſia. 18. Grotina.19.Stramatali. 20. Girotela.21.Penico.22. Elinero.23.Laſſa. 24.Panonia.25.le feudyna.26.Aperiopoli.27.Fenice.28. Olerno. 29. Pentalo.30. Traba.31.Cornico. 32.Ciſamopoli.*33*.Dictamo.*34*.Minola.35.Retimo.

III. SARDINIA cum Corſica numerat civitates quinquaginta.1.*Calari*.2.Bragirotto. 3. Ganoi. 4. Voſolo. 5. Foni. 6. Sorgano 7.Orani.8.Galielli. 9.Oliena.*10*. Seroli.11.Lode.12.Summiſtola. 13. Terra nouova.14.Sarda.15.Brechila.16.Cãignano.17.Ocara.18.Torre.19.Oſelo.*20*.Narvi.21.Puagora.*22*.Saſſari.*23*.Cotangiane. *24*. Opia.*25*. Olmeto. *26*. Ties.Gociano. *28*.Botila.*29*.Ababata.*30*.Gillara.*31*.Oſea. *32*.Sponi.*33*.Salarona.*34*.Neapoli.*35*.Oriſiagni.

ſiagni.*36*.Copara.*37*.*S*ardina.*38*.Ores.*39*. Toralba.*40*.Babilonia. *41*.*S*alari. *42*. Vyllatyrda.*43*.VilladGleſia.*44*.*Corte*.*45*.Niola.*46*.Baſtia. *47*. *S*.Fiorezo. *48*.Oſtrilane. *49*. Piaggia di Corſari.*50*. *S*.Franciſco.

IV. SICILIA numerat civitates viginti ſex. 1. Nieſſina. 2. Miazo. 3. Patti. *4*. Toſa. 5. Cifalu. 6. Palermo. 7. Amar. 8. Trapano.*9*.Marſella. *10*. Mazara. *11*. Gergenti.*12*. Tarranova. 13. Camrana. 14. Raguſa.15. Motyca.16. Nota.17. *S*yracuſa.18. Leontini.1*9*.Catania.*20*.Taormia.*21*.Randazzo. *22*. Ciſaro.*23*. Traina. *24*. Nicoſia. 25.Enna.

V. BELGIUM numerat provincias tredecim; civitates verò ducentas & decem.

I. FLANDRIA habet civitates triginta.1.Gendt.2.Bruges.3. Ypre. *4*. l'Isle. 5.Douay. *6*. Tornay. 7. Cortray. 8.*A*ldenarde.*9*. *A*loſte. *10*. Hulſt.*11*. Tenermund. *12*.*B*irflet. *13*.Neuport. *14*. *S*luys. 1*5*. Dunkerk. 1*6*. Graveling. 17. *B*urburg. 18. Damm. 1*9*. Dixmuyde. *20*. Furne. 21. *A*rdenburg.22.Ninova.*23*.*B*ergues. *24*. Gerardsberg. *25*. Caſtel. *26*. Donze. *27*. Or-

chiare.

chiare. 28. Lanoue. 29. Axelle. 30. Oſtende.

II. BRABANTIA habet civitates viginti ſex. 1. Maeſtricht. 2. Lira. 3. Vilvorde. 4. Gemblours. 5. Joudoigne. 6. Hannut. 7. Landen. 8. Halen. 9. Leeuvven. 10. Schienen. 11. Herentals. 12. Eindoven. 13. Helmont. 14. Grave. 15. Anvers. 16. Bruxelles. 17. Loven. 18. Bolduc. 19. Mechlinia. 20. Nivella. 21. Duffel. 22. Turnhout. 23. Orſchot. 24. Arendonc. 25. Merchtem. 26. Wavre.

III. HOLLANDIA habet civitates quindecim. 1. Durdrecht. 2. Harlem. 3. Delpht. 4. Leyden. 5. Amſteldamum. 6. Gouda. 7. Naerden. 8. Muda. 9. Weſop. 10. Edam. 11. Mûnchdam. 12. Purmerenda. 13. Almeria. 14. Enchuyſa. 15. Horn.

IV. ZELANDIA habet civitates decem. 1. Middelburch. 2. Uliſſinghen. 3. Armuyden. 4. Vere. 5. Goes. 6. S. Martensdyk. 7. Tolen. 8. Zierxzee. 9. Bommene. 10. Goerce.

V. GELRIA habet civitates octo & viginti. 1. Neumague. 2. Rurmund. 3. Zutphen. 4. Arnheim. 5. Hattem. 6. El-

burg.7.Hardervvic.8.Wagening.9.Tiel. 10.Bomel. 11.Bronchorſt. 12. Doesburg. 13. Doetecon. 14. Geldre. 15. Buren. 16. Venlo.17.Vagedie.18. Strale.19. Wachtendonk. 20. Echt. 21. Nieuſtat. 22. Keſſel. 23. Midler. 24. Grieckenbeke. 25. Montfort.26.Lochem.27.Groll.28.Bredevord.

VI. ARTESIA habet civitates triginta quinque. 1. Arras, 2. *S.*Omer. 3.Bethune. 4. Arien. 5. Heſdin. 6.Lens.7.Bapalme.8.*S.*Pol.9.Perne. 10.Lillers.11.Arques. 12.Aubigny.13.Aveſnes.14.Auſſy. 15.Beaurains.16.Blangy.17.Buſquoy.18. Carvin.19.Caumõt.20.Choques.21.Doorier.22.Franquenberghe.23.Freſſin.24. Fleurbay.25.Frevene.26.Frages.27.Gorgue.28.Hennin.29.Huchin.30.Hoſdain. 31.Labroye.32.Libourg.33.Oiſy.34.Pas. 35.Richebourg.

VII. HANNONIA habet civitates viginti quatuor. 1.Mons.2.Valencennes. 3.Condé.4.Landreſy.5.Chimai.6.Halla. 7.Bouchain.8.Queſnoy.9.Beaumont.10. Philippeville. 11. Mariebourg. 12. Bavais. 13. Maubeuge. 14. Bins.15.Reux.

16.*Soi-*

16. Soigny. 17. Braine le conte. *18.* Engien. 19. Lessine. *20.* Chevre. *21.* At. *22.* *S.* Guillein. *23.* Leuye. *24.* Avesnes.

VIII. NAMOUR habet civitates quatuor. 1. Namour. *2.* Bovines. 3. Charlemont. *4.* Valencourt.

IX. TRANSYSALANIA habet civitates octo. 1. Deventer. *2.* Campen. *3.* *S*vvoll. *4.* *S*teenvvyck. 5. Vollenhova. 6. Hassella. 7. Oetmars. 8. Oldenseel.

X. LUTSENBURGUM habet civitates viginti. 1. Lutzenburg. *2.* Arlon. 3. Rodemachern. *4.* Didenhoven. 5. Gravemachern. 6. Köningsmacheren. 7. Dierich. 8. Virton. 9. Echternach. 10. Viande. 11. Bastonach. *12.* Mommedy. 13. Neucastro. 14. Danvillers. 15. Marville. 16. Rocca. 17. Durbis. 18. *S.* Veit. 19. Martza. *20.* *S*alm.

XI. FRISIA habet civitates duodecim. 1. Leeuvvarden. *2.* Zuichem. 3. Doccum. *4.* *S*neca. *5.* *S*taveren. *6.* Harling. 7. Franeck. 8. Damm. 9. Bolsvvard. *10.* Ilsta. 11. *S*loten. 12. Worchum.

XII. ULTRAJECTUM habet ci-

 vita-

vitates quinque. *1.* Utrecht. *2.* Vianen. 3. Iſelſteyn. 4. Culenborg. 5. Amersfort.

XIII. GROENINGA habet civitates tres. *1.* Grœning. *2.* Dam. *3.* Delfzyl.

Vel hinc accedit numerus trecentarum ſexaginta quatuor civitatum ſuperiori.

VI. HELVETIA poteſt eſſe appendicis loco, quòd ſuis legibus vivat ab aliquot ſeculis, & per montes diffuſá, uti permulti populi intra Sinicum Imperium.

I. TIGURUM habet civitates triginta ſeptem. *1. Zurich.* *2.* Grifenſee. *3.* Kyburg. *4.* Regensberg. *5.* Wadiſchvvyl. 6. Louffen. *7.* Steyn. 8. Winterthur. *9.* Elgovv. *10.* Rutty. *11.* Grimingen. *12.* Pfeffikon. *13.* Audelfingen. *14.* Egliſovv. *15.* Bulach. 16. Cappell. 17. Talvvyll. 18. Horgen. 19. Zug. 20. Egery. 21. Bara. *22.* Cham. 23. Andresdorf. 24. Hunelberg. 25. Wacheville. 26. Steyn Huſen. *27.* S. Wolfgang. *28. Baſel.* 29. Farensperg. 30. Rinfeld. 31. Wallenburg. 32. Homburg. 33. Munchenſtein. 34. Ramſtein. 35. Raperſvvyl. 36. Straesberg. 37. Kilchberg.

II. WIFLISPURG habet civitates qua-

quadraginta duas. *1.* Wiflisburg. 2. Hasli. 3. Underſevven. 4. Frutingen. 5. Sana. 6. Aelen. 7. Thun. 8. Louppen. 9. Signovv. 10. Drachſelvvald. *11.* Bradis. 12. Sico-misvvald. *13.* Burgdorff. *14.* Biereneck. *15.* Landshuot. *16.* Arberg. *17.* Nidovv. *18.* Erlach. *19.* Bippium. *20.* Wangen. *21.* Arvvangen. *22.* *A*rburg. *23.* Biberſtein. *24.* Schenckenberg. *25.* Lentzburg. *26.* Zoffingen. *27.* *A*ravv. *28.* Bruck. *29.* *Geneve.* *30.* Hermance. *31.* Yuoire. 32. Thonon. *33.* Evian. *34.* Bordigny. *35.* Bonne. *36.* Chaſtelet. *37.* Pom̃ier. 38. Copet. 39. Nion. 40. Rolle. *41.* Morges. *42.* *A*ubonne.

III. ARGOVIA habet civitates ſeptendecim. *1.* Lucerna. *2.* Wiken. *3.* Sempach. 3. Williſovv. *4.* Rott. 5. Habspurg. 6. Waggis. 7. Ebicon. 8. Horba. 9. Krientz. *10.* Ury. *11.* *Suitz.* *12.* Undervvald. *13.* Kernvvald. *14.* *Glaris.* *15.* Hamburg. 16. Humberg. *17.* Ringenberg.

Alteram appendicem percurremus gnaviter, quòd modò contrahatur, modò extendatur quicquid Ottomannicus tyrãnus ex Europæo ſibi rapuit orbe. Rapuit autem univerſam Græciam; rapuit

 Thra-

Thraciam; decerpsit quantum licuit per nostra peccata, quantum indulsit summus arbiter rerum, ex Podoliâ, Moldaviâ, Walachiâ, Slavoniâ, Hungariâ; inhiat Europæ, adeoque orbi terrarum. Intelligis itaque lector benevole, ipsam Europam appositè quadrare ad Imperium Sinicum; in nonnullis superiorem, etiam quandoque inferiorem demonstrari: exertum vides digitum, qui otium tuum ad hasce tabulas dirigit.

Refert sanè Lipsius Romani Imperii sub Claudio provincias fuisse in Asiâ Colchidem, Iberiam, Albaniam, Pontum Bosphorum, Cappadociam, Galatiam, Bithyniam, Armeniam, Syriam, Arabiam, Palæstinam, Ciliciam, Pamphiliam, Lydiam, & Asiam totam minorem. In Africâ, Ægyptum, Cyrenaicam, Marmaricam, Gætuliam, Africam propriam, Numidiam, Mauretaniam, aliasque minores, aut ignotiores. In Europâ, Italiam, Hispanias, Gallias, Inalpinos, Rhætiam, Noricum, Illyricum, Macedoniam, Epirum, Græciam, Thraciam, Mæsiam, Daciam, Pannoniam. Repo-

net mihi Sinicus scriptor, coaluisse quidem sub unum hasce provincias imperium, non diu continuisse; suum verò expeditiones fecisse longinquas, domuisse populos intra & ultra Gangem adeoque Indum, deduxisse colonias, imperio semper incolumi, nunquam discerpto, cùm laciniarum nulla habeatur ratio. Si idem Lipsius referat, lapidem Ancyranum, in quo Augustus clarè dicit in suo Consulatu sexto lustrum condidisse, quo lustro censita sunt civium Romanorum capita quadragiens centum millia & sexaginta tria, (4000063.) Sinicus ogganniet, non omnes cives Romam incoluisse, sed devictis populis aut viris benè meritis jus civitatis datum, ad augendum numerum. Si Josephus scribit de solâ Ægypto, habere eam septingentas & quinquaginta myriadas hominum, 7½. millionem, Alexandriâ exceptâ (qui ipsi ad centena aliquot millia ascenderint) idque liquere ex tributo, quod in capita singuli pendunt; regeret Sinicus, neq; ullam aliam regionem tantum

unquam mortalium tulisse, belli utique expertem, & uno Pelusio adeundam. Si Suidas tradit, quomodo *A*ugustus omnes subditos viritim numerare voluit, ut sciret, quanta multitudo esset; Et quòd reperti sunt Romanam ditionem incolentes quadringentæ & decem myriades, mille & septendecim viri (41001017.) contendet Sinicus, sese exæquare aut superare computum. Neque audiet Tertullianum, de suo ævo, id est Severi Imperio verba facientem: Certè quidem ipse orbis in promtu est, cultior de die, & instructior pristino. Omnia jam pervia, omnia nota, omnia negotiosa. Solitudines famosas retrò fundi amænissimi obliteraverunt, sylvas arva domuerunt, feras pecora fugaverunt, arenæ seruntur, saxa panguntur, paludes eliquantur. Tantæ urbes, quantæ non casæ quondam. Jam nec Insulæ horrent, nec scopuli terrent: ubique domus, ubique populus, ubique respublica, ubique vita. Summum testimonium frequentiæ humanæ, onerosi sumus mundo: vix nobis elementa sufficiunt: & necessitates arctiores, & querelæ apud

apud omnes, dum jam nos Natura non sustinet. Sinicus hæc sua faciet, & vel per culturam montium probabit.

Caput VIII.

Vrbes, Civitates, municipia, pagi, castella & munimenta.

Urbes præcipuæ magnitudinis nobilitatisque sunt in hoc imperio 150. inferioris ordinis 1226. omnes altis muris fossisque munitæ. Inter urbes & civitates subinde non adeò magna est distinctio, si ipsam tantummodò magnitudinem spectes; occurrunt enim subinde civitates urbibus æquales, vel majores. Sola distinctio oritur à vario Præfectorum titulo ac authoritate, juxta politicas & consuetudinum Sinicarum leges. Nam urbes omnes civitatibus dignitate præstant, non item incolarum aut rerum affluentiâ: urbes Fu, civitates Cheu vel Hin, nempè majores minoresve vocant. Municipia ac pagi sunt magnitudine & commerciorum frequentiâ cum civitatibus sæpè comparandi, præcipuè quos Chin vocant; quia verò

muris carent, magiſtratibusque propriis, civitatis nomen ferre nequeunt, & à proximis magiſtratibus reguntur. Militaria quamplurima ſunt loca, innumera caſtella, oppida, municipia ac pagi, & Europæis urbibus ſæpè haud multum cedunt, vixque ad numerum revocantur.

Vrbes pleræque ſibi ſunt ſimiles, ſolâ magnitudine, vel emporii frequentiâ ſe ſuperant invicem: figuræ ut plurimùm quadratæ, mœnia habent lata altaque, coctili laterculo, vel ſecto lapide ſtructa, aggeſto aggere firmata. Circum foſſa ingens, debitisque intervallis prominentes turres altiores, eæque quadratæ, non abſimiles antiquis illis, quæ adhuc extant, Romanorum muris. Quælibet porta duplex eſt, duplices habet valvas; inter portas area interjacet, militum exercitationi dicata. Primas valvas ſeu portam ingreſſo, altera non apparet, à latere, non ex adverſo ſita: Illa duplici firmata muro, figuram faciemque Europæorum exhibet propugnaculorum. Portis impoſitæ præcel-

ſæ at-

ſæ atque inſignes turres, ad militum ſtationem, armorumque cuſtodiam, veluti totidem armamentaria: inſigne omninò opus, ſi tam inſignes nactum eſſet propugnatores. Pro portis diffuſa latè longeq́ue ſuburbia, in quibus ſæpè vix minor habitantium numerus, quàm in ipsâ urbe. *S*ingulæ urbes & omnes ferè civitates, paululum à mænibus remotam, loco amæniori frequentique magis, unam ut minimum habent turrim, ex his, quas antiqua gentis ſuperſtitio ſortis proſperæ aut adverſæ omen finxit portendere. Novizoniæ, aut ſaltem ſeptizoniæ ſunt, quarum admiranda prorſus ſtructura atque altitudo ſub paragrapho Turres docetur.

Munimenta à civitatibus atque urbibus nihil prorſus differunt, ubicunque locorum occurrant, niſi quòd præſidium alant militare; cùm eadem mænium ac vicorum ubique ſit forma, tàm in munimentis, quàm in urbibus ac civitatibus: neque

enim diſtinguuntur, ut per Europam, juxta propugnaculorum aut figuræ formam vel multitudinem, ſed propter incolas. Sic Tiencin munimentum in ultimo ſinu maris Çang, ac angulo jacet, ubi totius provinciæ Peking flumina concurrunt; altiſſimaq; ac fortiſſima mænia longiſſimo tractu prætergreſſa mari ſe miſcent. Emporium, cui vix ullum par: tanta loci eſt amplitudo, tantæ opes, tantus ædificiorum ſplendor ac frequentia, quòd ex mari, mediterraneiſque Sinarum locis huc omnes confluant naves. Biduum vix ſuffecerit, per eas iter facienti, quæ ſtationem firmant ad utramque ripam, uti ſæpius compertum. In Xanſi provinciâ numerantur quatuordecim munimenta, quorum pleraque ipſas civitates magnitudine & frequentiâ ſuperant. In provincia Xenſi novem ſunt præcipua, tum extra, tum intra murum ſita, tum etiam per provinciam ſparſa, præcipuè in occidentali parte contra regna Caſcar, Samahan & Tanyu. In ipſo muro magno, ab ortu in occaſum ſunt 6. præter alia minoris notæ ac nominis. In provinciâ Xan-

tung,

tung, ubicunque maris eſt receſſus, aut navium ſtatio, præcipuè ad fauces fluviorum, erecta ferè ſunt munimenta, hîc præcipua tredecim. Chekiang provincia vel 15. numerat munimenta in maris littore, contra Japonum præcipuè excurſiones extructa, & ad maris cuſtodiam. In provinciâ Fokien munimenta ſunt *13*. ad maris cuſtodiam, & inter illa, Ganhai ac Hiamuen emporia nobiliſſima. Ganhai adhæret continenti, habetque portum ſat commodum, ac opportunam navibus ſtationem; ſitum ad fluvium, quem maris æſtus ſæpe retrò compellit: ad orientalem partem eſt pons planè magnificus longus *250*. paſſus, totus ex lapide nigricante, in multos arcus porrectus. Hiamuen nihilo inferior, niſi quòd inſulam occupet, non multùm à continenti. Hollandi ſanè aliquoties hæc ſpectarunt loca, & magnas ac ditiſſimas paſſim vocant civitates, quæ tamen eo numero à Sinis minimè habeantur. Provincia Quangtung decem habet munimenta: Queicheu adverſus monticolas decem: Quangſi duo: Junnan undecim, Bengalam verſus.

Militares tum urbes, tum civitates vocantur, quia illarum incolæ plerunque veterani ſunt milites, aut eorum filii, ſive nepotes, quibus Imperator Sinicus parentum cōcedit ſtipendia, agroſque vicinos viritim diſtribuit: quâ arte eos ab invicem ſeparat, cùm bella ceſſant. Ita remuneratur eos, & ad obſequia habet promtos, cùm eorum indiget operâ; ſimulque per confinia regni diſtributi ſunt præſidio. In Suchuen quatuor ſunt: in Quanſi tres; & habitant milites permixti civibus, quemadmodum in Civitatibus militaribus, quarum undecim inveniuntur per provinciam Huquang: Junnan verò ſaltem duas, nulli urbi ſubditas.

Civitates ſub urbibus ſuis continentur, ſed ſunt quædam extra ordinem, contra Tartarorum ſubitas excurſiones atque impetum, ſi fortè murum transcendere conentur, optimis ac munitiſſimis à natura locis conditæ: tres in provinciâ Peking, ubi militum habitant præfecti. Sunt tamen aliæ civitates, quas Sinæ non Fu, ſed Cheu vocant, aliasque

que ſub ſe habent minores, Hien dictas. Licet autem Cheu aliquibus civitatibus præſint, non habent tamen urbis nomen, aut dignitatem: niſi quòd dicantur civitates majores, quales Xanſi habet tres: Honan unam, quæ territorii præſtantiâ ac fertilitate, magnitudine ac incolarum frequentiâ urbibus multis eſt æqualis, adeò ut quinque civitates regat; uti Suchuen octo, ne nimirum plures cenſeantur urbes, urbiumque præfecti exurgant: Huquang duas, quarum una quatuor, altera ſex alias regit: Kiangnan verò quatuor: Fokien unam, ſub quâ aliæ tres: & Quangſi undecim.

Peking vel Xuntien accepit mænia anno C. 1404. quadrati formâ, quadraginta Sinenſium ſtadiorum ambitu ($2\frac{1}{2}$. mill.) viginti cubitorum altitudine ab omni armorum genere inſtructiſſimis turribus debito ordine diſpoſitis, profundâ inſuper foſsâ circumundique excavatâ, duodecim portis. Ad auſtrum duobus muris cingitur, altis ac fortibus, quorum ea eſt latitudo,

ut ſa-

ut facilè currentes equos duodenos capere possit, sine ullo impedimento: constant muri ex opere lateritio, nisi quòd in pede saxis ingentibus tota murorum moles insistit: mediis in mænibus pro latere confertam terram injecerunt; altitudine non parum superant Europæos. In his mœnibus per nocturnas vigilias militum turmæ, ac si omnia bello arderent, excubant: Eunuchi de die ad portas præstolantur prædam.

Sigan, metropolis in Xensi, mænia habet trium milliarium fortissima, in quibus turres aliis longè eminentiores, egregio elaboratæ opere, debitis dispositæ intervallis. Urbs ad australem Crocei fluminis ripam, ita acclivis est, ut ædificia montem paulatim subeuntia, unà cum mænibus, quasi amphitheatrum quoddam jucundissimo aspectu repræsentent, cui subjectus fluvius non parum elegantiæ ac commodi affert.

Chunking urbs in *S*uchuen, si quæ alia in hâc extremâ Asiâ, quamvis splendidam Europæ urbem refert, in monte sita, in cujus acclivi ascensu sensim attolluntur

ædi-

ædificia ad amphitheatri modum, alia aliis altiora, pulcherrimo aſpectu intuentium oculos invitantia, maximè eorum, qui per fluvium, ultro citroque elegantibus commodiſſimisque navigiis feruntur. Emporium utique celebre, ad confluxum duorum ingentium fluminum, Pa & Kiang.

Cinan, metropolis per Xantung, ingens & frequens urbs, ædificiorum ſplendore ac magnitudine inclyta, paludoſo jacet loco, intra & extra mœnia habet lacus, unde tota naviculis eſt pervia, ita tamen, ut pedes quoque totam perambulare poſſit, quamobrem pontes lapideos numerat non paucos.

Sucheu urbs, quam ampla eſt, in placido aquæ potabilis flumine conſtructa eſt, quod lacum potius quàm flumen dixeris, perinde hîc atque Venetiis, ubique in plateis, tum terrâ tum aquâ patet deambulatio. Sed in eo Venetias ſuperat, quòd aquam potui atque uſibus humanis aptiorem obtineat. Pontes intus ac fontes habet innumeros, pauciores tamen, quàm metropolis Hangcheu, inter eos multi

magni-

magnificè ſtructi, ex ſolido lapide omnes; quidam pluribus arcubus aſſurgunt, alii in rivis anguſtioribus intra ipſam urbem, uno ſæpè fornice abſolvuntur. Vici omnes atque ipſa ædificia, pinis, feſtucatione machinisque altè in ipſum fundum adactis, uti apud Europæos in ulginoſo fieri ſolet fundo, inſiſtunt: ubique ferè brachia fluminum, canalesque, navium capaces, quibus ad mare, ab ipsâ urbe etiam, majoribus navigiis exitus patet, à quo trium dierum itinere urbs diſtat. Nec longè abeſt amplus lacus Tai, ex quo flumina procurrunt in mare, unde incredibilis navium, mercium, mercatorumque copia hîc continenter verſatur. Urbis mænia quadraginta ſinica ſtadia (2½. mill.) ſuâ peribolo complectuntur; at ſi ſuburbia connumerentur, haud dubium, quin centum, eoque amplius ſtadia reperiri queant. (6. milliar.) Huc merces Luſitaniæ, Indiæ, Japoniæ, aliæque conferuntur; hinc Sinicæ exportantur.

Xaohing urbs, magnitudine metropoli

poli cedit, nitore eam ſuperat. Celebris à virorum in eâ eruditorum ac literatorum numero, ingeniorumque præſtantia. Situ jacet commodiſſimo, in medio aquæ potabilis, Venetam urbem, ſi quæ alia referens, niſi quòd aquarum, aliarumque rerum omnium munditiè longè exuperet, tota albis, quadratisque ac ſectis lapidibus conſtans, qui Tiburtinis ſimillimi. nulla abſque canali aut ductu aqueo platea, utrinque viæ latiſſimæ eodem ſtratæ lapide: domuum parietes eodem ſtructi, quod alibi apud Sinas inſolens omninò, ac viſu perceptum: pontes ex eodem intra mænia quamplurimi, at majores etiam extra urbem non pauci, debitis locis ac ordine ipſi canali ſuperimpoſiti ac aquæductus.

Lincing civitas ſub Tungchang, & populi frequentiâ, & rerum copiâ, ædificiorum ſplendore ac emporii celebritate præſtat, adeoque paucis in toto cedit imperio: jacet enim, ubi Guei fluvius, & Jun aquæductus confluunt, unde ex totâ propemodũ Sinâ naves ac merces excipit: habet

habet telonium, in quo portorium mercium, ac vectigal à tribus exigitur præfectis. Turris extra mænia est præstantissima.

Hangcheu, (quæ Marco Paulo Veneto est Quinsai,) in provincia Chekiang metropolis, dicitur Sinarum eruditis Kingsu, vulgò Kingsai, quæ vox propriè Regiam denotat.

Hæc est urbs illa, quæ altissimos ac innumeros penè pontes tum intra mænia, tum extra ea habet in ipsis suburbiis. Nec à vero aberunt multum decem etiam millia illa, si pontibus arcus triumphales accenseas, ob fornicis similitudinem. Ibi est lacus Sihu, quadraginta Italicorum milliarium, non quidem intra mænia, sed tamen eadem ab occasu in Austrum longo lambit tractu, perluitque urbem per complures Canales. Ripæ per lacum ita templis, monasteriis, palatiis, musæis, ac privatorum domibus omni ex parte sunt obsitæ, ut intra amplissimam urbem, non ruri versari te credas. Eædem ripæ undique quadrato sectoque lapide erectæ sunt, latissimâ ambulantium commodo relictâ viâ.

Viæ etiam quędam per ipſum lacum tranſeunt, pluribus iisque altioribus pontibus, ſub quibus naves trajiciant, inſtructæ; quibus inambulantes totũ lacũ ultro citroque poſſint circuire: adeò ut & urbi accenſeri poſſint. Hæc eſt illa urbs, quæ intra mænia montem habet ad Auſtralem partem Chinghoang, in quo turris illa cum cuſtodibus, ubi horarum ſpatia clepſydrâ metiuntur, & ſingulis horis exponitur tabella, quam aureis eisque ſeſquipedalibus inſcriptam literis in parato habent. Hîc plateæ omnes quadratis ſunt ſtratæ lapidibus; hîc ob paludoſum locum plures ducti ſunt canales, & navium capaces: hinc Imperator in Oceanum fugit, per fluvium ingentem Cientang, cujus latitudo excedit milliare Germanicum, uti ad Auſtralem urbis partem in mare verſus ortum prorumpit. Urbis ambitus centum, eoque amplius occupat milliaria Italica, quæ reddunt viginti quinque germanica, ſi maxima ſuburbia connumeres, quæ ab omni parte latiſſimè excurrunt, unde ad quinquaginta ſtadia conficias Sinica (tria mill. germ.) à Boreâ in

Au-

Auſtrum rectà obambulando, per frequentiſſimas plateas, in quibus nihil à populo, domibusque vacuum reperturus ſis: quo ferè modo ab occaſu in ortum pergere licet. Hîc quatuor turres Novizoniæ; quindecim millia ſacrificulorum; ſexaginta millia textorum Sericorum; tantus numerus mortalium, ut dicatur urbs abſumere ſingulis diebus decem oryzæ ſaccorum millia: ſaccus autem quivis tantum oryzæ continet, quantum centum hominibus die uno alendis abundè ſufficiat: mille porci indies mactantur, præter vaccas, capras, oves, canes, anſeres, anates, aliaque hujuſmodi animalia, cùm tamen civium magna pars à carnibus abſtineat, ex idolorum ſecta, jejunium quodam̃odo perpetuum obſervantium. Neq; minor piſcium copia, qui etiamdum vivi per totam urbem deferuntur venales, à quibus etiam ſibi temperant abſtemii illi Pythagoræi, nihil, quod vivum aliquando fuerit, attingere auſi.

Paoning urbs ad ripam Kialing, in Suchuen habet territorium amphitheatrale, quod montes ad coronæ modum cingunt

univer-

universum; unde & nomen factum, ob fauces montium arctissimas, & aditus valdè paucos, quibus etiam fortissima sunt apposita munimenta.

Iengan, in Xensi sita est ad ripam lacus Lieu, loco amæno, rerumque omnium feraci: ad urbis amænitatem plurimùm facit mons, ipsis mœnibus inclusus, variis tum publicis, tum privatis ædificiis spectandus.

Yencheu, urbs haud ignobilis, quæ utique è Taiminga familia regem habuit: quod verò eam ex Sinarum æstimatione nobilitat maximè, est, quod Cungfutius, celeberrimus philosophus, sit natus in ejus territorio, civitate scilicet Ceu, ubi non pauca illi dedicata fana, gratæ posterorum memoriæ monumenta.

Honan urbs, quæ & provinciæ nomen dat, Sinis dicitur centrum, seu umbilicus totius mundi, quòd in meditullio sit Sinæ: Ea Sungæ Imperatoriæ familiæ authorem Sinis dedit Vuum: is, cùm Xangæ familiæ bellum inferre cogitaret, arma ac reliqua omnia hîc adornavit. Cina familia Sanchuen dixit urbem, quòd

quòd tres aquas ſignificat: revera enim jacet inter tria flumina.

Caifung in Honan magna, dives, & populo frequens, ædificiorumque ſplendore illuſtris erat, quæ anno C. 1641. aquis ferè tota hauſta fuit; poſtquam generosè ac fortiter longam multorum menſium pertuliſſet obſidionem à rebellibus Sinici Imperatoris. Jam tamen utcunque priſtino reſtituitur decori, abeſtque à Croceo fluvio ad unum ferè milliare Germ. Auſtrum verſus, humiliori ſita loco, Pien fluvio vicina, qui eam ab ortu, auſtro & occaſu alluit, ipſius Crocei ramus. Cùm autem ſuperficies Crocei fluvii, ſeu perpendiculum aquæ altius ſit ipſa urbe, ingentibus ex quadrato ſaxo ſtructis aggeribus, ad trecēta & plura ſtadia (per 20. mill. Germ.) aquas continent, earumque periculum ab urbe avertunt. Ac tuta quidem omninò illa fuiſſet, niſi datâ operâ aggeres à militibus fuiſſent effracti, qui rebelles, urbem obſidione prementes, aquis mergere cogitabant: ſed urbem ipſam eluvio ac ruinà involvit.

Siun,

Siun, quondam urbs, nunc ex ſubverſione lacus eſt, ſub Taming.

Tung eſt lacus ſub Kiuncheu, ex dehiſcente oppido.

Chin, lacus eſt ad auſtrales partes Pexing, in Junnan, ex ruinâ ingentis oppidi effectus, quod ob incolarum ſcelera terræ hiatu abſorptum referunt Sinæ: hinc non niſi puer unicus, lignis vectus, communem evaſit ſtragem.

Nanking nunc Kiangnan, fuit antiquorum Imperatorum priſca aula, hîc enim U, Cyn, Sung, Ci, Leang, Chin & Tanga familia auſtralis ſedem ſtabilem, regiamq; fixêre; atque illic Taiminga quoq; regnavit familia aliquanto tempore, donec Pekinum migravit, ut ſic faciliùs è viciniâ Imperator obviam iret Tartarorum conatibus, ſi quid fortè molirentur. Hîc, incredibilis omninò numerus navium, quia regio tota fluminibus, lacubusque irrigua, ac in omnes totius extremæ Aſiæ partes inde pateat iter, atque omnes ferè huc, quocunq; demum ulterius tendant, convenire neceſſum habeant. Urbs Nanking, ex Sinarum Geographorum ſenten-

 tiâ,

tiâ, totius orbis urbes non magnitudine tantùm, ſed & pulchritudine ſuperat. Et reverà, ſi æqui rerum æſtimatores eſſe velimus, paucis omninò judicanda videtur inferior; ſiquidem per interiora ut plurimum plana eſt, niſi quòd amæniores hinc inde aliquot attollit colliculos: plena ubique palatiis, fanis, turribusque altiſſimis, è quibus inter cæteras una eſt, quæ ſuâ magnificentiâ longè illam ſuperat, quæ in provincia Xantung, ſub paragrapho Turres inferius deſcribitur.

Plurimos habet pontes lapidibus, pluribus arcubus fornicibusque ſuffultos, publicis privatisq; ædificiis, cæli ſalubritate ac clemẽtia, ſoli feracitate, ingeniorũ præſtantiâ, morum cultu ac ſuavitate, ſermonis elegantiâ, nulli alteri ſecunda. Palatium hîc fuit ampliſſimum, quadrati figurâ, cujus unum latus ſupra miliare Italicum ducentos ferè paſſus (¾. mill. germ.) continebat, totum muro, qui maximam ac præcipuam urbis partem complectitur, incluſum. Murus hic duodecim portis interrumpitur, quas laminæ armant ferreæ, & hinc inde bellica tormenta, adeò

ut am-

rut ambitus conficiat viginti Italica milliaria. (quinque germanica) Accedit huic & tertius urbis murus, non quidem continuatâ ubique serie extructus, sed in iis tantùm locis, ubi majus aliquod imminere periculum videtur, arsque naturam juvare potuit. Ejus magnitudinem ita describunt Sinæ, cùm dicunt, per eandem portam duos manè emissos equites, in contrariam partem procurrere jussos, vesperi primum sibi mutuò occurrisse; unde facilè urbis vastitas ac magnitudo colligi possit. Quòd si pernicitatem equorum Tartaricorum expendamus, relatum habemus, eos vel vicena milliaria germanica singulis diebus conficere: utut autem nobis id omnem fidem videatur superare, liceat vel mediam tanti cursus partem assumere; sic denique duo illi equites decurrerint (quisque suum hemicyclum decem milliarium germanicorum) vel viginti milliaria germanica, quorum diameter reddet septem milliaria germanica. Præsidium militare constat quadraginta millibus. A Tartaris urbs ipsa parum aut nihil prisci splendoris amisit, cùm

etiam post bellum ibidem numerentur supra decies centena millia capitum, præter ingens Tartarorum præsidium. Eversum tamen est palatium regium ex odio in illam familiam concepto.

Kiahing peramæno ac fertili loco est sita urbs in Chekiang, cujus territorium undique à lacubus, arteque derivatis canalibus rigatur. Bombycum etiam hîc ubique adeò frequens est educatio, ut veris tempore nulla ab iis vacua sit domus. Urbs ipsa jacet in aquâ dulci, ac ædificiorum splendore atque amplitudine, opibusque floret: intra ipsa mænia derivati quaquaversum canales, plurimis pontibus strati, ripæque solidis saxis ornatæ, navibusque per aquas, ac per eas pedibus iter est. Illud hîc rarum, quod plateas omnes porticus eleganti opere structæ ambiant, sub quibus etiam pluvio cælo siccus tutusque ambules. Arcus triumphales hîc plurimi, tum extra, tum intra urbem, adeò ut in ipsâ canalis ripâ, uno tantùm loco, per quem navibus itur, quindecim è solido marmore, quadratâ mole extructi numerentur. Ibidem pons multis arcubus constans,

ſtans, ſeptuaginta paſſus Sinicos longus; tum novizonium illuſtre. Foſſarum ripæ omnes quadrato, ſectoque lapide exornatæ, totque ad eas pontes, ut nobiliores plurimorum arcuum quadraginta numerentur, cùm minorum vix ſit numerus.

Civencheu urbs in Fokien, eſt ingens & majeſtatica, cujus plateæ omnes lateribus, duplici quadratorum ſaxorum ſerie clauſis, ſtratæ ſunt nitidiſſimè: ſi uſpiam, hîc domus elegantes, ac magnificæ ſunt: tum fanum Caiyuen mirandum.

Socheu eſt fortiſſima urbs, inter munimenta cenſita; in quâ gubernator magnæ authoritatis habitat. Dividitur in duas partes, alteram Sinæ, quos Turcæ ac Aſtracani Catayos vocant; Alteram Saraceni, exterique inhabitant, qui ab occiduis locis iſtuc negotiorum causâ profecti conveniunt.

Macao jacet in exigua peninſula inſulæ majoris, in ipſo promontorio fortiſſimo, ac viribus humanis penè inexpugnabili loco, undique mari cincta, ſi Borealem terræ quaſi linguam excipias. Mare circumcirca habet minimè altum, unde na-

vibus vix patet accessus, nisi per ipsum portum, ad quem egregium est munimentum, quod naves tantum non radere coguntur, portum subeuntes; ubi complura praeclara, atq; insignia sunt tormenta crassiore mole: nusquam enim plura & meliora, quàm hoc in loco conflantur, eaque assiduè nova, ex Japonico ac Sinico cupro, unde toti Indiæ providetur. Quà verò terrâ patet iter, nulla prorsus arbor, nullum impedimentum, adeò omnia oculis atque ictibus pervia. Duo tantummodò egregiè etiam munita castella sunt in vicinis collibus ædificata, quæ non parum roboris ac securitatis ab hostibus ipsi urbi præstant. Ubi nunc urbs est, olim Idolum erat Ama; & quia optima ibi navium statio est, quam Sinæ Gao dicunt, factum est nomen Amacao, quod rectius diceretur Amagao. Sic olim incultus locus à Lusitanis excoli & habitari cæptus est, ipsis concedentibus Sinis, atque ultrò annuentibus: unde non ita multò pòst in celeberrimam hanc ac frequentissimam evasit civitatem, propter multiplex rerum omnium, quæ vel ex Europa, vel ex tota

tota India Lusitanis navibus feruntur, & ex Sina avehuntur, commercium.

Quangcheu metropolis in Quangtung, occupat cum suburbiis ad quatuor milliaria germanica. Lusitani bis quotannis hinc auferunt mille trecentas omnis generis sericorum pannorum arcas, ubi quælibet centum & quinquaginta continet serica volumina, panni rasi, damasceni & hujusmodi. Efferuntur more solito aurei panes bis mille quingenti, quorum singuli decem Toël, singuli Toël tredecim Regales Hispanicos æquant pondere; unde panis quilibet aureus tredecim plus minus fuerit unciarum: Muschi libras octingentas; præter byssum, sericum crudum, aurea fila, lapides pretiosos & gemmas.

Cining inter viginti septem civitates prima, vel metropolin Yencheu, magnitudine, populi frequentia, mercium copiâ, adeoque emporii nobilitate, aut superat, aut æquat. Cùm enim in medio Jun fossæ, seu canalis & aquæductus sita sit, omnes eam necessariò transeunt naves, à quibus hîc portorium exigitur: multæ à mercatoribus hîc merces distrahuntur.

CAPUT IX.

Babylon, Ierusalem, & Roma urbes famosissima.

I. BABYLON.

Cùm stupendæ sint urbes Sinæ, lubet alias subjungere, quæ animos legentium itidem rapiant:

Babylon, sive initium sive caput regni Nimrod, quem Belum vocant, urbs fuit immensi operis, quadratæ figuræ, in campo sita, Euphrate interfluo ferè in duas partes æquales divisa. Murus latere coctili extructus, bitumine interlitus, quinquaginta cubitos altus, tam latus, ut quadrigæ inter se concurrentes tutò commeare possent. Hinc Jeremiæ 51. est murus Babylonis ille latissimus, in eo turres ducentæ quinquaginta, denis pedibus, quàm murus altiores, æreæ portæ centum, fossa extrinsecus latè patens. Ambitus trecenta sexaginta quinque complectebatur stadia (11. mill. germ.) Hominum ducenta millia singulis diebus singula stadia perfecisse

ciſſe leguntur, atque ea ratione totum opus unico anno ad umbilicum perduxiſſe, Domus intrinſecus trium & quatuor contignationum, habitationes minaci proceritate mirabiles, ſpatio duorum ferè jugerum à muris abfuêre. Vias rectas, Euphrati parallelas transverſæ ad angulos rectos ſecabant ab ortu & occaſu ad Euphratem deducentes, fluvium ſtadio latum, quem molis utrinque maximæ crepidines coërcebant. His ſuperſtructa mœnia, qualia in ambitu urbis, cum portis æneis totidem, quot vici eodem ferebantur.

Sed omnium operum magnitudinem ſuperabat lacus prope Sippara effoſſus, altus viginti ulnas; quadraginta paraſangas, ſive 1280. ſtadia (38. mill. germ.) ambitu ſuo complectens, ad accipiendum impetum fluminis, quod ubi appoſitæ crepidinis faſtigium exceſſerat urbis tecta corripuiſſet, niſi fuiſſent ſpecus lacusque, qui exciperent. Refert Herodotus, fluvium redditum valdè tortuoſum, adeò ut eundem pagum etiam tertiùm contingeret, ad frangendum aquarum curſum.

Flumini incumbebat pons lapideus, latus triginta pedes, Cedrinis & cypariſſinis trabibus, ac palmarum truncis contextus. Hic quoq; inter mirabilia Orientis opera numeratus eſt: quippe Euphrates altum limum vehit, quo penitus ad fundamenta jacienda egeſto, vix ſuffulciendo operi firmũ reperiebatur ſolum. Arenæ igitur ſubinde cumulatæ, & ſaxis, quibus pons ſuſtinetur, annexæ, quæ morarentur amnem. Saxa ferreis repagulis ſunt colligata, liquefacto plumbo in commiſſuris infuſo. Illo ponte jungebantur regiæ duæ in utraque fluminis ripâ, mirabili arte fabricatæ; quarum una ad orientem, ambitu triginta ſtadiorum, æneis Beli, Ninique & Semiramidis ſtatuis valdè inſignis. Altera ad occidentem duplo vaſtior, triplici muro cincta, ſtupendæ altitudinis, cum diverſis animalium & venationum figuris ex latere ad vivum expreſſis. Ibidem erat hortus penſilis, quadratus ſedecim jugerum, ſummam murorum altitudinem æquans, multarumque arborum umbra & proceritate amænus. Saxeæ pilæ tanto oneri pares erant extructæ; & ſuper pilas lapide

qua-

quadrato ſolum ſtratum, patiens terræ, quam altam injecêre, & humoris, quo terræ rigabantur, aquâ antliis & tollenonibus, aliisque organis pneumaticis ex Euphrate hauſta. Adeoq; validas arbores hæ moles ſuſtinebant, ut ſtipites earum octo cubitorum ſpatium æquarent craſſitudine, & in quinquaginta pedum altitudinem eminerent, tamque eſſent frugiferæ, ac in nativo ſolo.

In urbis parte oppoſita fuit templum Beli æreis portis, figurâ quadrata, duorum undecunque ſtadiorum amplitudine; in cujus medio turris illa ſolida extructa fuit, teſte Herodoti libro 1. longa & alta (lata) ſtadium; cui alia rurſus turris impoſita eſt, & huic ſubinde alia, ad octavam uſque, in qua fuit fanum ingens, Belo ſacrum. Proinde ſi ſingulæ turres eadem proportione creverunt, totius ædificii altitudo fuerit ſtadiorum octo, id eſt mille paſſuum. quæ altitudo cùm ſit immenſa, nec ullum aliud ædificium legatur vel quadrantem iſtius menſuræ attigiſſe, divinet qui volet, cur hunc numerũ Hieronymus in quadruplũ augeat: arx, inquit in Eſ. l. 5. id eſt capitoliũ

illius urbis eſt turris, quæ ædificata poſt diluvium, in altitudine quatuor millia dicitur tenere paſſuum; Si pedum reſcripſeris paſſuum loco, ſpatium erit juſto brevius: nam ſtadia octo ſunt pedum quinque millia (625. pedibus in unum ſtadium collatis.) Ado in Chronico, ætate prima, pedes in paſſus mutaſſe non contentus, numero aliquid addit pro auctario. Hujus, inquit, altitudo quinquies mille centum ſeptuaginta quatuor dicitur tenere paſſuum, paulatim altioribus in anguſtias coarctatis, ut pondus imminens facilius ſuſtentaret. Deſcribunt ibi templa marmorea, lapidibus pretioſis auroque diſtincta, & multa alia, quæ videntur incredibilia. Cùm autem hæc omnia nitantur Herodoti authoritate, annotavit D. de Grentemeſnil, euros latitudinem, non altitudinem ſignificare. Quæ Ethnici, apud Joſephum & Euſebium Sibylla; apud Cyrillum & Euſebium Abydenus, & Eupolemus apud Euſebium tradunt, ut de Gigantomachia apud Græcos & Ovidium ſileatur, corruptè referuntur tum ex Judæorũ hyperbolicis, tum & traditionibus. Benjamin

jamin ait, Ignis in medium turris cælitus delapſus eſt, & diruit eos, ſcilicet lateres, non homines, quia Moſes ea utitur voce, quæ & diſſipare & confringere ſignificat. Neque etiam conditores ſibi ſic viam in cælum ſtruebant, quòd urbes Chananæorum dicantur in cælum ſublimatæ, quemadmodum Homerus abietem vocat ſublimem, & pſaltes navigantes in cælum excuſſos docet. Errat & Joſephus, qui ſtatuit cauſam, ut aquæ eò uſq; nequirent aſcendere, cùm Iris in recenti memoria eſſet, & altiſſimi potiùs montes inædificandi fuiſſent: profitentur autem ipſi rem, Ut nobis faciamus nomen.

Sed redimus ad templum Beli: in eo ſtatuæ, & menſæ & ſellæ & Carcheſia & crateres ex ſolido auro fuêre, quarũ pretium ex Cteſiæ ſupputatione æquabat ferè quatuor aureos milliones, monetæ Europææ. Nec omittendus obeliſcus, in media platea erectus, ad ſpectantium ſtuporem: Lapis fuit pyramidatus, in Armenia exciſus, & ſummo labore Babylonem advectus, pedum centum triginta longitudinis, & viginti quinque craſſitudinis. Fuit &

eximia porticus, in qua rex jus dicere consueverat; cujus fornix in formam clypei fabricata, & sapphiris tota obducta, Deorum appictis imaginibus, cæli faciem referebat: & aureæ Iynges seu motacillæ quatuor, quæ ex testudine pendebant, adrasteian significantes, regem admonebant, ne se supra hominem efferret, uti habet Philostratus, ut sic fortunæ vices atque instabilitatem, hujus avis perpetua circumactione, designaret. Urbs hæc à Daniele appellatur urbs magna: ab Esaia decus regnorum, gloria superbiæ Chaldæorum: aurea: tenera & delicata, domina regnorum: à Jeremia malleus universæ terræ: flagellum, & instrumenta bellica ad dissipandas gentes & perdenda regna.

Conditæ Babylonis gloriam Semiramidi adstruunt Ctesias, & plurimi alii; sed Herodotus omnibus illis antiquior, eidem saltem tribuit aggeres, quibus Euphratem coërcuit, antea frequentius restagnare solitum; cui & Nitocrin prælatam vult. Nihil autem opus ambagibus, cùm Semiramidis condi-

tura

tura unius Ctesiæ nitatur fide, quæ doctis pridem cepit esse suspecta: illum saltem nemo dixerit cum Beroso conferendum, sacerdote Babylonio, viro tàm magni nominis, ut statuam ei inauratâ linguâ in publico gymnasio Athenienses erexerint, teste Plinio: sed neque cum Abydeno, quem æquè ac Berosum historiam suam hausisse constat ex vetustissimis Chaldæorum archivis & monumentis. Hi porrò, & illos sequuti plurimi, rejectis Græculorum de Semiramide commentis, nullum alium à Belo Babylonis conditorem agnoscunt, Mosi hac in parte congrui; in quo Nimrodum eundem esse cum Belo, Nini patre, ratio temporum palam arguit; nempè quia rebellione, quâ vel in superiores, vel in pares insurrexerat, dictus fuerat Nimrod, id est rebellis; idem à domino Baal vel Bel, id est dominus, post stabilitum imperium vocari cæpit. Nabuchodonosor potuit eandem restaurâsse, uti Hebronem Roboam: aut alteram novam adjecisse, adeò ut muro triplici utramque cinge-

cingeret, aggeribusque ita obſeperet, ut hoſtis Euphratem avertere deſineret in perniciem urbis. Hortos illos penſiles per Græciam decantatos fecit in uxoris gratiam, quæ cùm Meda eſſet genere, montiumq; & nemorum aſpectu delectaretur, in campeſtribus locis virum compulit amænitatem naturæ hoc artificio imitari.

De urbe Oroſius: illam vel humano opere extrui potuiſſe, vel humana virtute deſtrui poſſe, utrumque penè incredibile apud mortales erat. De ea tamen Benjamin in Itinerario: Hæc eſt antiqua illa Babel, jam devaſtata, quæ plateis ſuis, ad triginta milliaria extendebatur, cùm hodieque ibi viſitur palatium Nabuchodonoſoris vaſtatum, eoque homines ingredi verentur, propter ſerpentes & ſcorpiones, qui ſunt in medio ejus. Et quod mirere magis, factum id abſque externa vi: nam in ſolitudinem rediit, inquit Plinius, exhauſta vicinitate Seleuciæ, ob id conditæ à Nicatore intra nonageſimum (lege quadrageſimum) lapidem. Partem urbis, refert Strabo, diruerunt Perſæ, partem tem-

pus

pus consumsit & Macedonum negligentia; maximè postquam Seleucus Nicator Seleuciam ad Tigrim condidit, stadiis tantũ trecentis à Babylone dissitam. Hieronymus super Esaiæ caput 13. Non habitabitur in æternum. Pro illa enim Seleuciam & Ctesiphontem urbes Persarum inclitas fecerunt. Tum tamen extabat adhuc, sed magna ex parte deserta. Pausanias in Arcadicis, postquam questus est Megalopolim veteribus ornamentis, ac priscis opibus amissis, magnâ jam ex parte inter ruinas & rudera jacere, ut magnarum urbium doceat hæc esse fata, etiam meminit Babylonis, his verbis: Illa autem Babylon, quas unquam Sol aspexit urbium maxima, jam præter muros nihil habet reliqui. Curtius è trecentis sexaginta octo stadiis, quæ totius operis ambitus ex ipsius descriptione complectitur, nonaginta solùm habitari scribit, nec omnia contigua esse, quia tutius visum pluribus locis spargi; cætera seri, colique ut si externa vis ingruat, obsessis alimenta ex ipsius urbis solo subministrent. Is certo conditorum consilio contigisse vult, quod ex mera necessi-

cessitate factum. Hieronymus loco superiore ita: Didicimus à quodam fratre Elamita venationes regis esse in Babylone, & omnis generis bestias murorum ejus tantùm ambitu coërceri. & in cap. 14. Exceptis muris coctilibus, qui propter bestias concludendas, post annos plurimos instaurantur, omne in medio spatium solitudo est. Theodoretus in idem caput dicit, inibi habitâsse paucos quosdam, eosque nec Assyrios, nec Chaldæos, sed Judæos: & alibi, Euphratem, qui mediam alluebat, alio divertisse scribit, nec nisi tenuissimum ejus incile per rudera ferri. In eo Sina præcellit, quod paucissimarum habeat rudera urbium; hæc autem Babylon funditus sit eversa, ut vix vestigia ejus inveniantur.

II. JERUSALEM.

Metropolis totius Judææ, in universa terra sancta conspicua; primaria urbs tribus Benjamin, prius Salem, hoc est, pacifica dicta, cùm in ea habitaret rex Melchisedek, pontifex Dei altissimi, qui eam post diluvium ædificavit: nec in principio fuit magna, quòd sita esset tantùm in monte

Sione: quo tempore mons Moriah nondum intra pomæria concessisset, ubi Abraham juberetur filium imolare. Post obitum Melchisedeci, principatum invasere Jebusæi, unde Jebus dicta urbs, & Jebusæum, à Jebus filio Chanaan, quæ Dynastia continuavit per annos octingentos viginti quatuor, etsi Josue regem Jebus occidisset. Erat enim urbs per naturam munitissima, ut Davidi eam oppugnaturo, per cõtemptum viderentur in mænibus collocaturi cæcos, claudos & mutilos propugnatores. Sed David, divinâ adjutus ope, urbe potitur, Jebusæos expellit, Jebussalem, & propter euphoniam Jerusalem dicit, regiâ ibidem constitutâ. Davidis filius, aliiq; reges, succedente tempore, magnam ei accessionem indulsêre, adeò ut validissimis portis, turribus, muris ac fossis, templo & palatiis, præclarissimisq; ædificiis adeò muniverint atque exornarint, unde totius orbis inter urbes miraculum audiret. Forma ejus est quadrata, & Josepho in circuitu triginta trium stadiorum (unius milliaris german.) Partes urbis sunt Mons

Sione:

Sion: Filia Sion, ſeu mons Acra, cum monte Moriah, ubi Templum: Secunda civitas: & Neapolis.

Mons Sion, cæteris excelſior, & in prolixitate directior, in modum theatri, formâ ſemicirculari urbem toto auſtrali tractu ambibat, ac veluti ſpecula in eminenti, ſolidâ & prærupta undique rupe, divinitus fundatus, planiciem habebat, oppidi inſtar, qui amænitate excellentiam & delitias cæli repræſentaret. Verticem primò Jebuſæi valida arce, ambitum verò altis firmisque turribus, muris & portis muniunt: iis expulſis, David arcem & circumquaq; muros, portas ac turres multò munitiores reddit, montis planiciem intrinſecus in plateas & vicos diſtinguit, ſibique & heroibus ibidem domos conſtruit, unde civitas Davidis dici cæpit. Eundem montem Macchabæi per circuitum reſtaurant, ſolidis muris, ac turribus altiſſimis munitiſſimum faciunt, contra vim omnem, præter famis rabiem, aſſerunt, etiam anguſtias viarum præſtruunt, civibus locum habitandi concedunt. Certè Titus poſtridie redditæ urbis ingreſſus, tum alia,

alia, tum munitiones, ac turrium cautes miratur, spontè desertas. Conspectâ denique solidâ illarum altitudine, itemque magnitudine, subtilique singulorum lapidum compagine, quantumque paterent, vel quantum erigerentur, Deo inquit planè adjuvante pugnavimus, & Deus ipse detraxit ab istis Judæos munimentis: nam quæ hominum manus, aut quæ machinæ adversus istas valerent? qualia multa cum amicis familiariter miscuit. Hîc erat arx Sion, antiqua & munita, in vertice montis condita, & instar coronæ eum cingens, tanquam tutum præsidium pro decore & defensione civitatis ac templi. David rex occupato monte abs Hiram, rege Tyri, accipit lapides, ligna & artifices, palatiumque struit, domumq; cedrinam & Solium regium: quodque esset Regia, arctâ militum custodiâ assiduè servabatur. Carcerem regium, cum turri excelsâ celebriorem reddidit Jeremiæ captivitas & liberatio. Mello est vorago ac vallis profunda, ac valdè lata, quæ montem Sion à civitate inferiori discernebat: ab hac voragine rex David montem Sion per gyrum ædifica-

dificavit&munivit:concavitatē Salomon, ut cōmoda eſſet platea, coæquavit, eamq; ædificiis exornavit, quæ collapſa ab Ezechiâ reſtaurantur. Hîc occurrunt Piſcina Sion, magno opere conſtructa; Pons Sion, quo per vallem è civitate ſuperiori ad templum tranſitus erat. Sepulchrum Davidis, de quo in paragrapho Sepulchra. Tabernaculum Sion, pellibus tectū, quod David rex fecit, & in colle montis Sion, qui Gabaon dicitur, collocavit, in quo arcam Domini maximâ veneratione reponeret, conſtitutis Levitis, ſacerdotib. ac cantoribus, per annos 44. cōtinuos, donec à Salomone in templum transferrentur.

Secunda pars urbis eſt Filia Sion, ſeu mons Acra, qui in inferiori civitate olim eminens, & undique declivis erat: ejus altitudinem Simon Macchabæus non intermiſſo per triennium, neque die neque nocte populi labore, humiliorem fecit & complanavit, ut ſolum templum omnibus in urbe locis celſius emineret. Amphitheatrum ſive Circus ſpeculatorius, totus undique rotundus, qualis aliquando octoginta hominum millia capere poterat,

rat[1], ubi populus gladiatorum & beſtiarum pugnas ſpectabat, ab Herode ſeniore, ſumptuoſo opere exædificatus.

Antonia arx valdè munita, olim ab Hyrcano Macchabæo in rupe, quinquaginta cubitis altâ, & undique abrupta extruitur, Turris Baris dicta. Hanc Pontifices à Macchabæis orti, uſque ad Herodem incoluêre, ubi in cella ad hoc ipſum ſtructa, ſacra pontificis ſtola ſervabatur. Sed Herodes major, regnũ adeptus, hanc arcem, cùm opportuno loco, ad cohibendos cives, ne quid rerum novarum per ſeditionem molirentur, ſitam eſſe deprehenderet, eam magno ſumtu reſtauravit, & intus regiâ magnificâ inſtar palatii & civitatis formata, & per quatuor angulos quatuor turribus excelſis (quarum tres quinquaginta, quarta ſeptuaginta cubitis eminebat) communivit, unde totum templum videri poterat, eamque in gratiam M. Antonii triumviri, amici ſui & patroni, Antoniam denominavit, in quâ Romanum excubaret præſidium. Arx Antiochi Epiphanis in inferiori urbe ſuper

Acram

Acram montem ædificatur, sed à Simone
Macchabæo expugnata diruitur. Ex An-
toniâ duxerat Herodes senior cryptam
subterraneam, impositâ turri, in ipsum us-
que templum.

Cùm mons Sion, cui civitas superior
erat inædificata, rupes esset altissima &
prærupta, ut nullibi, nisi in medio, ex par-
te Boreali posset conscendi, facti sunt gra-
dus de civitate David ad inferiorem, in
vallem portarum; ubi è regione vallis Ce-
dron erat porta Sion, altitudine septin-
gentorum & octoginta pedum: fuerit ta-
men & alia obliqua via, quâ currus & equi
uterentur. Inter inferiorem civitatem
& Templum Domini, lata atque profun-
da vallis erat, à porta Benjamitica, per
mediam urbem, usque ad montis Sionis
portam: hinc ascendebatur per gradus ad
utrumque montem, Acram & Moriahm.

Universa hæc urbs in altissimis & præ-
ruptis scopulis sita, expugnari non potuit,
nisi à septentrione, ideoque ex illa parte
triplici muro fuit munita; unde Tito Cæ-
sari immanis fuit suscipiendus labor. Pri-
mus murus Neapolin, exteriora nimirum
subur-

ſuburbia circumdabat, nonaginta turribus ornatus, quæ ad quadraginta aſſurgebant cubitos, ubi in angulo turris pſephina: muri prima fundamenta jecit Herodes Agrippa; ſed Claudii Cæſaris interceptus timore, ne videlicet is conſtructionis magnificentiam ad novarum rerum ſuſpicionem traheret, donec & morte præveniretur: Judæorum tamen ſtudio muri altitudo ad viginti quinque cubitos excrevit, candido relucens marmore. Secundus murus ſuburbia dividebat, quatuordecim turribus munitus: eum ab anteceſſoribus inchoatum, Hiskias rex abſolvit & communivit. Tertius murus templum & inferiorem civitatem claudebat, cui ſexaginta turres inſertæ; Herodes addidit tres candido marmore ſtructas. Cùm Titus univerſam urbem, ſolo æquaret, funditusque everteret, has tamen tres turres ſupereſſe voluit, excubiis dedicatas, ut veſtigia ſpecioſiſſimæ urbis extarent: Adrianus tamen funditus excuſſit. Superior civitas in monte Sion ſuo cingebatur muro.

Hoc loco & illud obſervatione digniſ-

I ſimum,

ſimum, urbem Hieroſolymam (nam à Salomone dicta Solyma, ob templum Græcis fuit Hieroſolyma) non ſolùm amplisſimam & ſpecioſiſſimam fuiſſe civitatem totius Orientis, ut Plinius & Strabo loquuntur, ſed propter munitiones firmiſſimas inſuper etiam fermè inſuperabilem: muri enim urbis ad 25. vel etiam 30. cubitorum aſcendebant altitudinem, candido refulgentes marmore; atque hi lapides marmorei cubitorum erant ſecundùm longitudinem viginti, in latitudine autem ad decem, & in altitudine ad quinque ſeſe cubitos extendebant, tanto artificio compacti, ut nullæ animadverterentur juncturæ. Et ex hujuſmodi lapidibus pleræque etiam turres factæ erant per muros, qui plerunque viginti cubitos lati extabant. Foſſæ firmiſſimis petris ac ſcopulis inciſæ, teſte Strabone, ſecundum profunditatem quadraginta, & in latitudine ducentis & quinquaginta reſpondebant cubitis. Minutias hîc perſequi non licet: reſtant tamen nonnulla ſub paragraphos fanorum, ſepulchrorũ & palatiorum rejicienda. Pæniteret autem, & Ba-

& Babylonem & Hierosolymã Asiæ contigisse, nisi essent extra Sinam: sic transimus ad Europam, quę tot provinciis etiam per Africam & Asiam, adeoque urbibus istis est dominata, unde & pars ejus accenseri possunt.

III. ROMA.

De situ urbis, quam æternam nominare audent, ita Livius: Non sine causâ Dii hominesq; hunc urbi condendæ locũ elegerunt. saluberrimos colles; flumen opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges devehantur, quo maritimi conventus accipiantur; mare vicinũ ad commoditates, nec expositũ nimiâ propinquitate ad pericula classium externarum; regionũ Italiæ medium. Nam Tiberis urbem secat, latus circa eã quatuor jugera (pedes 400.) profundus sic, ut maximas naves suscipiat & portet: mare distat sedecim millibus passuum Plinio, Dionysio centum viginti stadiis, eâdem mensurâ ($3\frac{1}{2}$. mill. germ.) Sub Romulo fuit quadrata: Augusti ævo conferebatur cum Athenis, quibus tributa 25. milliaria Italica, sex germanica. neque Syracusæ fuerint

angustiores. Olympiodorus inquit, Romanæ urbis murus mensuratus ab Ammone Geometrâ, quo tempore Gothi primam invasionem fecêre, habebat spatium unius & viginti milliarium (Martino Polono 22.) Vopiscus de Aureliano: Muros urbis Romæ sic ampliavit, ut quinquaginta prope millia murorum ejus ambitus teneant. De suburbiis Dionysius: Omnia loca circa urbem habitata, sine mænibus esse. in quæ si quis intuens magnitudinem Romæ exquirere velit, frustra eum fore, & hæsurum, ubi desinat urbs, ubi incipiat; adeò suburbana ipsi urbi adhærent & innexa sunt, & speciem immensæ longitudinis exhibent spectanti: asserens, nullam urbium Græcarum sive Barbararum, vel spatii habitati amplitudine, vel imperii tantam fuisse.

Incolarum numerus vix censeatur: nam si Alexandria, omnium confessione post Romam secunda, trecenta millia liberorum capitum; si Cæsarea Cappadociæ quadringenta millia incolarum (quot Lutetia Parisiorum nuper numeravit) Agrigentum Siciliæ octingenta millia; Cairus

in Æ-

in Ægypto ſeptem milliones habuerit, quid de Roma dicemus? Sed ſi Paulum Jovium audiamus, referet, Leonis Decimi temporibus, cùm omnia in felici ubertate & pace, cenſa Romæ octoginta quinque millia civium & inquilinorum: at verò poſt cladem ſub Clemente ſeptimo acceptam, iterum cenſu inito, vix ad triginta duo millia perventum. adeò deſerti ſunt colles & valles, quod de Sinicis Regiis nondum eſt auditum. Quæ ratio ædificiorum fuerit, docet Ariſtides: Nec verò ſuperficiem ſolùm ſoli occupat urbs, ſed longè ſupra exemplum, in aëra altiſſimè aſcendit: Et ſicut vir aliquis, qui robore & magnitudine excellit, alios quoq; in ſe ſublatos ferre gaudeat; ita & hæc non quieſcit, niſi & alias æquales ſibi ſuper impoſitas urbes, alteram ſuper alteram ferat, quod nominis ejus fert ratio, totumque hoc quod hîc videmus, robur & valentia eſt. Adeò ut ſi quis eam diligenter vellet evolvere & diducere, & quæ nunc in ſublimi ſunt urbes, aliam juxta aliam humi collocare; quicquid Italiæ reliquum eſt, id impletum mihi iri videtur, imò futura

una aliqua urbs ad Jonium usque sinum. De altitudine publicorum ædificiorum Rutilius: Non procul à cælo per tua templa sumus. Augustus ob metum ruinarum & aëris coërciti periculum, definivit privatis altitudinem septuaginta pedum. Unde Vitruvius: In eâ majestate urbis, & civium infinita frequentiâ, innumerabiles habitationes opus fuit explicare. Ergo cùm recipere non posset area plana tantam multitudinem ad habitandum in urbe, ad auxilium multitudinis ædificiorum res ipsa coegit devenire. Itaque pilis lapideis, structuris testaceis, parietibus cementitiis altitudines extructæ, contignationibus crebris coarctatæ, & cænaculorũ summas utilitates perficiunt, & despectationes.

De foris idem auctor: Græci in quadrato amplissimis & duplicibus porticibus fora constituunt, crebrisq; columnis, & lapideis aut marmoreis epyistiliis adornãt, & supra ambulationes in contignationibus faciunt: atque hæc ipsa Romani, nisi quòd non quadrata æqualiter, sed oblonga, magis faciunt, nec nisi tertiâ latitudinis parte.

Sed nec columnas tàm crebras interponunt, magis tamen magnis circumpositis ædificiis exornant. Tria erant Civilia Romæ, Romanum, Julium, Augustum; unde Martialis: Atq; erit in triplici par mihi nemo foro: quatuordecim Vænalia. Strabo, ubi Campum Martium collaudasset, addit quæ omnia, si quis videret, dicat, censeatque, reliquam urbem non nisi additamentum campi hujus esse. At idem si in forum Vetus (Romanum) deinde progressus, alia aliis hærentia & consequentia videat, Basilicas porticus, templa, tum Capitolium ipsum, & in eo templa; tum Palatium, & Liviæ ambulacra, is facilè priorum oblivifcatur, & omnium quæ viderat extra urbem. Ammianus sanè refert, Constantii oculos in eo, miraculorum densitate, præstrictos. Et Lampridius in Alexandro: Statuas Colossas, vel pedestres nudas, vel equestres, divis Imperatoribus in foro divi Nervæ, quod transitorium dicitur, locavit: omnibus cum titulis & columnis æreis, quæ gestorum ordinem continerent, exemplo Augusti, qui summorum virorum statuas,

in foro ſuo è marmore collocavit, additis geſtis.

De balneis ita Olympiodorus: Erant lavacra publica ingentia: ſicut Antoniniana thermæ dictæ, in uſum lavantium ſellas habebant mille ſexcentas, è polito marmore, Diocletiani autem circiter bis tantùm; de quibus Blondus, Nec quatuor maxima Italiæ palatia ſimul juncta, poſſe illas unas Diocletianas adæquare. In luxum hunc ita invehitur Seneca: pauper ſibi videtur ac ſordidus, niſi parietes magnis ac pretioſis orbibus refulſerint: niſi Alexandrina marmora Numidicis cruſtis diſtincta ſint: niſi illis undique, & in picturę modum variata circumlitio prætexatur: niſi vitro condatur camera: niſi Parius & Thaſius lapis, quondam rarum in aliquo templo ſpectaculum, piſcinas noſtras circumdederit: niſi aquam argentea epitonia fuderint. Et adhuc plebejas fiſtulas loquor: quid, cùm ad balnea libertinorum pervenero? quantum ſtatuarum, quantum columnarum eſt, nihil ſuſtinentium, ſed in ornamentum poſitarum, & impenſæ causâ? quantum aquarum per gradus

cum

cum fragore labentium? Eò delitiarum venimus, ut nisi gemmas calcare nolimus. Eidem succinit Plinius; Jam verò pædagogia ad transitum virilitatis (fibulas) custodiantur argento, fœminæ laventur, & nisi argentea solia fastidiant, eademq; materia & probris serviat & cibis. Videret hæc Fabritius, & stratas argento mulierum balneas, ita ut vestigio locus non sit cum viris lavantium. Publica & gratuita balnea numerat duodecim P. Victor; & Plinius tradit, M. Agrippam in ædilitate sua, gratuita præbuisse balnea centum septuaginta.

Idem Victor numeravit in Urbe totâ insulas 4662. domos 1780. de quibus Apuleius: Igitur illas ædificiorũ species, in quas patrimonia sua profuderunt, amænissimas & extructissimas deprehendas: aulas urbium æmulas conditas, domos vice templorum exornatas. tum Prisci non habebant domos instar urbium; nunc ædificia privata laxitatem magnarum urbium vincentia. Seneca hîc philosophatur: Quid inter pueros & nos interest? nisi quòd nos circa tabulas & statuas insani-

mus, chariùs inepti. Illos reperti in littore calculi læves, & aliquid habentes varietatis delectant; nos ingentium maculæ columnarum, sive ex Ægyptiis arenis, sive ex Africæ solitudinibus advectæ, porticum aliquam, vel capacem populi cænationem ferunt. Miramur parietes tenui marmore inductos, cùm sciamus, quale sit, quod absconditur: oculis nostris imponimus. Et cùm auro tecta perfundimus, quid aliud quàm mendacio gaudemus? scimus enim sub illo auro fæda ligna latitare. Hinc Hieronymus; auro parietes, auro laquearia, auro fulgent capita columnarum. Extremam manum addit Seneca: Versatilia cænationum laquearia ita coagmentant, ut subinde alia atque alia facies succedat, & toties tecta, quoties fercula, mutentur.

CAPUT X.

De privatorum aliquot opibus & luxu apud Romanos.

Sub Augusto census fuit Senatoris decies sestertium, sive *25000.* Philippæorum; Equi-

Equitis decem millium. M. Crassus negabat locupletem esse, nisi qui reditu annuo tueri legionem posset. Is in agris suis sestertium bis millies possedit, Quiritium post Sullam ditissimus, inquit Plinius, nempe quinque milliones. & subjicit paulò post, Multos postea se cognovisse, servitute liberatos opulentiores. Dederat a. Herculi decimas, & epulū frumentūq; plebi, unde reliqua fuêre septem millia & centum talenta, 4260000. Philipp. L. Domitius ille, successor in Galliam Cæsari destinatus, agris sanè abundavit, qui Corsinii obsessus, ad animandos milites, In concione agros ex suis possessionibus pollicetur, quaterna in singulos jugera, & pro ratâ Centurionibus Evocatisque. At enim triginta cohortes ibi militum, faciunt duodecim circiter millia, unde quadraginta octo millia jugerum, præter duplum in Centurionibus & Evocatis, exurgunt. Sex illos Dominos semissem Africæ possedisse sub Nerone, quos ille interfecerit, docet Plinius. Si verum, Poppæo sub Caligulâ panem & aquā defuisse, cùm tot flumina possideret

in suo orientia, in suo cadentia, oportuit eum totas regiones possedisse, apud Senecam. C. Antonius, collega Ciceronis in Consulatu, totam Cephaleniam insulam, velut proprium patrimonium habuit, atq; ibidem oppidum etiam novum struxit, referente Strabone. Neque verò hi soli, sed complures, quos Seneca ita insectatur: Quousque fines possessionum propagabitis? ager uni domino, qui populum cepit, angustus est. Quousque arationes vestras porrigetis, ne provinciarum quidem satione contenti circumscribere prædiorum modum. Illustrium fluminum per privatum decursus, & amnes magni, magnarumque gentium termini, usq; ad ostium à fonte vestri sunt. Hoc quoque parum est. nisi latifundiis vestris maria cinxistis, nisi trans Hadrianum & Jonium, & Ægæũ vester villicus regnet: nisi insulæ ducum domicilia magnorum, inter vilissima rerum numerentur. L. Cornelius Balbus homines suæ ætatis divitiis & magnitudine animi supergressus est, adeò ut moriens populo Romano viritim legaverit denarios viginti quinque, sive aureum Romanum

num unum. Et Seneca, ille doctrinæ ac ſapientiæ, quàm dives fuit? Eum ter millies ſeſtertium (7500000. Philipp. ſeptem milliones cum dimidio) poſſediſſe amicus illi Tacitus ſcripſit, & inimici cum multâ invidiâ objecerunt: quibus tamen ita reſpondet, Pone me in opulentiſſima domo, ubi aurum argentumque in promiſcuo uſu ſit: non ſuſpiciam me ob iſta, quæ etiam ſi apud me, tamen extra me ſunt. In Sublicium rurſus pontem me transfer, & inter egentes abige: non ideò tamen me deſpiciam, quòd in illorum numero conſideam, qui manum ad ſtipem porrigunt: quid ergò eſt? domum illam ſplendidam malo, quàm pontem. Et multi, dixit ad eum Nero, nequaquam ejus artibus pares, plus habuerunt. Ecce Cn. Lentulus, ait ipſe Seneca, divitiarum maximum exemplum, antequam illum liberti pauperem facerent, quater millies ſeſtertium ſuum vidit: propriè dixi, nihil enim amplius quàm vidit. Hic ſtupor igitur poſſedit ipſos decem milliones. Pallantem Tacitus facit ſeſtertii ter mille poſſeſſorem. Sub Auguſto C. Cæcilius Clau-

dius Isidorus, refert Plinius, testamento suo edixit, Quamvis multa Civili bello perdidisset, tamen relinquere servorum quatuor millia centum sedecim, juga boum tria millia sexcenta, reliqui pecoris ducenta quinquaginta millia, in numerato sestertium sexcenties (1500000. Philipp.) funerari se jussit sestertium undecim millibus. Refert Vopiscus, Proculum eo tempore, quo imperium sumsit, duo millia servorum suorum armâsse. Idem de villâ Valeriani privatâ, In quâ quingenti servi, duo millia vaccarum, equæ mille, ovium decem millia, caprarum quindecim millia. Et Cæsar, T. Labienum, legatum suum in Galliis, oppidum Cingulum constituisse in Piceno, & suâ pecunia exædificasse. Tandem Olympiodorus, Multæ Romanorum domus, in annuo reditu accipiebant è possessionibus suis ad quadraginta centenarios auri; idque absque frumento, vino, & aliis speciebus, quæ si venderentur, facilè trientem æquarent illati auri. Secundariæ autem domus quindecim centenarios, aut decem recipiebant. Denique

Capi-

Capitolinus de Gordiano adhuc privato: ditiſſimus ac potentiſſimus, in provinciis tantum terrarum habens, quantum nemo privatus. Ædilitatis ſuæ tempore, duodecim populo Romano munera, id eſt per ſingulos menſes ſingula de ſuo exhibuit: ita ut gladiatorum nonnunquam quingena paria exhiberet, nunquam minus centenis quinquagenis. Feras Libycas una die centum exhibuit; urſos una die mille præter ludos ſcenicos & Juvenalia, quæ in omnibus civitatibus Campaniæ, Etruriæ, Umbriæ, Flaminiæ, Piceni, de proprio per quatriduum edidiſſe dicitur apud Cordum.

Ex tantis opibus ſecutus eſt luxus, cujus ſpecimina aliquot damus. Salluſtius de Metello Proconſule in Hiſpania: Cænæ, ultra Romanorum, ac mortalium etiam morem curabantur, exornatis ædibus per aulæa & inſignia, cæniſque ad oſtentationem hiſtrionicam fabricatis. ſimul croco ſparſa humus, & alia in modum celeberrimi templi. Præterea ſedenti in tranſenna demiſſum Victoriæ ſimulacrum, cum machinato ſtrepitu toni-

truum

truum, coronam ei imponebat: tum venienti thure, quasi Deo, supplicabatur. Toga picta plerunque amiculo erat accumbenti. epulæ verò exquisitissimæ, neque per omnem modò provinciam, sed trans maria, ex Mauretania, volucrum & ferarum incognita antea, plura genera. Seneca denuò obloquitur: Non est necesse, omne perscrutari profundum, ac strage animantium ventrem onerare, nec conchylia ultimi maris ex ignoto littore eruere. Dii Deæque istos perdant, quorum luxuria tàm invidiosi imperii fines transcendit. Ultra Phasim capi volunt, quod ambitiosam popinam instruat: nec piget à Parthis, à quibus pennas nondum repetiimus, aves petere. Hinc Latinus Pacatus laudat Theodosium principem, quòd nihil tunc opus esset Ad penum regiam flagitare remotorum litorum piscem, peregrini aëris volucrem, alieni temporis florem. Nam delicati illi ac fluentes, & quales sæpè tulit Respublica, parùm se lautos putabant, nisi luxuria vertisset annum, nisi hybernæ poculis rosæ innatâssent, nisi æstivâ in gemmis capa-

cibus

cibus glacie ſalerna fregiſſent. Horum gulæ anguſtus erat Orbis noſter: namque appoſitas dapes, non ſapore ſed ſumtu æſtimantes, illis demum cibis acquieſcebant, quos extremus oriens, aut poſitus extra Romanum Colchus imperium, aut famoſa naufragiis maria miſiſſent. Imò Cato Cenſorius publicè queſtus eſt, Non poſſe ſalvam eſſe urbem, in qua piſcis pluris, quàm bos, væniret.

Seneca jocosè narrat de Tiberio, ſevero principe: Mullum ingentis formæ (quare autem non pondus adjicio, & aliorum gulam irrito? quatuor pondo & ſelibras fuiſſe ajebant) Tiberius Cæſar miſſum ſibi, cùm in macellum deferri & vænire juſſiſſet: amici, inquit, omnia me fallunt, niſi iſtum mullum aut Apicius emerit, aut P. Octavius. Ultra ſpem illi conjectura proceſſit: licitati ſunt, vicit Octavius, & ingentem conſecutus eſt inter ſuos gloriam, cùm ſeſtertium quinque millibus (125. Philipp.) emiſſet piſcem, quem Cæſar vendiderat, ne Apicius quidem emerat. Sic in Plinio, Aſinius Celer, è Conſularibus, hoc piſce prodigus, unum mercatus

catus est octo millibus (200. Philipp.) De Apicio Seneca: Apicius nostrâ memoria (sub Tiberio) vixit, qui scientiam popinæ professus in ea urbe, è qua quondam philosophi pulsi fuerant, disciplinâ sua seculum infecit, cujus exitum nosse operæ prætium est: Cùm sestertium millies in culinam congessisset (duos milliones cum semisse) ære alieno oppressus, rationes suas tunc primùm coactꝰ inspexit: superfuturũ sibi sestertium centies computavit, & velut in ultima fame victurus, veneno vitam finivit. Huic ducenta quinquaginta millia Philippæorum paupertas & desperatio fuit. Maximè insignis, inquit Plinius, est in hac memoria, Clodii Æsopi, tragici histrionis patina, sexcentis sestertiis taxata (quindecim millibus Philipp.) in qua posuit aves cantu aliquo aut sermone humano vocales, millibus sex singulas coëmtas: idem margaretas sorbere solitus, aceto solutas, nisi filius fuerit. Nihil huc adducimus Cleopatram Ægypti reginam, quæ unionem à dextra aure revulsum in phi-

in phialam acris aceti misit, hausitque, centies sestertium (ducentis quinquaginta millibus Philipp.) æstimatum, vicitque sponsione Antonium : sed Romam expendimus, ubi Plinius, Vitellius in principatu suo decies sestertium (25000. Philipp.) condiit patinam, cui faciendæ fornax in campis exædificata erat. In hac, addit Suetonius, scarorum jocinera, phasianorum & pavonum cerebella, linguas phænicopterûm, murænarum lactes, à Carpathio usque, fretoque Hispaniæ, per navarchos ac triremes petitarum, eum commiscuisse. Non addimus, Indixisse jentacula, prandia, cænas; nec cuiquam minus singuli apparatus, quadringenis millibus nummûm constiterunt, scilicet decem millibus Philippæorum. Lampridius dicit, Heliogabalum nunquam minus centum sestertiis cænasse (25000. Philipp.) aliquando autem triplo. In fama erat homo lautitiarum Lucullus, & quòd esset non ganeo & profligator, ut plerique sua haurientium, sed erudito luxu. Is ita disposuerat, ut cænacula suis nominibus distincta essent,

essent, & in quoque tales eibi, ac impendia. Eminebat autem illud Apollinis, cui quinquaginta millium drachmarũ (5000. Philipp.) adscripta. Hanc scenam claudet Seneca: quid est sumtuosâ cœnâ flagitiosius, & equestrem censum absumente? & tricies tamen sestertiis (*75000*. Philipp.) adjiciales cœnæ frugalissimis viris constiterunt.

Idem alteram de veste aperiat: Quicquid est boni moris, extinguimus levitate & politurâ corporum. Muliebres mundicias antecessimus, colores meretricios, matronis quidem non induendos, viri sumimus. Tenero & molli ingressu suspendimus gradum, non ambulamus, sed incedimus: exornamus annulis digitos, in omni articulo gemma disponitur. Torpent ecce ingenia desidiosæ juventutis, nec in ullius rei honestæ labore vigilatur: cantandi saltandique obscæna studia effeminatos tenent: & capillum frangere, & ad muliebres blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare cum feminis, & immundissimis se excolere mundiciis, nostrorum adolescentium specimen est.

Quis

Quis æqualium vestrorum, quid dicam satis ingeniosus, satis studiosus, imò quis satis vir est? Emolliti enervesque, quod nati sunt, inviti manent, expugnatores alienæ pudicitiæ, negligentes suæ. Video uniones non singulos singulis auribus comparatos: junguntur inter se, & insuper alii bini superponuntur: non satis muliebris insania viros subjecerat, nisi bina ac terna patrimonia auribus singulis pependissent, non crepidarum tantùm obstragulis, sed & totis socculis addi. Neque enim gestare jam margaretas, nisi calcent, ac per uniones etiam ambulent, satis est: Visam à se Lolliam Paulinam, ne serio quidem ac solenni aliquo apparatu, sed mediocrium etiam sponsalium cænâ, smaragdis margaretisque opertam, alterno textu fulgentibus, toto capite, crinibus, spiris, auribus, collo, manibus, digitisque; quæ summam quadringenties sestertium colligebant, ipsâ confestim parata mancupationum tabulis probare. Tulit igitur in ornatu decies centena millia Philippæorum, mulier Romana.

Luxui possunt accenseri dona non tàm admi-

admiranda, quàm ſtupenda. De Cæſare Julio Suetonius: Nullum largitionis aut officiorum genus in quenquam, publicè privatimque omiſit, tum militibus ſingula interdum mancipia vel prædia viritim dedit. Parte magna Senatus gratuito, aut levi fænore, obſtrictis, ex reliquo quoque ordinum genere vel invitatos, vel ſponte ad ſe cõmeantes, uberrimo congiario proſequebatur. Et non minore ſtudio Reges atq; provincias per orbẽ terrarũ illiciebat: aliis captivorum millia dono offerens: aliis quo vellent, & quoties vellent, auxilia ſubmittens. ſuperq; Italiæ, Galliarumq; & Hiſpaniæ, Aſiæ, quoq; & Græciæ potiſſimas urbes præcipuis operibus exornans. atq; hæc omnia privatus; addit Plutarchus, debuiſſe eũ, priuſquã ullũ magiſtratum caperet, mille trecẽta talenta, ſcilicet 780. millia Philipp. Euntẽ ex Prætura in Hiſpaniã, creditoribus retinentibus, dixiſſe joco, ait Appianus, millies ſibi op', ut nihil haberet, id eſt, ut ſolũ ęs alienũ ſolveret, in ſuo nihil haberet: ea reddunt vicies quinquies centena millia, *2500000*. Phil. Auxit ſanè in Cõſulatu & deinceps in principatu, tantum ut
daret,

daret, ut profundere quærẽs; unde Suetonius in Gallia, fana templaq; Deûm, donis referta, expilavit, urbes diripuit, sæpius ob prædam, quàm ob delictũ. Si in sola Gallia decies centena millia virorũ in acie cepit, vel inde cõfecerit triginta milliones. Hinc instante civili motu, L. Paulum Consulem designatũ mille quingentis talentis (nongẽtis millibus Philipp.) flexit, ne contra se staret: Curionem, qui ære alieno obrutus, majore etiam sum̃a, ut pro se staret. Cùm militi se unicè dedisset, & Pompeius duas legiones, colore belli Parthici revocaret, singulis dedit ducẽtas quinquaginta drachmas (25 Philipp.) duplũ Centurioni, triplũ præfecto, quadruplũ tribuno. Sic Veteranis legionibus (decem) prædæ nomine, in pedites singulos, super bina sestertia (50. Phil.) quæ initio civilis tumultus numeraverat, vicena millia nummûm (500. Phil.) dedit, apud Suetoniũ: populo, qui frumentũ accipet (plebecula jejuna & hirudines ærarii, è publico pasci solitæ, erãt trecẽta viginti millia) denos modios, ac totidem olei libras, trecenos quoq; numos (decẽ Philippicos) quos pollicitꝰ olim erat viritim divisit,

ſit, ac centenos pro morâ. Militibus à triumpho, ſuperans etiam ea quæ promiſerat (ad Pharſalum, & in Africam ducens) legionariis drachmas Atticas quinquies mille (500. Phil.) Ordinū ductoribus duplum, Tribunis & Alarum præfectis, iterum duplum dedit, unde quindecim milliones exurgunt pro gregariis.

Eandem viam tenuit ſucceſſor Auguſtus, qui militibus & Evocatis, quos contraxit metu Antonii, aditâ hæreditate Julianâ, dedit ſingulis quingenas drachmas; unde quingenta Philippæorum millia fiunt. In ipſo primo Conſulatu, cùm ſignis à Mutina motis, urbem intravit, dedit qui ſe deduxerant (octo legionibus) ſingulis bis mille quingentas drachmas, 250. Philippæos, unde ſex milliones, præterquam in Equites & Ductores, profuſi. Omnibus, qui ſecum pilâ luſiſſent, ſeſtertia centena dari Cæſar Auguſtus juſſerat (2500. Philipp.) ſoli Cælio quinquagena; hic ille, quid ergò? inquit ego una manu ludo. Nero theatrum totum, non Scenam ejus tantùm, auro illevit & obtexit. Sed & quicquid illatum fuit, &

omne

omne inſtrumentum ac Choragium, aureum: itemque vela, quæ ſupernè contra Solem obumbrabant, purpurea tota, & aureis ſtellis interſtincta: ex quo & dies ille aureus appellatus, apud Dionem Caſſium: & apud Lampridium fertur Heliogabalus Imperator in Euripis, vino plenis, navales Circenſes exhibuiſſe. Deſino fatigare ingenium lectoris in expendendis vanæ gloriæ monumentis, cujus abſtinentes fuêre Sinæ: ſolis Romanis licuit inſanire in hoc genere maniæ.

CAPUT XI.

Palatiorum deſcriptio & collatio.

In Peking regia multa, eaque magnifica, pro ſingulis magiſtratibus, regiam frequentantibus, ſunt palatia, quæ licet magnitudine, ſoliditateq; ac ſplendore marmoreas illas in Europa ædificiorum moles non æquent, ampliora tamen plerunque ſunt, quoad planitiei intercapedinem, & ad uſus humanos commodiora ſæpè, & magis nitida Europæis.

Palatium Imperatoris omnem ſuperat

apparatum nostratem, seu vastitatem, ejus spectes, sive eximia ornamenta: Duodecim in ambitu continet Sinica stadia, quatuor habet portas, ad quatuor Mundi partes obversas. Murus triplex, altus & fortis illud cingit: intra duos primos, eosque extimos, sunt custodes corporis Eunuchi, eosque majoribus præfectis ingredi ad negotia inibi tractanda licet; intra ultimum, qui spatium longè majus cæteris, pro cubiculis, hortis ac sylvis, lacubusque continet, habitat Rex.

Hîc nemo admittitur, præter Eunuchos ac mulieres, quibus rex ad omne ministerium utitur. Varii sunt istîc ministeriorum gradus ac dignitates Regina legitima una est, cæteræ concubinæ, quarum aliæ regis ministerium curant, aliæ à cubiculis, custodes vestium aliæ, aliæ aulæ præfectæ, &c. Quinque ibi adesse fæminarum millia feruntur; unde, licet non nisi unum dicatur palatium, plura tamen virtute complectitur, omnia accuratâ debitâque symmetria ac proportione disposita.

Prima

Prima ac præcipua ſtatio Imperatoris eſt, Imperatricis primæ, parvulorumque principum: altera Imperatricis ſenioris, quam matrem Imperator habet. Singuli infantes, abſolutis primis pueritiæ annis, ſingula occupant palatia: reginæ reliquæ, ſeu quatuor Concubinæ præcipuæ, totidem, ad totidem Mundi partes ſita, incolunt. Aliud pro ſenibus, quaſi Gerontotrophium aut prytaneum eſt; denique alia multa ad uſus alios. Sunt quoque domus inſigniores pro Eunuchis, ac concubinis reliquis, illarumque ancillis; aliæ pro artificibus, ac Idolorum ſacrificulis, aliiſque id genus hominibus: quippe intra palatium degunt, aluntur que ad quindecim, eoq; amplius, mortalium millia.

In interiori penetrali multi viſuntur marmorei ac lapidei fornices, podia, ambulacra, columnæ ac ſtatuæ, non exiguo elaboratæ artificio: tegulæ omnes luteo, hoc eſt, regio colore ſplendent, adeò ut aureæ procul aſpectantibus videantur, Solis præſertim luce ad angulos æquales incidente. Quicquid

è ligno est, vel auro splendet, vel pretioso illo glutine Cie dicto illitum.

Plures quidem contignationes vix habent more Europæo, altissimæ tamen sunt domus, supra crassiores & teretes columnas extructæ, omni ex parte similes, æqualesque; quâ ex re felicitatem pendere existimant. Mirum, unde tot, tantæque columnæ reperiuntur: quævis enim vix à duobus circumdari brachiis potest cùm illarum altitudo quindecim & viginti subinde cubitos excedat, & ad perpendiculum omnes summâ accuratione erectæ sunt. Pavimentum, crassioribus instratum asseribus, tribus ferè cubitis terrâ altius exurgit, ita firmum solidumque, ut solum ipsum videatur.

Palatium permeat fluvius, arte introductus, magnarum etiam navium patiens, per interiores palatii partes in varios distributus canales, ad commoda domestica, ac amænitatem. Multos hîc illîc lambit, artifice manu extructos montes, qui veris ipsis invidiam quodammodo, ob artis præstantiam, facere possint, quâ in re Sinæ mirè sunt curiosi, ut ne dicam super-

stitio-

ſtitioſi: Hos ex ruderibus pulcherrimè efformant, ad intuentium voluptatem ac admirationem: arbores floresque in iis conſerunt raro ordine ac elegantiâ. multi ex his viſuntur in divitum hortis, omnia tamen ex uno colligere licet, quem Trigautius ſic deſcribit.

In ſimilibus hortis Sinæ, amœniſſimis prætermiſſis aliis, quæ ſpectari, nec fortaſſe legi ſine voluptate poſſent, vidi arte factum, è variis marmoribus impolitis montem. Is in ſpeluncas affabrè excavatus, cubicula, aulas, gradus, piſcinas, arbores, ac alia plura continebat, in quibus ars cum Natura certabat. Hoc ideò faciunt, ut æſtivos calores, ſi quando ſtudiis inſudant, vel convivia inſtruunt, ſpeluncarum frigiditate fallant. Augebat lepôrem figura, in labyrinthum tendens: nam tametſi non latiſſimam aream occuparet, duas tamen treſve horas, omnia circuire volentes, detinebat; & inde aliâ porta patebat egreſſus.

In eodem palatio forum eſt, quod triginta hominum millia facilè capiat. Vigiliis ſingulis quinque militum millia por-

tas custodiunt palatii, cum quinque Elephantibus ex Junnan provinciâ adductis. Si de lacubus, vivariis, hortis, sylvis, cæterisque palatii ornamentis & adjunctis hîc dicendum esset, libro opus foret, quo singula recenserentur.

Ædes Præfectorum, quas verè Palatia possis dicere, sunt in quaque metropoli quindecim, viginti, & sæpè plures: in urbibus reliquis ad minimum octo, in minoribus Civitatibus quatuor, formâ omnes similes, nisi quòd unæ aliis majores sint, pro majori Præfecti dignitate. Majora palatia quatuor aut quinque habent atria, cum totidem domibus in fronte atriorum. In frontispicio cujusque, portæ tres: earum maxima est media: utrumque portarum latus marmorei leones armant. Ad portam maximam area ingens, cancellis rubro illo Sinensi glutine splendentibus septa: in ea geminæ turriculæ, cum instrumentis Musicis ac tympanis, quæ ad exitum, ingressumve præfecti, aut cùm prodit ad tribunal, pulsantur. Intra portam capax atrium, lites habentium, aut quippiam poscentium statio: à latere utrin-

utrinque cellæ ſunt, ſeu exiles domunculæ, quas Curiales infimi ſubſellii incolunt.

Adſunt binæ aulæ, hoſpitibus honoratioribus, qui Præfectum viſendi causâ adeunt, excipiendis: in his ſedes, & reliqua ad hoſpitum exceptionem deſtinata; dextrum in iis latus togatis, ſiniſtrum militaribus tribuitur. Superatâ hâc aulâ, aliæ tres portæ apparent, quæ non, niſi cùm Præfectus pro tribunali ſedet, aperiri ſolent: media ingentis eſt magnitudinis, quam ſubire ſolis nobilioribus & magnatibus licet; reliquis per eas, quæ ad latera ſunt, datur tranſitus. Tum magna rurſum ſequitur area, ad cujus terminos capaciſſima eſt aula, ingentibus ſuffulta columnis, Tang dicta: in eâ jus dicit Præfectus, utrinque tabelliones, Curiales, miniſtri publici, ſuas habent ædiculas; nec cum præfectis migrant; ſed ſtabiles ſunt, quòd publico omnes ſtipendio aluntur, & ab uno ad alium Dominum tranſeunt, loco minimè mutato.

Post hæc sequitur aula interior, priori insignior, nomine Sutang, hoc est, secreta: in hâc soli amicissimi ad colloquium & salutationes admittuntur. Circum hanc famuli domestici, ac præfectorum proprii degunt: post eam porta maxima est, & domus Præfecti uxorum ac liberorum, omnia intus ornatissima & percommoda sunt: hîc nemora, horti, lacus, aliaque, quæ aut ad amænitatem, aut voluptatem, pertinent. Regio ea omnia sumtu exstructa sunt, ad Præfectorum, seu militarium, seu togatorum habitationes. Nec modò palatia hæc, navesque, de quibus in paragrapho Naves, suis suppeditat rex, sed & omnem necessariam supellectilem, & victum, & famulos: imò, quod notatu dignum, cùm Præfectus discedit, vel in aliam provinciam, sive officio defunctus, quod subinde intra medium annum contingit, licet sine nota supellectilem auferre omnem, quæ pro novo Præfecto omnis nova apparatur.

Suchuen provinciæ metropolis est Chingtu, emporium splendidissimum, ubi rex è Taiminga familia habitabat, qui solâ Juris-

Jurisdictione ac Imperii titulo soli cedebat Imperatori, cætera omnia regio splendore ac apparatu administrabat. Palatium illius augustum & ingens, quod quatuor milliaria Italica suo ambitu complectebatur, in ipso urbis meditullio, quatuor portis exornatum. Ante eam, quæ ad Austrum spectat, spatiosa erat platea, pluribus lapideis arcubus, egregio opere elaboratis, exornata. Aquis etiam tota urbs pervia est, deductis undiquaque canalibus navigabilis, quibus superstructi sunt lapidei pontes plurimi, canalesque omnes in utraque ripâ quadrato ac secto lapide muniti.

In provinciâ Junnan est urbs Tali, quæ intra ipsa mænia habet palatium, relaxandis animis exædificatum, cujus peribolus quinq; complet stadia: tota moles decem perticas exurgit in altitudinem.

Fokien provincia habet ad urbem Himghoã, per radices montis Chinyuen, lacum Chung, in cujus ripâ palatium ingens, decem aularum: in eo, quoties pluvia aut tempestas imminet, sonus veluti campanæ auditur.

Placet huc apponere Regiam Salomonis, quæ dicebatur Domus ſaltus Libani, longa centum, lata quinquaginta, alta triginta cubitis; quam Salomon ſplendidè & opulentiſſimè de polito marmore, lignis cedrinis, auro atque argento decoratis, ac deſuper tecto plano cum deambulatoriis, ut & cætera domorum tecta in Palæſtina fabricari ſolent, extruxit: ibi quatuor cedrinarum columnarum ordines ſuſtinebant cedrinas trabes, ipſa autem tabulata quadraginta quinque ita pollebant, ut in ſingulis ordinibus quindenæ eſſent columnæ. Luminum ibi triplex ordo, feneſtris inter ſe triplici ſerie reſpondentibus, omnes portæ, poſtesque & feneſtrarum limina viſebantur quadrata: intus vividis variarum arborum & plantarum picturis tam artificiosè omnia erant ornata, ut folia agitari quodammodo viderentur: juxta plantatũ nemus, & viridaria, cuncti generis arboribus conſita, fontibusque irrigua; nec non vivaria ac piſcinæ. Erat autem domus hæc, domus epularum, & armamentarium, in quo arma bellica, item unguenta, pigmenta & aromata conſerva-

ban-

bantur: Quin & ducenta ſcuta aurea equitũ, & trecentæ peltæ aureæ peditum à Salomone huc ſepoſitæ, qui & reliqua vaſa omnia habebat aurea. Huc ſe rex & Nobiles, ſeriis Reipublicæ negotiis peractis, conferebant, atque epulis, luſibus & obambulationibus animum oblectabant.

Fecit quoque Salomon porticum columnatam, ante domum, ſive aulam illam regiam, cujus longitudo fuit quinquaginta, latitudo autem triginta cubitorum: juxta hanc porticum & aliam conſtruxit domum, quadrata formâ, triginta conſtantem cubitis, validis ſuffultam columnis, & à pavimento uſque ad laquear, per omnes parietes cedro obductam: in ejus medio thronum erexit ingentem, ex candido factum ebore, quem auro probatiſſimo obduxit & incruſtavit: ſex aſcendebatur gradibus ad ſedile, utrinque in iis ſtabant leones ex ebore, auro operti, unde mira ſolio majeſtas. Habuit etiam hic thronus in utroque latere ſua fulcra, quibus rex, occupato ſolio, brachia & manus imponeret, quæ itidem aureis leonibus ornabantur. Summitas,

regis tergo iminens, rotunda etiam auro fulgebat. Fuit & gynæceum, columnis, auro, argentoque splendidum, Domus filiæ Pharaonis, in quam Salomon illam, uxorem suam longè amatissimam deduxit ex Davidica urbe; nollens committere, ut mulier in Davidis, regis Israelitici domo habitaret, quoniam ea domus sanctificata esset, postquam arcam Domini suscepisset. Neque verò aliud videmus in istis substructionibus; quam palatia palatiis juncta; adeoq; urbem quandam, cujus majestatem conjectare licet & à tempore & ab operariorum multitudine. nam in templi structuram impendit septem annos Salomon; in hanc alterum penè tantum, nempè annos tredecim. Operariorum & cæmentariorum qui Hierosolymis tantùm laborarunt; centum sexaginta quinq; millia numerabantur; Architectorum, & qui operi urgendo præerant, tria millia trecenti: quanta igitur moles excitari potuit?

Sed Roma nobis repetenda est, ut Neronis domum videamus, is, referente Suetonio, in vestibulo ædium suarum colossum

ſum centum viginti pedum poſuit: erant porticus triplices milliariæ; item ſtagnum, maris inſtar, circumſeptum ædificiis ad urbium ſpeciem. Rura inſuper, aruis atque vinetis & paſcuis, ſilvisque varia; cum multitudine omnis generis pecudum ac ferarum. In cæteris partibus, cuncta auro lita, diſtincta gemmis, unionumque conchis erant. Cænationes laqueatæ tabulis eburneis verſatilibus, ut flores, & fiſtulatis, ut unguenta deſuper ſpargerentur. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuò, diebus ac noctibus, vice mundi circumageretur. De hac domo Satyricus canit: Roma domus fiet: Vejos migrate Quirites. Et Plutarchus: Quòd ſi quis Domitiani in aulâ unam Porticum, vel Baſilicam, vel Balneum, vel pellicum Diætam viderit, exclamet cum Epicharmo: Non liberalis aut benignus tu clues, profuſione gaudes. Luci & arbuſta in magnis iſtis ædibus erant, imò & ſuper ædes; unde Seneca Pomaria in ſummis turribus ferunt, quorum ſylvæ in tectis ac domorum faſtigiis nutant, inde ortis radicibus, quò improbè cacumina egiſſent,

De Villis Romanorum Strabo, ubi Pisas & Liguriam tangit, esse ibi lapidicinas, & materiam ad ædificia uberem, sed quam Romani ad ædificia sua ferè in urbe aut villis consumunt, in quibus, velut more Persarum, Regias quasdam struunt. Rem ita explicat Capitolinus: Extat Gordianorum villa, viâ Prænestinâ, ducentas columnas uno peristylio habens, quarũ quinquaginta Carysteæ Claudianæ, quinquaginta Sienitides, quinquaginta Numidicæ, pari mensurâ sunt, in quâ basilicę centenariæ tres; cætera huic operi convenientia: & thermæ quales, præter urbem, nusquam in orbe terrarum.

Missus est à Berengario Italiæ rege ad Constantinum Imperatorem ann. C. 950. Luitprandus, Ticinensis Diaconus, qui se in Regiam fuisse receptum ait, lib. 6. c. 2. Erat illa ornata sumtuosissimè, ibi ærea inaurata arbor, ante ipsius Imperatoris solium assurgebat, expansis magnum in modum ramis æreis atque inauratis: in his frequentissimæ variarum specierum aves, arte confictæ, quarum singulæ, speciei proprias voces cantusque emittebant,

incre-

incredibili arte. Regium autem ſolium miro erat confectum artificio, ut momento videretur humile, atque in ipſo ſolo eſſe velut depreſſum; poſteà momento in ſublime elatumque apparebat, nec ulli cognitum eſſe poterat, quâ id arte fieret, ut adeò ſublime, velut ſolario compar conſpiceretur, nullis conſpectis aut inſtrumentis aut machinis: erant ſedilia ejus ampliſſima, quæ leonum ſimulacra, auro tecta cuſtodire viderentur. Delatus igitur eſt Luitprandus in Imperatoris conſpectum, duorum Eunuchorum humeris innixus, mox ubi coram adſtitit Imperatori, leonum ſimulacra illa rugitum quendam emisêre; avium quoque ſimulacra quælibet pro ſua ſpecie, vocibus obſtrepebant. At cùm pronus paulum ab Imperatore diſtans illum adorâſſet, in humili ſedentem vix erigens cervicē, conſpicit illũ jam mutato Imperiali amictu, juxta aulæ laquearia ſublimem ſedere. Hæc quâ arte confecta fuerint, nullo ingenio aſſequi ſe potuiſſe conteſtatur idem Luitprandus, niſi fortè quâ arte trapetiorum torcula-

cularia conficiuntur, celerrimo motu id fuisset excogitatum.

Laurentius Valla inauditum refert palatium: Proximè Valentiam Hispaniæ, horti sunt, non tantùm citris consiti, sed etiam citreis parietibus, vivente materiâ conclusi, ut dubites, horti ne sint, an ædes. Nam cùm nihil aliud insit, quàm frugiferæ arbores, atque felici manu positæ, institutæ, digestæ, quid nisi horti dicendi sunt. Rursum cùm audis, extrinsecus esse parietes, intus autem aulam, Conclavia, Curiam; item sacella, altaria, sedilia Canonicorum, thronum Episcopi, & cætera hujusmodi, non aliud, quàm ædes esse putâris. Sunt autem parietes ex truncis citrorum confecti, & tamen frondibus vestiti, ut percipi introrsum nequeant, nedum intrari; ita cum ramis adolescunt: intorquentur atque inflectuntur, ita insiti atque inserti, ut nihil vacui relinquatur, ut pariter firmitatis & decoris ex frondibus ratio constet; eodem pacto introrsum, quæ enumeravi, composita sunt, clericis laicisque deservientia: pavimentum laterculo quadrato, vitreatoque ac picto constra-

ſtratum eſt, velut paradiſus quidam terreſtris.

In Piſaurienſi Ducum Urbinatum villa Imperiali conſpiciuntur eâ arte confecta ſedilia, quæ quanquã pavimento ſint proxima, momento tamen in laquearia uſque tracta conſpiciantur cum ſeſſoribus, trapetiorum ſimili vertigine, quin etiam ſupra ſolarium efferuntur, ulterius non conſpiciendi. Nam etſi Conſtantinopolitanorum opera fuerint admiranda, Italia tamen, adeoque Roma potiora præbuit, ipſo teſte Conſtantio Imperatore apud Ammianum Marcellinum: Is enim viſis pleriſque cum ſtupore horrendo, de famâ querebatur, ut invalidâ vel maligna, quòd augens omnia ſemper in majus, erga hæc explicanda, quæ Romæ ſunt, obſoleſcat.

Palatium Galieni ad Burdigalam, ab Gallieno Auguſto nomen habuerit: ibi triſtes & tenues inſignis quondam amphitheatri reliquiæ. Id circumdabant parietes ſex, eratque extimi, qui reliquos altitudine ſuperabat, & intimi omnium humillimi intervallum octoginta ſex pedes, quantum quidem ſemiruta & jacentia moni-

monimenta metiri licuit. Mediæ areæ longitudo, quam excipiebant utrinque portæ singulæ, 224. latitudo 140. pedes patebat; ut hæc ovi figurâ construi mos erat. Extra urbem semper fuit, distabatque à proximo mænium Ausonianæ Burdigalæ angulo passus minimum 400. Tutela, vel palatium tutelæ, & ipsum extra urbem quadratam, sed propius Garumnam, pomærio prolato in ipsam Urbem concluditur. Peristylium est quadrangulum Orthogonium, longum pedes 87. latum 63. pilis sive columnis adsurgebat striatis octo in longitudine, & sex in latitudine, quæ fiebant in toto ambitu columnæ 24. Earum nuper stabant adhuc 18. Subest verò Camera antiquo artificio, in quâ vinum conditur. Templum fuisse pa-tens quidam suspicantur, & ex ipso nominis vestigio, Dei tutelaris fanum.

De Scarponæ palatio ad Nanceium ita Petrus Divæus: Hîc paulò ulterius ad Mosellæ ripam vicus est exiguus Sarpaigne, de cujus antiquitate multa Incolæ referebant. Oppidum olim amplum fuisse à Sarpignia quadam regina denomina-

tum,

eum, quæ & in eo Regiam habuerit. Ostendunt in ejus rei testimonium ruinas quasdam murorum, ubi thermas quondam fuisse volebant: nos, quæ eorum figura fuisset, non valebamus conjicere; tantùm subdubitamus, num Castrorum inserviissent munitioni, cùm eorum magna sit crassitudo, & foramina in eis cernantur adhuc rotunda & angusta, quasi ad ejaculanda missilia. Hîc & numismata antiqua erui; & hospes, ad quem diverteramus, nobis dedit æreum nummum C. Cæsaris Caligulæ, quem se ibidem reperisse adfirmabat. Extat in pariete domus cujusdam rusticæ antiquum marmor, in quo Reginæ illius Imaginem esse volunt. Est manu omninò artifice scalpta Imago mulieris, longioribus induta vestibus, Equæ insidens, quam pullus videtur lactare; ipsa verò calathum, aut simile quidpiam gestat, in quo pomorum figuram, ficubus haud absimilium, videbamur agnoscere. Suspicari sanè est, ex hac Scalptura locum hunc alicujus olim nominis fuisse.

Apud Hemeskirckā reliquus superest in Bata-

Batavia castelli circus, pyrgum Lugdunensem circinato ambitu referens, in hoc diversus, quòd Lugdunensis in arduo tumulo eminet; hic in uliginosâ palude copiis quātislibet fermè inaccessū aditū prębet; in cujus meditullio editissimum stetisse perhibetur (olim turris) ædificium, novem contignationes altum, sic ut nautis vela facientibus, phari usum exhibuerit, dum cursum eò dirigunt, aut deflectunt: Lugdunensem ferunt ab Engisto circiter annum (400. extructum, fornicibus arcuatis; medium omne spatium pomiferæ arbores occupant, habitationi alioqui ineptum. Sed Batavicus habet puteum altissimum & peramplum, quem credulum vulgus fabulatur cuniculum habuisse pervium ad armamentarium usque Romanum.

Haga comitis palatium habet regium, fossis in modum arcis circumdatum, cui piscina perampla ad septentrionem objecta est, à Guilelmo Romanorum Cæsare, Hollandiæ principe, extructum; in quo admirabilis fabrica atrii extat, quod latissimum spatio & amplissimum non trabibus colli-

colligatur, ſed ſolis lacunaribus elegantis operis intercipitur, quorum materiam Hibernia ſubminiſtraſſe dicitur, vel eo memoranda, quòd venenatum nihil toleret, adeoque ab araneis tuta.

CAPUT XII.

Sepulcra.

In Xanſi provinciâ, in montibus Taiyuen vicinis, celeberrima ſunt ſepulcra, in quibus non ſumtuoſi minus, quàm ſuperſtitioſi ſunt Sinæ. Ex marmore ea, aut ſecto lapide fabricantur, ingens ſæpè occupant ſpatium; his adjecti ad ſplendorem pulcherrimo opere extructi fornices, arcus triumphales, nihilo ſæpè Romanis inferiores, ſtatuæ heroum, virorumque illuſtrium, variorum animalium, leonum maximè & equorum. Hæc omnia certo ordine, continuâque ſerie, optimèque ſervata proportione, cujus ſtudioſiſſimi ſunt, diſpoſita cernuntur. Cupreſſus in quincuncem ſæpè erectæ, quæ nullâ unquam violandæ ſecuri, annoſas efformant ſylvas.

Sub

Sub Taming ſepulcrum antiquiſſimum, Cavi Imperatoris, à quater mille annis conditum viſitur.

Ad metropolim Cinon, pulcherrima quædam, tum Regum, tum Magnatum in montibus ſepulchra viſuntur.

Ad Nanking amplum eſt pinetum, mœnibus vicinum, undiq; muris cinctũ, cujus ambitus ad duodecim patet milliaria Italica, montemq;, in quo ſepulchra ſunt, includit. Inter cætera regium eſt luſtrandum templũ, tum ob molem, tum ob majeſtatẽ, totũ ferè, ſi muros excepis, lateritio opere ſtructos, ex ligno eſt, in altiori ſuggeſtu ſeu aggere, quadratis undiq; præſtructo lapidibus, conditũ eſt: ſcalæ quatuor plurimorũ graduum, ex ſolido marmore, quatuor mundi plagas reſpiciunt, per quos aſcenſus patet: quinq; in eo Naves ſunt, quarũ quælibet utrinq; duos ordines columnarũ numerat: ligneæ quidem illę, ſed teretes omninò ſunt, rotundæ, ac miro modo lævigatæ, vix unam, duorũ hominũ brachiis ac digitis ſe cõtingere nitentiũ, amplexus capit: nec altitudo craſſitiei, aut ſcapi proportioni deeſt, quatuor enim ſupra viginti

ſunt

ſunt cubitorũ : his incumbunt transverſæ trabes ingentes, ſupraq; has fixæ ſunt columnæ minores, tholũ deniq; ac tectũ faciunt aſſeres, egregiâ cælaturâ ornati, auroque decorati. Templi portę, ſculptis in iis, lauris, laminisq; deauratis obductæ: periſtylia exteriora, feneſtras, elegantibusque mæandris ac ſpiris intertextas ſculpturas retia è filo ferreo armant, ne inſidentes uſpiã quicquã fędare poſſint aviculæ; quæ tamen ita ſubtilia ſunt, ut lucis ingreſſui nihil officiant, quod in majorib. ædificiis, ac regis præſertim palatiis hîc ubiq; in uſu eſt. In templi meditullio throni ſunt duo, affabrè omninò cõſtructi pretioſisq; adornati lapidib. ac gemis: in ſupiori illorũ parte duę viſuntur ſedes, quarũ alteri inſidet rex, ſacra facturus, quod uni regi in hoc templo licet; altera ipſi Numini vacua relinquitur (nulla tamen in eo imago eſt aut ſtatua) quaſi ad ſacrificiũ excipiendũ adeſſet. Extra templũ, in ipſis areis, multæ aræ erectæ viſuntur, è rubicante marmore, quæ Solẽ, Lunã, Sinicos mõtes ac flumina repræſentãt: dicunt Sinæ, hæc omnia collocata extra ipſum templũ, ut nõ adorentur ab aliquo,

ſcian-

ſcianturque, ab eo condita, quem Imperator in ipſo templo veneratur. Ad ipſum templi ambitum varia cubicula ſunt, aut cellæ potius, quas olim balnea fuiſſe volunt, quibus Imperator, ſacrificium oblaturus, reliquique adjutores lavabantur. Ad hoc templum, & ipſa regia ſepulcra latiſſimæ patent viæ, utrinque annoſæ pinus in quincuncem conſitæ, debitoque ac æquali ſpatio à ſe invicem diſtant: harum vel ramum lædere, nedum abſcindere, olim capitale fuit, in monte verò vix ullum arboris genus eſt, quod ibi manu conſitum non videatur. Majora de ſepulcris regiæ Pekinenſis ſunt concipienda.

In Xantung, ſub Yencheu urbe, in civitate Ceu, quindecim ſepulchra viſuntur, ſed Cungfutii Philoſophi eſt celeberrimum omnium.

Jam ſepulchrum Davidis & Salomonis venit excutiendum. Cæpit autem David Mauſoleum, abſolvit Salomon, in monte Sion: Hypogæum ingens rotundum, è mero ſolidiſſimoque marmore fuit exciſum, & in eo quatuor conditoria, Betſabeæ reginæ, & tribus Salomonis fratribus diſcre-

discretè sepeliendis. ab hoc aliud sequebatur amplissimum hypogæum, cujus utrunque ambo semicirculi discretas octodecim sepulturas continebant: ex hoc in hypogæum tertium ibatur, similiter amplum, sed quadrum. Daniel Barbarus, Patriarcha Aquilejensis lustrato munimentorum regalium loco Hierosolymis, adeoque attentissimè observato, hæc retulit: Sub præcelso & marmoreo monte, tres omninò cellæ excavatæ, distinguuntur suis testudinibus, in eodem nativo saxo excisis. In primo ingressu, seu primâ cella, quatuor delubra, bina ex utraque parte, quasi quatuor reconditoria, singula hominis capacia cernuntur. In medio, id est, in secundâ cella, quæ amplissima est, sunt delubra octodecim, ex alterutra parte novena; testudo verò, quæ maxima est, incumbit quatuor pilis, aut parastatis, aut columnis, ex ipso eodem nativo marmore formatis; & in maximæ longitudinis basilicæ seriem rectà dispositis, quas aliæ duæ minores præcedunt. In ultimâ verò cella, quæ magnitudine respondet primæ, duo item alia sunt conditoria, è regione verò

 objici-

objicitur figura Januæ, sed obstructæ, quia fortè aditus ulterius dabatur.

In hâc subterranei ædificii dispositione Villalpandus arbitratur nihil aliud fuisse, quàm vestibulum sepulchri Davidis & Salomonis, non ipsum sepulchrũ: quare per illam portã, quæ obstructa cernitur, fortè patuisse aditum ad Davidis sepulcrum interius; per alias verò cellas, vel per earum aliquam, occultum etiam patuisse aditum ad aliorum regum delubra, & ad ipsa cinerum conditoria, cum quibus immensi etiam thesauri conditi servabantur. Sed proculdubio cùm Petrus Actorum c. 2. ait de Patriarchâ David, quoniam defunctus est & sepultus: & sepulchrum ejus apud nos est usq; in hodiernum diem, de monumento loquebatur, non quidem abdito & inviso, sed quod palàm ab omnibus videri potuisset. Nisi fortè dicas, locutum de illo, quod dicebat Josephus, in aditu alterius interioris & reconditioris monumenti, ab Herode, candido marmore, & impendiis sumtuosissimis extructum: & sepulcrum Davidis dicebatur, ut quod esset alterius interioris & verioris sepulcri

testis

testis ac index. Nam neque de illo subterraneo, & penitus abstruso conditorio Salomonis, sed alio externo & sublimi intelligi posse videtur, quod Dio Cassius in Adriano scribit, cùm Judæorũ cladem, & quæ illam prænunciaverãt, prodigia commemorat; Nam Salomonis sepulcrũ, quod illi in supremo cultu & reverentiâ habebant, sponte, & nullo impellente discussum, corruit. cum quo illud facit, quod Hieronymus ait, ad Marcellam scribens, se ad Davidis mausoleum precari solitum.

Quod si illa delubra Regũ conditoriis & cadaverib. destinata erãt, certè non vago & incerto numero à sapientiss. Salomone facta esse, existimari oportet, sed prænotione aliquá futuri: præsertim cùm rei eventus, atq; numerus succedentium Regũ numero illi delubrorũ, sive reconditoriorum, ex æquo respondeat: nam cùm à Davide usque ad ultimum Sedechiam unus & viginti reges omninò numerentur, profectò ultimam illam cellam, in quá janua illa è regione conspicitur, & duo alia à lateribus reconditoria, ita distribuere licebit, ut in medio & potissimo

Davidem collocemus, Salomonem à dextris & Roboamum à ſiniſtris ; in mediâ verò & ampliſſimâ cellâ octodecim ſunt reconditoria, pro reliquis decem & octo regibus. In primâ verò cellâ, ſive in ipſo ingreſſu, quatuor alia delubra matri Bethſabeæ, & tribus uterinis fratribus deſignare potuit Salomon. Quantas divitias rex David ex navigatione in Urphen ſeu Ophir, ex agris & pecoribus, ex vectigalibus regiis, ex tributis exterarum gentium, ex donis & muneribus regum fœderatorum, ex ſpoliis ampliſſimis & prædis maximis, adeoque ex capitatione cenſus, collegerit, ſtruendo templo conſtituerit, & filio in paterna hæreditate reliquerit, partim in numerato legitur, partim infinitum cenſetur. Sic enim Joſephus Antiquit. lib.7.c.12. Tantas divitias hæredi reliquit rex David, quantas nullus alius rex vel Hebræorum, vel aliarum gentium: id quod confirmat ex theſauris, ſimul cum cadavere in ſepulchrum illatis: Sepelivit autem eum filius Salomon Jeroſolymis magnificè, præter ſolennia illa in regum funeribus, illatis etiam in monumentum ejus

ejus maximis divitiis, quarum magnitudinem facilè sit conjectare ex hoc, quod dicemus. nam post annos mille trecentos Hyrcanus pontifex oppugnatus ab Antiocho, cognomine Pio, Demetrii filio, volens pecuniam ei dare, ut abducto exercitu obsidionem solveret; nec valens, aliunde sumere, apertâ cellâ monumenti Davidici, & prolatis inde tribus talentorũ millibus, (id est, ex scutis Hispanicis, quadraginta millionibus & quingentis quinquaginta millibus Scutorum) eorum parte Antiocho numeratâ, oppugnationis periculo se exemit. Deinde post multos annos elapsos Herodes rex, aliâ cella aperta, magnam pecuniam sustulit; ad loculos tamen, qui regis cineres continebant, neuter eorum pervenit. Quanquam idem Josephus lib. 16. cap. 11. paulò à se ipso diversus videatur. Nam priori loco scribit, neque Hyrcanum, neq; Herodem pervenire potuisse ad loculos, qui regum cineres continerent; singulari enim arte ita erant sub terram conditi, ut ab ingredientibus in monumentum, inveniri nequirent. At posteriore, de Herode: Noctu apertum

ſepulchrum ingreditur, depoſitas tamen pecunias non invenit, ſicut Hyrcanus; ſed mundi pretioſi, & aureorum ornamentorum vim magnam inde ſuſtulit. His invitatus ad diligentius ſcrutandum, interius proceſſit uſq; ad conditoria corporum Salomonis ac Davidis, ubi duos ſatellites amiſit, erumpente, ut fertur, ex adytis flammâ, contra progreſſos temerè. quo caſu territus, exivit, & tactus religione, ad expiandum ſe, in aditu ſepulchri monumentum candido marmore condidit ſumtuoſiſſimis impendiis. Jam ſi creſcunt proportione delubra, quâ loculi interiores ſunt (fuêre autem octo, ut Petrus Comeſtor ſcribit) quanta pecuniæ vis octuplam reddet ex climactericâ proportione ſummam? Sicut autem Davide haud indignum, digniſſimum verò Salomone, viventes de ſuo ſepulchro ſerio agere; ita Semiramis ludibrium paravit, referente Plutarcho: Supra portas inclytæ Babylonis celeberrimas, in loco edito atque conſpicuo, ſepulchrum ſibi extruxit pulcherrimum, cui aureis literis inſcripſit, Si qui regum Babylonis poſt me

futu-

futurorum, fuerit pecuniæ penuria, aperto hoc ſepulchro, ſumat quantumcunque libuerit pecuniæ; duntaxat indigens, alioquin ne aperiat; non enim bonum fuerit. Hoc ſepulchrum eouſque fuit immotum, donec regnum pervenit ad Darium. Is indignum eſſe ratus, ſe neque uti quippiam his portis (ideò autem non utebatur, quod ſupra caput ipſius tranſeuntis cadaver hominis eſſet ſitum) neque ſumere pecunias repoſitas, ad quas per inſcriptionem literarum provocaretur, reſeravit monumentum, in quo non quidem pecunias invenit, ſed alias literas ita dicentes: Niſi pecuniâ eſſes inexplebilis, & turpis lucri cupidus, haud aperuiſſes urnas defunctorum. Haud impar ludicrum ſpectatur infra Caſanum, ad montem Arbuchim, ubi ex Wolgâ conſpicitur ingens ſaxum inter duos colles, decem cubitos longum, & paulò humilius, cùm hâc inſcriptione per ſuperficiem: Si me tolleres, bearêre. Ruſſi aliquando illîc locorũ adverſo detenti vento, quinquaginta lacertoſos mittunt viros, qui ſaxum removerent: id quod

magno labore peractum, docuit in inferiore parte saxi, nihil temerè suscipiendum, hisce verbis: quid quæris? hîc sanè nihil est. Cùm Alexander M. Cyri sepulchrum suffossum invenisset, eum qui hoc fecerat, Pellæum virum nobilem intermit. Hæc autem erant sepulchro inscripta: Quisquis es mortalium, & undecunque advenis, neque enim te adventurum ignoravi: Ego sum Cyrus, qui Persis imperium acquisivi. pusillum hoc terræ, quo meum tegitur corpus, mihi ne invideas. Ea legenti Alexandro miserationem injecerunt, cùm secum reputâsset, quanta esset rerum humanarum inconstantia. Auro argentoque repletum esse crediderat monumentum & patrator, & fortean Alexander: ita enim famâ Persæ vulgaverant, tria millia talentorum condita esse cum Cyro, quæ octodecim tonnis auri respondent; sed præter clypeum ejus putrem, & arcus duos Scythicos, atque acinacem, gladium Persicum, nihil inventum.

Diversum nobis dat Arabia: Dicit Ebn Hashem, detexit torrens sepulcrum in Yaman, in quo jacebat fæmina, cujus in collo

collo ſeptem erant è margaritis contexti torques, in manibus & pedibus ſingulis armillæ, ornamenta cruralia & brachialia ſeptem, in unoquoque digito annulus, in quo magni pretii gemma, ad caput autem ciſta, theſauro opulenta, & tabella, cui hoc erat inſcriptum: In nomine tuo, ô Deus, Deus Hamyar, Ego Tajah, filia Di Shafar, miſi obſonatorem noſtrum ad Joſephum; quo tardante, miſi ancillam meam cum modio argenti, ut afferret mihi modium farinæ; cùmque non inveniret, miſi eam cum modio auri, & cùm nondum inveniret, cum modio unionum; cumq; nec adhuc inveniret, eas comminui juſſi, à quibus cùm nihil utilitatis caperem, hîc incluſa ſum. Qui autem audierit de me, miſereatur mei; & ſi qua mulier ornamentum aliquod ex ornamentis meis induerit, non alia morte moriatur, quàm quâ ego mortua ſum. Videtur alludere ad famẽ univerſalẽ, tempore Joſephi Hebræi in Ægypto, ut oſtẽdat, nihil omninò præ pane eſſe, & cimelia quantacunque nihil facere ad ſuſtentandam hanc vitam. Cùm autem iſtæc ad Aſiam ſpectent, & Africam con-

tingant; in Europam revertimur, adeoque caput ipſius Romam.

De Campo Martio ita Strabo: prope hunc campum alius eſt campus, porticusque circumcirca permultæ, tum luci, tria theatra, amphitheatrum, templa, unum alteri ſubinde contiguum, magnifica, quorum reſpectu ipſa urbs quaſi additamentū quoddam videri poſſit. Itaque Romani hunc locum maximè ſacrum ac venerabilem rati, illuſtriſſimorū virorū monimenta ibi collocârunt, ac matronarū: quorū omnium præclariſſimum eſt Mauſoleum, agger ad amnem, ſupra ſublimem albi lapidis fornicem congeſtus, & ad verticem uſque ſemper virentibus arboribus coopertus: in faſtigio ſtatua Auguſti Cæſaris: ſub aggere loculi ejus, & cognatorum ac familiarium: à tergo lucus magnus, ambulationes habens admirabiles: in medio autem campo buſti ejus ambitus ex albo ſaxo, in orbem cinctus ferreâ ſepe, intus alnis conſitus. Mauſoleum dicitur, propter ſimilitudinem illius ſepulchri, quod Artemiſia regina Cariæ marito Mauſolo monumentum poſuerat.

rat. Opus ut id esset, inquit Plinius, inter septem miracula, artifices maximè fecêre: patet ab Austro & Septentrione sexagenos ternos pedes, brevius à frontibus, toto circuitu pedes quadringentos undecim, attollitur in altitudinem viginti quinque cubitis, cingitur columnis triginta sex. Ab Oriente cœlavit Scopas, à Septentrione Bryaxis, à meridie Timotheus, ab Occasu Leochares. Accessit & quintus artifex; namque supra pteron pyramis altitudine inferiorem æquavit, viginti tribus gradibus in metæ cacumen se contrahens. In summo est quadriga marmorea, quam fecit Pythis: hæc adjecta, centum quadraginta pedum altitudine totum opus includit. Augusti illud erat in Regione novâ, in valle Martiâ, inter viam Flaminiam & ripam Tiberis, ubi hodie S. Rochi ædes extructa est, instar turris.

Hadriani sepulchrum urbem Romam & ornat & munit, quod licet dirutum aliquando fuerit, tamen instauratum, in

arcis formam adhuc visitur: veterem ejus formam ita exprimit Procopius: Adriani, Romanorum Imperatoris sepulchrum, extra portam Aureliam, & ad lapidis jactum à mænibus procul extructum, spectatu, proculdubio, dignum. Pario namque ex lapide ædificatum est: saxa quadrata illi invicem nexa, aliâ nulla intermixtâ materia; & quaternis parietum, pari dimensione lateribus, eam porrectis in altitudinem, ut jactus ex angulo lapis alterum ferè pertingat; altitudine tamen hæc urbis mænia superant. Statuæ quoque ex eodem Pario marmore, virorum equorumque, miro artificio factæ, desuper insident; apparetq; illud sepulchrum altissimæ turri persimile: Quòd si Oratoria, quæ in prægrandes basilicas paulatim concessêre, martyrum sepulturis addita oporteret hîc indagare, omnem Architectonicam depingeremus; alioqui parum aut nihil acturi. Excitantur quidem Magnatibus Castra dolorum, uti vocare amant, sed vanè pomposa, quæ nec seculum, nedum ævum ferant: ubi semel crypta est constituta, conduntur exuviæ mortalitatis, more ferè

Salo-

Salomonis ſapientiſſimi, non Ægyptio, quod Strabo ita refert: Ptolemæus Lagi filius, Alexandri corpus Perdiccæ eripuerat, cùm hic id è Babylone deferret, atque huc diverteret, avaritiâ, & Ægypti ſibi vindicandæ ſtudio impulſus. Alexandri corpus Ptolemæus Alexandriam detulit, ibique id ſepeliit, non tamen jacet in eodem alveo, qui nunc vitreus eſt, ille in auro condiderat. Aureum Ptolemæus, cognomento Coccus & Subditicius rapuit, è Syria eò profectus. Norunt enim ſubigere vitream arenam, & fundere, ut quaſvis thecas, tum firmas, tum pellucidas, ventis impenetrabiles forment. Nam cur Almæ matri ſuum fætum neges, quem fidiſſima tutrix magnâ illâ reddat die? Hauriat Artemiſia mariti cinerem; excitet Cenotaphium, deturpet ignis omne vitium: ipſa Terra reddet depoſitum, quod accepit, tandem ſereniſſimum.

CAPUT XIII.

FANA ET RELIGIO.

In Peking, ſub Chingting, eſt ingens ae

magnificum templum, idolis dicatũ, cujus partem posteriorem magna occupat aula, in novem divisa cœnacula. Ad quinque contignationes assurgit, easque triginta ac centum cubitis altas. In adyto interiori statua augusta, & ingens, magnoque elaborata artificio, Quonin idolum vocant, muliebri virginis figurâ, ad tres supra septuaginta ascendens cubitos.

In Xansi, intra urbem Taiyuen fanum dicatum est Siango, regi prudentissimo, ex familiâ Chao: de cujus statuâ ex pretioso lapide sculptâ scribunt, Quòd, postquam ab artifice perfecta esset, seipsam sponte erexerit, & ad locum præparatum, in quo stare debebat, processerit.

In Lugan fanum Xinnungi visitur in monte Peco, hoc est, omnium frugum; ubi etiam puteus, apud quẽ scribunt Xinnungum, primum Sinarum Imperatorem, nescio à quo oblata accepisse frumenti, milii ac leguminum semina, illiusque sementis faciendæ modum, ac colligendæ messis. Xinnungus dein eandem artem subditos docuit, atque ad perpetuam, gratamq; rei memoriam hoc fanum non exiguis sumti-

bus

bus est ædificatum. Dicerent hîc Poëtæ, & Cererem ad Sinas fortè fecisse iter.

Non procul à turribus splendidum ferè semper, sumtuosumque idolorum fanum est: adhæc templum plerunque magnificum, Urbis custodi sacrum. Quamvis autem modò idola in eo sacrilegè colant, fuit, cùm non nisi in eo genium tutelarem, seu spiritum agnoscerent. Hîc Præfecti omnes, cùm primùm magistratum adeunt, sacramentum dicunt, Fideles se fore pollicentur, justitiæ habituros rationem, ipso spiritu in testem, ac scelerum vindicem vocato.

In Xensi, urbe Hanchung, inter 5. nobilissima fana, unum est, Changleango dicatum, quòd viam trans montes & valles struxerit (vide pontes) ad stupendi operis perennem gratamque memoriam.

Kingyang urbs habet tria illustria fana, quorum unum, idq; augustum ac ingens, in ipsa urbe est: in cujus unâ aulâ, magnis columnis suffultâ, septem supra triginta regum Chevæ familiæ depictæ visuntur Imagines.

In Xantung, metropoli Cinã, Heroũ fana pluri-

plurima, decem illustriora: at longo intervallo omnia superat fanum Tungo, jam inde ab Hoangtio fabricatum: in quo scribunt, reges omninò duos supra septuaginta quietis ac pacis amantes, rebusque religionis studentes vixisse: unde superbis, magnificisque molibus, ac splendidissimis ædificiis nitet. Amplis ibi Bonzii sacrificuli gaudent redditibus.

Sub Yencheu, in Ceu Civitate, 15. præcipua fana, tum Cungfutio philosopho, tum aliis heroibus dedicata, gratæ posterorum memoriæ monumenta.

Per Suchuen, in Chingtū metropoli fanū, Cho regi Çançungo consecratū, in acceptæ ab eo byssum elaborandi, bombycesque educandi artis memoriam.

Ad Chunking, primus mons verè omni admiratione dignus est, in ripa Feu fluminis, in hujus urbis confinio & Tunchuen Civitatis: nam ex monte Idolum non monstruosum, ut ita dicam, solùm, sed & montosum effor mârunt, Fe vocant: decussatis sedet pedibus, manus sibi invicem super impositas in sinu complicat. Ejus magnitudinem vel inde collige, quòd

oculi,

oculi, aures, nares ac os, ad duo & plura nostratia conspiciantur milliaria. Unde minimè mirum nostris Antiquariis videri debet, quòd olim Dinostratus, celeberrimus ille architectus, uti refert Vitruvius, pollicitus sit magno illi Alexandro statuā ex Atho monte, quæ una manu urbem maximam, altera fluvium contineret aut lacum, cujus aquarum copia abunde ad Incolarum usus sufficeret, cùm hujus Idoli vel solum caput ad utrumque sufficiat.

Per Huquang, propè Kiun Civitatem est ingens mons Vutang (vide montes) in eo superstitiosa multa, ac magnifica idolorum templa, cum sacrificulorum monasteriis. Hinc enim reliqui per totam Sinam sacra sua accipiunt, illi nimirum sacrificuli, qui Internam Idolorum, ac transmigrationis animarum doctrinam sequuntur, per quam moralem animæ à corpore separationem intelligunt: unde continuis speculationibus vacant, uti qui externam metempsychosin credunt, sua jura, velut ex impurissimo fonte, ex monte Tientai, Chekianæ provinciæ petunt, ubi summi sacrificulorū rectores degunt.

In

In Kiangſi, Nankang urbs habet montes Quangliu & Juenxin, in quibus innumeri degunt Anachoretæ & ſacrificuli, quos haud immeritò Dæmonis martyres aut mancipia jure dixeris. Suâ quiq; in ædicula corporis afflictioni, maximè ac cõſtanter, ad ſtuporem uſq; dediti ſunt. Credunt, poſt hanc vitam felicem ſe aliquem ſtatum aſſecuturos, cùm nimirum corpora mutaturæ ſunt animæ, ex illorum ſententiâ. Si tantum pro vero Deo facerent, planè antiquos illos Anachoretas, pænis ac cruciatibus ſponte ſuſceptis, aut æquarent omninò, aut ſuperarent: tot in monte Quangliu ædiculas eſſe ferunt, quot ſunt dies in anno.

Per Nanking, ſub Ningque, prope King civitatem, fanum viſitur magnificum, dictum odoriferi cordis, Hiangſin, quinque virginibus dicatum, quæ cùm à latronibus raptæ eſſent, mori maluerunt, interficiq; à raptoribus, quàm pudicitiæ ſuæ facere jacturam.

Triplex apud Sinas religio. 1. Philoſophica; hæc agnoſcit unum ſummum principium, ac unum ſummum Imperatorem,

guber-

gubernatoremque, cujus naturam, essentiam & rationem colendi se ignorare fatentur; unde melius judicant esse, omnem cultum omittere, quàm in illo errare. Itaque justum & perfectum reipublicæ regimen, virtutesque morales meditantur. Astrologiam sectantur: Hominem considerant, ut est I. Pater & filius. II. maritus & uxor. III. rex & subditus. IV. amicus. V. frater.

2. Idololatrica: admittit metempsychosin: ea est externa & interna: hæc à vitiis avocat, illa idola colit.

3. Epicurea; voluptatem & longævitatem quærit.

Gymnasium nunquam satis apud Sinas laudati Cungfutii urbes Civitatesq; obtinent: splendidum omninò & magnificum, tantoq; authore dignum. Statuam nullam aut idolum habet, clausum reliquis; solis studiosis, idq; certis tantùm diebus patet; ibi ejus libros ac doctrinam explicant præfecti; inaugurandi suos accipiunt gradus, multaq; agunt ad gratam animi de acceptâ ab illo doctrinâ significationem testandã. Omnibus vulgò civitatibus commune.

In

In Chekiang, urbs Hangcheu (Quinſai) infinita propè habet Idolorum fana, tum intra, tum extra urbem, adeoque ſacrificulorum quindecim millia.

Tiencho mons ſub Hangcheu, habet collem Filaiſung, ſaxeum & cavernoſum, in quo ſplendida Idolorum fana, ac cænobia, in quibus ſupra tria millia ſacrificulorum feruntur degere: Ex his quamplurimi perpetuo ac voluntario carcere adſtricti, cavernas inhabitant, quibus reliqui cibum ſubminiſtrant: cibum anachoretæ illi funi alligatum ſurſum adducunt, cùm ad ipſas cavernas aſcenſus vix, ac ne vix quidem pateat. Eodem ferè modo ab accedentibus ſpectatoribus ſtipem accipiunt, ſæpeque ſat lautam: frequentatur autem locus toto anno, ac præcipuè menſe Mayo, ab advenis ac hoſpitibus Sinis, quos credula ſuperſtitio eò allicit, quaſi collis in Indiâ deſideratus, eò loci advolârit, uti ſacrificulus quidam Indus de eodem dixerat.

Sub Ningpo, propè Çuki mons eſt Lu, in quo ſuperbum Idolorum fanum; quod gens ſuperſtitioni dedita frequentat, ut

ſomnia

ſomnia fortunata, ſomniorumque certis præmiſſis ritibus, petat explicationem.

Sub Taicheu eſt mons Tientai, cum plurimis fanis & cænobiis. hîc degunt archimandritæ, ſeu ſectæ, quam externam vocant, capita, ii nimirum, à quibus metempſychoſeos errori dediti, ſua per totũ imperium accipiunt ſacra, uti qui internam ſeu moralem tantùm tranſmutationem admittunt.

In Fokien, urbe Civencheu, eſt fanum idolorũ Caiyuen, memoriâ ſanè ac admiratione dignum, quòd in medio duo Septizonia claudunt, quorum quodlibet centum viginti ſex perticas altum eſt. Inter duas enim Zonas ad undeviginti perticas numerant: podia autem, ac meniana ſingularum Zonarum ita prominent, ut undique circuiri turres ab exteriori parte poſſint, ex meris omnia lapidibus ac marmoribus. Intra ipſam turrim in qualibet contignatione, cuprea vel marmorea erecta eſt ſtatua idoli Fe, quæ omnes ſtatuæ adeò eleganter ac affabrè ſculptæ ſunt, ut jactent ipſimet Sinæ, non ab homine ali-

quo

quo effictas, sed à quodam ex illis, quos immortales dictitant.

Sub Kienning in monte Vuy, prope Çunggan civitatem, quamplurima sunt idolorum templa, sacrificulorum monasteria, anachoretæ, inter quos non pauci etiam præfecti, qui rasis capillis idolis serviunt, spretis mundi opibus, ac dignitatibus. Atque inter hæc dæmonum mancipia suos quoq; Deus elegit servos, cujus rei eventus planè admirandus est. Erat inter sacrificulos illos veluti Archimandrita quidam, qui duplici fano erat præfectus, Chang dictus; hîc jam ætate provectior vana sua fana in vera Dei templa convertit, idolis omnibus suâ manu, ac securi adhibitâ concisis in frusta, quorum loco in fano altero Christi Domini Servatoris, in altero beatissimæ Virginis Deiparæ imagines constituit. Cùm enim adhuc juvenis sub alio quodam Archimandrita degeret, utque arcana sacra sectæ illius omnia perciperet, egregiè inserviret, accidit, ut alter morbo oppressus, & senio confectus paulatim morti fieret vicinior. Interrogat

rogat itaque illum hic diſcipulus, num verè legem, quam ſeſe hactenus docuerat, crederet ad ſalutem conſequendam, aptam ſatis & ſufficientem, nec ne? Cui ſenex reſpondit: non fili, ſed meliorem neſcimus, at bono eſto animo, poſt annos quadraginta aderit, qui tibi verum ſalutis iter oſtendat. his dictis moritur. At Changus ultima magiſtri ſui verba, velut cujuſdam divinioris numinis oracula, non contentus mandaſſe memoriæ, etiam diligenter ſcriptis conſignat. Haud ita multis poſt elapſis annis, cùm Puching Civitatis præfectus Chriſtianis ſacris eſſet initiatus cum totâ ſuâ familiâ, ſæpeque ad ſe ex Kienning urbe R. P. Simonem de Cunha, ad obeunda religionis, ex Chriſti legibus myſteria, ſacramentaque percipienda invitaret; accidit aliquando, ut rebus omnibus ſacris abſolutis patrem ad celeberrimum Vuy montem viſendum deduceret. Occurrunt ad excipiendum præfectum ſuum ſacrificuli, inter quos primus fuit Changus: cùmque inter loquendum de lege

Chri-

Christiana subinde incideret mentio, hæsit ille primùm attonitus, tum deinde ita præfectum alloquitur: Hæc profectò illa est lex, atque hic vir ille, digito patrem demonstrans, qui mihi verum salutis iter ostendet, ut mihi magister meus dudum ante prædixit. Inspicitur liber, consignatus ad memoriam, & annus, quo hæc acta sunt, reperitur omninò ab illius obitu quadragesimus. Quare nullâ omninò injectâ morâ, idola omnia deiicit, pedibusque ea conculcat, indignatione plenus, ac cum stomacho illis objiciens, quòd tanto se tempore decepissent.

Idolum immortalitatis apud Sinas hoc est: Sedet crassiculus quispiam, ac benè curatâ cute, cujus pinguis aqualiculus sesquipede extat, decussatis cruribus: adstat ad latus dextrum cervus, longævum animal, qui herum limis oculis, benigno scilicet aspectu ac influxu intuetur; à sinistro latere ciconia est, incurvum, inflexumq; rostrum versus dominum suum porrigens. Ipse compositis intra manicas manibus, veneranda canitie, longumq; protensâ, pectore superiore nonnihil aperto,

quo

quo pinguiuſculus magis appareat, magnâ veſtitus majeſtate ac decore: quod ſimulacrum alicubi pro idolo colitur, ac ſigno felicitatis, à ſtultis hiſce Gentilibus.

In Quangtung, ſub Xaocheu urbe, reperitur cænobium in inſigni planitie, quæ undique cingitur collibus amænis, quos ſupra naturæ honores ars arboribus frugiferis ita veſtivit, ut nihil æquè oculis blandiri videatur: maximè quòd eas cæli clementia ab hyemis nudæ foliis interitu vindicet. Ipſa porrò planicies oryzam, aliaque legumina educat, rivuli perennis maximè beneficio, qui mediam planiciem irrigat. In colle quodam, præ cæteris amæno, quem fons aquæ potabilis, eximiâ magnitudine, totum rigat, fanum illud, moles prægrandis viſitur: juxta illud cænobium, in quo mille idolorum ſacrificulos, hujus agri dominos, beneficâ pietate majorum commorari ferunt. Id originem habuit à viro quodam, annis retrò plusminus octingentis, Luſu, qui hîc magnâ ſanctimoniæ opinione floruerit, per aſperrimam vitam conciliatâ. Hunc enim narrant æternâ catenâ ſupra nudam car-

nem cinctum, oryzam cribrare ſolitum, & de more contercre leviter, quantum cænobitis mille ſufficeret in victum quotidianum. Ex eâ catenâ caro computruerat uſque adeò, ut vermes inde ſcaturirent, è quib. ſi quis fortaſſe in terrã decideret, ab eo reponebatur, dicente, An tibi deeſt, quod rodas? quid fugere in mentem venit? In eo igitur loco cadaver illius adſervatur, eiq; colendo celebre illud fanum eſt erectum, quò ex univerſo regno à peregrinantibus concurritur, quòd ubiq; ipſe, & res ipſius omnes in magnâ habeantur veneratione. Diviſi ſunt ſacrificuli in duodecim ſtationes, & unicuiq; præfectus eſt deſignatus, præter eum, qui toti cænobio cum amplâ poteſtate præeſt.

Sub Xaocheu, ubi flumina conveniunt, eſt locus naufragiis infamis, unde ad ripam fanum Idolorum, quod tranſituri nautæ frequentant, oblatiſque muneribus, ut felicem navigationem obtineant, numen illud ſcilicet placant. Fanum præfecto, gratitudinis ergò ſtructum eſt.

Ad Chaoking eſt & præſtantiſſimũ templum, in quo Gubernatoris cujuſdam ſtatuâ

tua visitur, qui de universâ illâ regione sexennii regimine optimè meritus, solenni gentis ritu grati animi testem, magnificam hanc statuam, atque adjectum opus, ante annos ferè sexaginta obtinuit.

Sub Chaoking, duo fana virgini desponsatæ dedicata.

Per Junnan est Tali urbs: & prope Tengchuen mons Kiço, multis ac magnificis idolorum fanis, & sacrificulorum cænobiis famosus. Ex hoc loco Idololatricæ Fe doctrinæ notitia prima ad Sinas pervenit, unde simul cum occupato regno devictæ quoq; gentis sacra ac ritus suscepit Hana familia, cùm antea Sinæ nihil nisi Xangti venerarentur, quod supremum sonat Imperatorem, multique valdè probabiliter eos hoc nomine Deum explicâsse volunt.

In Çuhiung, prope Nangan Civitatem, lapidem quendam ingentem auro quotannis totum obtegunt, eumque venerantur, ac superstitiosè adorant. Est a. lapis supra decem perticas altus, Xinxe dictus, q̃ spiritualem lapidem significat: superstitione à regum Mung temporibus tenente.

Sub Cioking, ad Kienchuen mons est Xepao, in quo lapidea columna est & idoli Fe statua, elephas, leo, campana ac tympanum, omnia ex solido lapide; quælibet statua diversi coloris, sed à quo posita incertum.

Ad Nanking est mons Ni, qui habet Idolorum fanum, in quo mille, eoque amplius Idolorum statuæ.

Ad Hoaigan mons est unicus, qui in mare exurgit, cum stupendo superboque Idolorum fano, & adjuncto sacrificulorũ monasterio, ad quod ex totâ Sinâ plurimi conveniunt advenæ, superstitiosis illis Sinarum ritibus addicti.

In monte Xino, ad Taigan sunt plurima Idolorum fana, cum innumeris sacrificulis, qui vitam ibi degunt, eo ferè modo, quo per Europam Eremi incolæ.

In Chekiang, ad Hangcheu, (quæ est Quinsai) est mons Funghoang, qui in duobus altissimis, sibi ex adverso oppositis verticibus duo habet Idolorum fana.

Mons Vutang, prope Kiun civitatem, habet monasterium sacrificulorum.

Ad Kienchang, propè Quanchang mons

mons est Chunghoa, cum magnifico Idolorum fano.

Sub urbe Chinting, in monte altissimo Cangnien, est fons medicus, ubi regina Xayanga superbissimum ædificavit Idolorum monasterium, in quo quamplurimi degunt sacrificuli: in perpetuam rei memoriam, quòd hoc fonte lota, ab inveterato libera evaserit morbo.

Jam Sinas relinquimus, ut lustratâ Epheso & Hierosolymâ, adeoque Mechâ, tandem Romam perveniamus demùm. Magnificentiæ vera admiratio extat templum Ephesiæ Dianæ, ducentis viginti annis factum à tota Asia. In solo id palustri fecêre, ne terræ motus sentiret, aut hiatus timeret. rursus ne in lubrico atq; instabili fundamenta tantæ molis locarentur, calcatis ea substravere carbonibus, dein velleribus lanæ. Universo templo longitudo est 425. pedum, latitudo ducentorum viginti: columnæ centum viginti septem, à singulis regibus factæ, sexaginta pedum altitudine, ex quibus triginta sex cœlatæ, una à Scopa. Operi præfuit Chersiphron architectus. Summa

 mira-

miracula, epiſtylia tantæ molis attolli potuiſſe. id conſecutus eſt ille peronibus arenâ plenis, molli pulvino ſuper capita columnarum exaggerato, paulatim exinaniens imos, ut ſenſim totum inſideret. Difficilimè hoc contigit in limine ipſo; etenim ea maxima moles fuit, nec ſedit in cubili, anxio artifice mortis deſtinatione ſuprema, traduntque, in eâ cogitatione feſſum, nocturno tempore in quiete vidiſſe præſentem Deam, cui templum fiebat, hortantem, ut viveret; ſe compoſuiſſe lapidem, atque ita poſtero die apparuit, pondereque ipſo correctus videbatur.

Hoc templum propter excellentiam & pulchritudinem ſuam, ſeptem miraculis & ſpectaculis mundi annumeratum eſt, habuitque ingentem libertatem, tot etiam dona ex omnibus regnis & civitatibus illuc mittebantur, ut totius orbis divitiæ illis æquipollere non poſſent. Attamen impensâ non facilè æſtimandâ, ab Heroſtrato quodam peſſimo homine (qui hâc potiſſimùm viâ ſibi nominis immortalitatem venabatur) incenſum, totum

conflagravit, eâdem Olympiade ac die, quâ Alexander Magnus natus fuit. Ephesii autem, ne Herostratus ille pessimus eorum concivis (quem fugâ sibi salutem quæsivisse oportet) speratum ex scelere fructum consequeretur, severissimis edictis caverunt, ne quis eum unquam nominaret: nunquam tamen efficere potuerunt, ut nomen ejus prorsus extingueretur.

Post Alexandri M. obitum, Lysimachus Thraciæ rex, urbem renovavit, & ab uxoris suæ nomine Arsinoen appellari voluit: rege a. mortuo, civitas pristinum suũ nomen recuperavit. Cives, si Straboni credimus, conflagratum illud templum Dianæ instaurârunt, tantâ quidem sedulitate & diligentiâ, ut prioris etiam templi excellentiam & pulchritudinem longissimè superarent; ad quam rem fœminæ etiam ornatum suum muliebrem longissimè protulerunt, aliasque res pretiosas communicârunt. Erectæ sunt iterum successivis quoque temporibus columnæ illæ pulcherrimæ, à regibus præterea, populis

ac

ac civitatib. orbis terrarũ hoc templũ tot bona & donaria recepit, ut totius mundi facultates ac divitias ſuperaſſe videretur.

Quinta Madrito leuca verſus occidentem, conſpicitur magnificum illud & ſumtuoſum Monaſterium *S. Laurentii in Eſcuriali* vulgò. Ordinis D. Hieronymi, Philippi II. Hiſpaniarum regis opus quod meritò certare poteſt cum Ægyptiorum Pyramidibus, cum veterum Græcorum Romanorumque templis, theatris, amphitheatris, Ludis, Circis, thermis item, balneis, ſepulcris, cum aliis denique variorum regum & principum monimentis. Operi tanto vix quid eſt par, vix quid ſecundum. Frontiſpicium ejus, occaſum ſpectans, tribus ſuperbit portis, quarum quæ media primariaque in templum auguſtiſſimum, Cœnobium, collegiumque ducit; quæ ad dextram, in officinas, monaſterio conſecratas; quæ ad ſiniſtram, in domos Scholæ deſtinatas. Quatuor angulos totidem exornant mirabiles arte ſua turres; quas etiam duæ ſuperant, ad ipſius templi pedem hinc inde faſtu quodam conſurgentes. Supra oſtium templi magnificæ ſtylo-

ſtylobatæ Statuas ſuſtinent ex marmore tophoque ſex Iſraëlis regum, pedes altas 18. Ad ſeptentrionem palatium templo adſitum viſitur, regi regioque Comitatui commodiſſimè excipiendo paratum. Ad meridiem variæ ſunt porticus; hortus omnis generis inſtructus herbis floribusque, & plurimis ornamentis, pomarium gratiſſimis conſitum fructibus, item Noſocomium, Pharmacopolium, & alia videre ibi eſt; inter alia depictum artificiosè conflictum inter Joannem II. Legionis regem, & Mauros Granatenſes, extractum ex linteo 130. pedum, quod totam hiſtoriam continens repertum fertur Segoviæ in pervetuſta turre.

Quid supereſt? quicquid ibi occurrit, ſtuporem injicit ſpectanti; ideoque de iis quæ dicenda reſtant, ſilere cum modeſtia præſtat, quàm jejunè pauca in medium proferre. Illata nuperrimè funera regia in conditorium.

Adſitum eſt *Auguſtodunum* radicibus montium, ad fluvium Arroaſium: urbs rudibus adhuc mundi initiis ampliſſima & populoſiſſima: hodie ædificiis ſupra mo-

 dum

dum vacua; at diu quondam in Galliis rerum potita, populoque Romano fœderata, in ordinem quasi, & ad inferiorem ferè oppidorum conditionem est redacta. Est ibi Rachonis, pridem Urbis Episcopi, monasticum septum, miræque magnitudinis sepulcrum; ibidem Polyandrion, cujus Gregorius Turonensium Episcopus meminit. Multa visuntur Augustoduni, cùm intra, tum extra urbem antiquitatis monimenta, quæ paucis ita commemorat Paradinus de antiquo statu Burgundiæ: ad septentrionalem aspectum, non procul à fluentis Aroti, fanum Proserpinæ & Plutonis visebatur, ubi augures, arioli, aruspices, genethliaci de futuris pronunciabant; cujus fani adhuc vetusta quædam turris extare dicitur ad urbis portam Genethoyez (vulgò vocant la Jannittoye, unde colligi poteſt, Jani templum fuisse, structuræ formâ hanc opinionem augente: nam Jani ædificia erant Veteribus quadri formâ & pervia, qualia Romæ per omnes regiones fuisse notat P. Victor) in urbem super mediâ fuisse Martis templum contendunt. est

enim

enim urbis pars formâ rotundiore ac o-vali, ab reliquâ ſuis quaſi portis mænibuſ-que ſecluſa. Tum etiam in plagâ, quæ ad Orientem pertinet, collis eſt Philoſia: in quo Cupidinis ædem ſtruxerant Edui: nec ab eo procul erant ſpeluncæ & fornices Veneris, ſcortorum diverſoria. In eo confinio in vepreto eſt Cucubarrus, locus vocatus à cuculo eburneo, ſi fides habenda recentioribus, qui illîc impudenti Deo, impudentiſſima victima cædebatur, eſt enim avis adulteriis lenociniiſque infamis. Viſuntur & magnæ ruinæ theatri eò loci, ubi ſacra olei ſcaturigo fuit ad murorum antiquorum fundamenta, ubi fons limpidiſſimus. In ſuperiore etiam Urbis parte erat Capitolium, cujus tantùm reſtat nomen: deinde viâ Fraxineâ erat Apollinis templum, quod haud âbſurdè in editiſſimâ urbis parte exædificatum cenſeatur, nempè quòd arcem acropolinque ingenii Appollo teneat. Caninus præterea vicus, in quo Anubis ſimulacrum canino capite celebrabatur, ad occidentalem plagam, ubi cõvicti furti Anubi mactabantur. Erat rurſus Rochi Dei

 delu-

delubrum (Hunc in Deorum albo non agnoſcunt Poëtæ) cujus auſpiciis ab Eduis permulta gerebantur. Porrò ſunt ruinæ ſtatuarum, columnarum, aquæductuum, Pyramidum, theatrorum, arcuum, atque alia innumera vetuſtatis opera. Effodiuntur inſuper annis propè ſingulis antiquorum numiſmatum vaſcula auri atq; argenti, cujuſmodi quamplurima Mangarius, doctiſſimus apud Eduos ſuperioribus annis corraſit. Scribunt etiam quidam, Auguſtoduni ſenatum fuiſſe Druydum, locumque ei dicatum à Druidibus, vulgi ſermone Montdruide vocari. Prætereà mille ab urbe paſſibus ad Occidentem, montem eſſe ditiſſimum, cui à Jove cognomen: ubi in hanc uſque diem familia illuſtris floret Montjoviorum. In hâc urbe Magnentius natione Gallus, poſt Conſtantem in Galliis fraude occiſum, purpuram Imperialem induit, Auguſtodunum olim hoſpitium Muſarum, & bonarum artium ſedes, ubi nobiliſſima Galliarum ſoboles liberalibus ſtudiis operabatur. In ſcholis Auguſtodunenſium reſtaurandis occupatur tota oratio Eumenii

Rhe-

Rhetoris, quæ inter Panegyricos legitur; restituit suam gloriam, adductis in mediũ paucis panegyristæ verbis, V. Cl. Justus Lipsius ad Taciti lib. 3. Annal. Civitatem, istam & olim, fraterno populi Romani nomine gloriatam. Qui è Gallis? fratres populi Romani præter Eduos, quorum hæc urbs caput?

Ad Druidas, inquit Cæsar, magnus adolescentium numerus, disciplinæ causâ concurrebat, magnoq; hi erant apud eos honore. nam ferè de omnibus controversiis publicis privatisq; constituebant; & si quod admissum esset facinus, si cædes facta, si de hæreditate, de finibus controversia esset, iidem decernebant, præmia pænasque constituebant. Si quis aut privatus aut publicus eorum decreto non stetisset, sacrificiis interdicebant, quæ pæna apud eos erat gravissima. Quibus ita esset interdictum, ii numero impiorum & sceleratorum habebantur: iis omnes decedebant, aditum sermonemque defugiebant, nequid ex contagione incommodi acciperent, neque iis petentibus jus reddebatur, neque honos ullus communica-

batur. His omnibus Druidis præerat unus, qui summam inter eos habebat authoritatem. Hoc mortuo, si quis ex reteliquis excellebat dignitate, succedebat; aut si essent plures pares, suffragio Druidarum adlegebatur. nonnunquam etiam armus de principatu contendebatur. Addit præterea, quòd Druidæ certo anni tempore, in finibus Carnutum, regione totius Galliæ mediâ considere fuerint soliti, in loco consecrato, in quo omnes undique, qui controversias habebant, conveniebant, eorumque decretis ac judiciis parebant. A bello abesse consueverant, neque tributa unà cum reliquis pendebant, militiæ vacationem, omniumque rerum immunitatem habebant. Tantis excitati præmiis & suâ sponte multi in disciplinam conveniebant, & à parentibus propinquisque mittebantur. magnum ibi numerum versuum ediscebant, neque fas esse existimabant, ea literis mandare, cùm in reliquis ferè rebus publicis privatisque rationibus Græcis literis uterentur. Unum ex his, quæ præcipiebant in specu aut abditis saltibus in vulgus effluxit, Videlicet

delicet æternas esse animas, eusque post certum tempus in alia corpora migrare. Et Plinius, Non est omittenda eâ in re & Gallorum admiratio. nihil habent Druidæ, ita suos appellant magos, Visco & arbore, in quâ gignatur, si modò sit robur, sacratius. Jam per se Roborum eligunt lacus, nec ulla sacra sine eâ fronde conficiunt, ut inde appellati quoque interpretatione Græcâ possint Druidæ videri. Enim verò quicquid adnascatur illis, è cœlo missum putant, signumque esse electæ ab ipso Deo arboris. Est autem id rarum admodum inventu, & repertum magnâ religione petitur, & ante omnia sextâ Lunâ: quæ principia mensium annorumque his facit, & sæculi post tricesimum annum, quia jam virium abundè habeat, nec sit sui dimidia. Omnia sanantem appellantes suo vocabulo, sacrificiis epulisque ritè sub arbore præparatis, duos admovent candidi coloris tauros, quorum cornua tum primùm vinciantur. Sacerdos candidâ veste cultus arborem scandit; falce aureâ demetit; candido id excipitur sago. Tum deinde victimas immolant,

pre-

precantes, ut ſuum Deus donum proſperum faciat his, quibus dederit. Fæcunditatem, eo poto, dari cuique animali ſterili, arbitrantur, contraque venena omnia eſſe remedio. Tanta gentium in rebus frivolis plerumque religio. Celtes ſcribit, ad radices montis Piniferi, qui umbilicus Germaniæ audit, fuiſſe ſex numero imagines, ad fores Templi parieti inſertas, ſeptem pedum ſingulas, nudis pedibus, capita intectas, Græcanico pallio & cucullato, perulâque, barbâ ad inguina uſque promiſſâ & circa naris fiſtulas bifurcatâ; in manibus liber, & baculus Diogenicus, ſeverâ fronte & triſti ſupercilio obſtipo capite, & figentes lumina terris.

CAPUT. XIV.

Templum Hieroſolymitanum.

Nefas fuerit mortalium opera per minutias recenſere, Templum Hieroſolymitanum obiter percurrere, cujus architectus Salomon ſpecimen à parente Davide, qui de re graviſſimâ conſulturus, Na-

thanis

thanis Prophetæ ſententiâ uti voluit; uterque autem Prophetico prædituis Spiritu, per inſtinctum divinum, ſymmetriam cæleſtem, & prorſus myſticam inſtituit: unde ad eandem Vitruvius, Vegetius, & quicquid eſt architectorum, obſtupeſcunt, ubi fons omnis ſapientiæ aperitur. Templum autem Hieroſolymitanum, fuit pars Hieroſolymæ, quam Plinius longè clariſſimam urbium Orientis, non Judææ modò nominat: dicitur Templum Domini, aliàs domus Domini, & Sanctuarium, quod Salomon rex pacificus ex præparatâ à patre ſuo Davide materiâ, & ex electis, ſectis ac politis ſaxis atque lignis, de Libano monte ſuccisis, pluſquam centum quinquaginta trium millium operâ hominum, in monte Moriah, ſine ulla ſecuris aut mallei ſonitu, ſeptennio exædificavit, uſque adeò intus & extra fulgenti auro ſumptuoſum ac magnificum, ut totius mundi miraculum haberetur: de cujus admirabili excellentiâ nihil dici poteſt, quod non ſit infra ejus dignitatem. Hoc Templum, cùm id Salomon dedicaret, nubes & gloria

Domi-

Domini implevit: & ignis è cœlo missus sacrificia in eo oblata devoravit. Cùm & Deus oraculo tum respondit: Sanctificavi domum hanc, & elegi locum istum, mihi in domum sacrificii. Quod ad introitum templi hujus attinet, is contra ac nunc moris est, ad Solis ortum; posteriora verò ejus ad occasum respiciebant: unde & hîc sacerdotes, unà cum reliquis Judæis, ad Occidentem versus orabant, & Dei cultum summâ cū reverentiâ peragebant, donec regum, populique Judaici impietate, spurcitiis idolorum aliquoties profanaretur, quod aliquoties factum esse sacræ historiæ commemorant: ubi etiam celebris memoria est, quòd post annos à primâ ejus fundatione, quadringentos quadraginta & unum, Dei ultione, per Nabuchodonosor, Babyloniæ regem, penitus est combustum, destructum, ac septuaginta annis desolatum. Deinde verò illustris Judæorum dux Zorobabel, de quadratis & dolatis lapidibus, lignisque imputribilibus, eodem in monte, annis quadraginta sex templum magnificè restauravit. Et hoc etiam tantæ erat æstima-

ſtimationis, ut per univerſum mundum honoraretur, ac undique maximis regum & principum muneribus honorariisque illuſtraretur: quod poſt annos trecentos quinquaginta quatuor, ab Antiocho Epiphane, rege Syriæ, ſpoliatum, ac idolis pollutum, tertio contaminationis anno, fortiſſimus Judæorum dux Judas Macchabæus purgavit, eique vaſa aurea, & Dei cultum reſtituit, ac, ne iterum à gentibus contaminaretur, in modum caſtri, altis foſſis, firmis & excelſis muris, tum fortiſſimis pulcherrimisque portis per circuitum munivit, in quo à centum & viginti millibus gentium diu obſeſſus, expugnari non potuit. Centeſimo autem ferè pòſt anno, cùm id inclytus Romanorum dux Pompeius Magnus oppugnans, magnâ vi expugnaſſet, in ipsâ irruptione duodecim Judæorum millia in eo interfecta ſunt: ipſe verò Pompeius, unà, cum ſuis comitibus, uſque ad Sancta Sanctorum ingreſſus, menſam, candelabrum, aliaque cuncta ex auro ibi fulgentia, & in ſacræ pecuniæ theſauris duo talentorum millia videns: nihil eorum, ethnicus ille princeps

præ

præ pietate attigit, sed sequenti post excidium die, ædituis templum purgare, & legitima ac solennia sacrificia celebrare mandavit. Hoc ipsum templum postea relapsum Herodes Ascalonita, Judæorum rex, annis novem cum dimidio, sumtuosis ædificiis reparavit & exornavit. & juxta Haggæi quidem Prophetæ vaticinium, major fuit gloria templi hujus secundi, quàm fuerat primi, eò quòd Christus suâ præsentiâ, doctrinâ & miraculis hoc glorificavit. In eo namque puer à parentibus oblatus est: inibi in medio Doctorum sedit: in ejus pinnaculo à Diabolo est tentatus: in eo sæpè est concionatus, atque à Judæis vexatus. Quæ quidem omnia, ut multum ad templi gloriam faciunt, ita nihil ei contulerunt, quin id ipsum templum, anno à fundatione suâ sub Zorobabel, quingentesimo octuagesimo sexto, per Titi Cæsaris milites, post dubiũ cruentũq; cõflictũ, maximâ fortitudine ac violentiâ est expugnatũ ac circũ altare holocausti tanta Judæorũ cædes facta est, ut ꝑ gradus tẽpli, torrentis instar, interfectorum sanguis proflueret; ipsumq; templum
in

in primo prælii furore, per militem quendam, divino quodam motum impetu, non expectato cujusquam edicto, sed invito Cæsare, face est incensum: illoque incendio opus omnium, quæ visa aut audita sunt, maximè admirabile, totiusque Orbis ornamentum, decimo mensis Augusti die concrematum est; eodem videlicet mense & die, quo primum à Babyloniis templum fuerat combustum: cumque vorax flamma undique strideret Cæsar cum suis Ducibus intrò ingressus & Sanctum templi & quæcunque illîc erant inspexit: eâ quidem famâ, quæ apud alienigenas erat meliora; jactatione v. & opinione domesticâ non minora: q̃ eodem jubente postea est dirutũ, & omninò solo æquatũ.

Verum enim verò post annos sexaginta quinque, Judæis denuò rebellantibus, & eodem hoc loco templum restituere volentibus, Ælius Adrianus Imperator, quinquaginta octo myriades eorum, hoc est, quinquies centena & octoginta millia uno die interfecit, & residua Hierosolymorum ædificia prorsus destruxit, atque montem Moriah, in quo templum ædificatum

catum fuerat, multum complanavit, & in planiciem redegit, ejusque rudera & terras in vallem Josaphat, ac torrentem Cedron projecit, ne urbs montis & templi præsidio confisa, Romanis amplius rebellis esset. Quin & Judæâ arces quinquaginta diruit, & vicos non gentos octoginta ferro ignique vastavit. Post hanc excisionem & dispersionem Judæorum, Imperator Ælius Adrianus ruinas & Saxa murorum ex ipsis fundamentis eruit, omnesque lapides in minutissimas partes confregit, diminuit, ac dissopavit: cumque ita, quicquid de urbe Hierosolyma remanserat, in pulverem atque cinerem redegisset, nomenque urbis Hierosolymæ prorsus delevisset ac sustulisset, novam deinde urbem, non in priori, sed vicino loco, circa sepulchrum Christi videlicet ædificavit, eamque de suo nomine Æliam appellavit. Hæc civitas posita est ad montes Gihon & Golgatha, ubi Jovi atque Veneri templum construxit, & in loco prioris templi, ubi fuerat sanctissimum adytum, equestrem erexit statuam, imaginem videlicet suam stantem in columnâ

lumnâ marmoreâ: quæ etiam Hieronymi tempore, quadringentis nimirum annis post nativitatem Christi, adhuc conspecta est. Porcorum etiam imagines, marmoribus incisas, in Judæorum contumeliam atque ludibrium, supra portas urbis suæ Æliæ sive Hierosolymæ idem Imperator constituit, easque mænibus inclusit, & urbem, ut Dion tradit, de suo nomine Æliam Capitolinam appellatam, Jovi Capitolino consecravit, omnibusque Judæis ingressum in hanc civitatem in perpetuum interdixit, vitæ atque capitis periculum minitatus, si accederent. Quòd porcorum imagines Imperator in publico proposuit, eâ fecit ratione, quia Judæis porcinæ usus & ad usum & ad sacrificia est interdictus; tum etiam, quòd priscis Romanis porci quodammodo sacri viderentur, uti Poëta canit Alba sub ilicibus sus triginta capitum fætus enixa jacebit; tametsi gens Julia, quæ ad Venerem natales retroagebat, ob Adonin, ab apro occisum, & immanem Veneris ex morte amasii luctum, ab hoc animali abhorrerent. Imperator Julianus Apostata, post annos du-

centos

centos viginti septem, ut Christi oraculum, quo de templo prædixerat, non mansurum lapidem super lapidem, falsum esse ostenderet, datâ Judæis ex publico ærario pecuniâ, mandavit eis templum de integro restaurare, ibique juxta Mosis legem sacrificare. Læti ob hoc Judæi ex omnibus mundi provinciis Hierosolymam confluxerunt, ac Christianis, quibus Ælia Capitolina patebat, atrocia comminantes, peritos architectos, lapides, ligna, calcem, gypsum, cæmentum, omnemque materiam, & instrumenta ad ædificium necessaria comparârunt, argenteos quoque fecerunt ligones, palas & sportas, locumque ipsum splendidè purgârunt, tantâ alacritate, ut eorum mulieres etiam monilia sua omnia in structuram eam impenderint, ac rudera è loco gremiis suis exportârint. Cumque apertis & purgatis jam fundamentis, postero die ædificationem inchoaturi essent, nocte eâ vehemens procellosæ tempestatis ventus, calcem, gypsum, ac materiam longè latèque dispersit. Insuper terræ motus ingens universa veterum templi fun-

fundamentorum ſaxa excuſſit ac diſſipavit, ædes omnes templo vicinas diſturbavit, permultosque Judæos oppreſſit. Cùm autem, qui ſupererant, manè iterum ædificare aggrederetur, ignis cœlo demiſſus, itemque flamma è templi fundamentis erumpens plures quàm antea Judæos, vel operi inſtantes, vel qui ſpectatum eò venerant, conſumſit: atque malleos, ſecures, ſerras, ligones, denique omnia opificum inſtrumenta, per totum illum diem, incendio in cineres, redegit: Judæis adhuc pertinacibus, proximâ nocte fulgens Crucis ſignum in cœlo apparuit, omniumque Judæorum veſtes cælitus Crucis figurâ ſignatæ, & tanquam cœlum ſtellis, impletæ ſunt, quas cùm illuceſcente die eluere delereque conarentur, id nullo modo poterant: ſicque deterriti & confuſi inaniter cæpta ſimul & locum reliquerunt, adeò ut impio eo conatu divinum oraculum, non modo factum irritum non ſit, ſed vel maximè impletum atque confirmatum fuerit.

Et Judæis quidem hac ratione ab incepto opere repulſis, Chriſtiani nihilomi-

nus eodem in loco ædificare non timuerunt: opere enim rotundo, & Græco labore, ex magnis, sectis ac politis lapidibus, præcellenti formâ, amplum & præaltum, plumboque tectum ibi templum erexerunt, quod per aliquot secula Patriarchali Cathedrâ decoratum, ac vero puroque Dei cultu celebre, tandem à Saracenis invasum, ac spurco Muhammedi cultu annis quadringentis sexaginta tribus contaminatum fuit. Porrò anno Ch. millesimo nonagesimo nono idem hoc templum, muro licet & turribus, portisque validioribus apprimè munitum, à Christianis, duce Godefrido à Bullion, forti animo violenter expugnatum est, factâq; intra templi ambitum decem millium Saracenorum strage, cuncta ejus superficies occisorum cruore redundavit: quo in loco Godefridus egregium mox Canonicorum collegium instituit. Sed ob perniciosam Christianorum Principum discordiam, à Saracenis id rursum occupatum est, qui in ejus summitate, pro suo more, dimidiæ Lunæ formam posuerunt, atque in atriorum loco ficus & olivas plantaverunt,

verunt. Idem à Turcis nunc possessum, detestabili Muhammetico cultu polluitur, à cujus ingressu Christiani capitali Turcarum decreto arcentur, quia Saraceni & Turcæ hoc templum admodum devotè venerantur, summoque in honore habent, & juxta consuetudinem Muhammeticam pulcherrimis atque artificiosissimis id ipsum picturis ornârunt; quoties ingressuri sunt, purissimâ se prius abluunt aquâ, & postea nudis ingrediuntur pedibus, ac septingentis hoc templum, quod sanctam vocant petram interdiu & per noctem, illuminant lampadibus. In medio enim hujus fani rupes est quædam parva, ferro undique cancellata, ad quam nullus Saracenorum aut infidelium audet vel præsumit appropinquare, quamvis à procul dissitis veniant regionibus, rupem illam devotè visitantes. Multa enim & magna credunt opera, admiratione digna, in illâ rupe fuisse facta, Melchisedecum inprimis sacerdotem Dei altissimi, panem super eâ obtulisse atque vinum. Jacobum quoque Patriarcham hîc per somnum scalam vidisse existimant, cujus summitas

cœlum attingeret: Davidem insuper hîc angelum Domini conspexisse affirmant, evaginato populum percutientem gladio, tempore pestis. Arbitrantur præterea, sacerdotes V. Testamenti super hanc rupem olim holocausta Deo obtulisse, quæ igni cœlesti fuerint absumpta.

Deinde juxta vulgarem etiam Judæorum opinionem sibi persuadent Jeremiam prophetam, circa tempus Babylonicæ captivitatis, huic petræ inclusisse arcam fœderis, donec Dominus populum suum iterum educeret ex eâdem captivitate. Credunt insuper Saraceni atque Turcæ, Christum super prædictam rupem fuisse oblatum, cùm Simeon Justus eum acciperet in ulnas suas: & in eâ sedisse præterea in medio Doctorum, cùm annorum esset duodecim. Ægyptiorum Sultanus, ante annos centum & amplius, novam ædificavit Ecclesiam, sive Muschkeam, non procul à templo Salomonis, in quâ octoginta octo semper lampades habentur accensæ.

Tandem inceptamus Templi ipsissimi descriptionem: sunt autem templi

partes

partes plures, earum primam dicimus. Sanctum Sanctorum, quod & Oraculum, & Domus interior nuncupatur: intimum scilicet templi adytum & penetrale, longum cubitos viginti, latum totidem, altum cubitos centum & vigenti: cujus pavimentum primò marmore stratum, ac desuper tabulis abiegnis vestitum erat, quæ laminis aureis tegebantur: parietes autem de politis facti lapidibus, & intrinsecus cedrinis vestiti tabulis, laminis quoque desuper operti aureis, quæ & clavis aureis affigebantur, divino prorsus opere splendebant, in quibus sculpti Cherubim, gemmæ, palmæ, flores ac cœlaturæ, picturæque variæ, cœli pulchritudinem repræsentabant. Quin & tectum laminis aureis coopertum in summo, ne ab insidentibus avibus pollueretur, aureis verubus horrebat acutissimis. Sacrosanctum hoc Sanctum Sanctorum, propter divinam loci majestatem, semel in anno solus introibat summus Pontifex, idque in festo expiationis, quo die Judæi omnes jejunio sese affligebant. Tum autem maximus ille Dei Sacerdos, pro suis totiusque populi pec-

catis ſanguinem vituli extra caſtra combuſti, offerebat: qui ſi vel ſomnio pollutus eſſet, introibat ſubſtitutus ab eo vicarius.

Arca fæderis, quæ Dei mandato de lignis Sethim imputribilibus in deſerto à Moſe facta & puri auri laminis intus & foris contecta, in Sancti Sanctorum medio, ſicut Sol, auri ſplendore coruſca fulgebat: cujus ſupereminens pulchritudo eſt admiranda potius, quàm verbis explicanda. In hac arcâ, ſummâ cum religione ſervabantur duæ tabulæ lapideæ, continentes decem præcepta, Dei digito inſcripta: item urna aurea, habens Manna, quo rore concreto populus Iſraël, tanquam frumento, uſus eſt per annos quadraginta in deſerto: & virga Aaron, quæ unâ nocte virorem, florem, folia & fructum indueterat; denique liber Deuteronomii. Manſit arca in hoc loco annis circiter quadringentis triginta: tempore autem captivitatis Babylonicæ Jeremias propheta dicitur eam, Dei juſſu, unà cum altari Incenſi & igne perpetuo, in Nebo montis ſpeluncâ, omnibus ignotâ, abſcondiſſe, uti Macchabæorum libri recitant: ſed Judæi per

Nabu-

Nabuchodonoſor in Babylonem cenſent translatam fuiſſe, & nunquam reportatam, ſed poſt reditum à captivitate aliam in ejus locum factam: quidam verò putant, cum aliis quinque millibus & quadringentis illis aureis & argenteis templi Hieroſolymitani vaſis à Nabuchodonoſore in templo Bel, Dei ſui poſitam, ac divinitus, ut olim in Philiſtæâ, præſervatam poſt ſeptuaginta captivitatis annos, unâ cum eiſdem à Cyro Judæis reverſuris reſtitutam eſſe. Porrò poſt excidium Hieroſolymæ Titus & Veſpaſianus arcam fœderis, & duas tabulas legis cum virgâ Aaron & virgâ Moſi: item menſam auream, & panes aliquot propoſitionis, Candelabrum quoque aureum, ac quatuor columnas, è Hieroſolymæ templo Romam traducta, in celeberrimo, quem inſigni pompâ de Judæis egerunt triumpho, totâ urbe ſpectante, inter alia ſpolia à Judæis portari fecerunt: Simone Gioræ filio, ſeditioſorum duce, ac ſeptingentis Judæis qui ex omni captivorum numero ſelecti, juvenili corporis proceritate ac decore præſtabant, captivis ſemi nudis, manibus-

que vinctis, triumphatorem, & spolia præcedentibus: cujus triumphi usque hodie viâ sacrâ perenne Romæ, juxta pacis templum, extat monumentum in triumphali arcu, qui est supra Ecclesiam S. Mariæ novæ; fronti hæc sunt inscripta verba: Senatus Populusque Romanus, Divo Tito, Divi Vespasiani F. Vespasiano Augusto, & ob victoriam & perpetuum. reliqua ob vetustatem non possunt legi. In quo etiam arcu ex uno quidẽ latere ipsum Titum triumphantem, in curru, qui duobus equis, totidemque monocerotibus, sive unicornibus ducitur, conspicere licet: ex altero verò latere Arcam fœderis videre est, & Candelabrum illud ditissimum septem ramorum, & vasa templi, tanquam ante currum Titi portarentur, insculpta. Triumpho hoc peracto, Vespasianus universa templi Hierosolymitani vasa, donaria, Romæ in pacis templo, magnificè splendidèque à se ædificato, reposuit. legem verò Judæorum, & penetralium vela purpurea, in Palatio condita, servari p̃cepit, q̃ omnia Romæ in Ecclesiâ S. Joannis Lateranensis adhuc servantur.

Duo

Duo Cherubim gloriæ hîc visebantur, qui instar impuberum puerorum, de lignis olivarum facti, decem cubitos alti, tectique laminis aureis, Angelico relucentes splendore, stabant ab utraque parte Arcæ, atque expansis alis, tegebant tum Propitiatorium, tum utrinque parietem tangebant: quorum facies ad domum exteriorem directæ erant, & versis vultibus se mutuò, ipsumque propitiatorium respiciebant.

Propitiatorium verò aureum, aliàs etiam Oraculum dictum, super arcam, intra alas duorum Cherubim, supra Solis fulgorem, auro mundissimo splendens, divinamque majestatem repræsentans, quasi sedes Dei loquentis erat.

Altera templi pars erat Sanctum, quod ob loci dignitatem etiam Sancta, & Sanctuarium, item domus exterior, & Atrium Sacerdotum nominabatur; longa erat cubitis quadraginta, lata viginti, alta centum & viginti, quò duodecim gradibus ascendebatur. Hujus fores aureæ, pavimentum tabulis abiegnis stratum, aureis laminis tectum. Parietes de lapidibus

politis facti, intusque tabulis cedrinis vestiti, aureis desuper laminis cooperiebantur, in quibus sculpti Cherubim, gemmæ, palmæ, flores ac cælaturæ picturæque diversæ, mirâ delectatione spectatores afficiebant: Supernè verò pulchro opertum tecto, igneo splendore micabat. Ab hujus introitu profani lege arcebantur, solique sacerdotes, à rege Davide ad triginta octo millia recensiti, & in viginti quatuor ordines sorte distincti, illud quotidie intrabant; qui omni carentes vitio hebdomadatim per vices, à Sabbatho usque ad Sabbathum, ab uxoribus, vino, sicerâq; abstinentes ac sobrii, feminalibusque lineis pudenda operti, atque extrinsecus lineâ tunicâ, quæ baltheo præcingebatur, amicti, & byssinam in capite mitram gestantes, miro ordine ac maximâ cum reverentiâ Dei cultum, sacrificia & preces peragebant.

Altare thymiamatis sive Incensi erat aureum, quod Dei jussu contra velum, ante Sanctum Sanctorum pendens, collocabatur: in quo sacerdotes quotidie manè & vesperi, thymiama, thus, aromata & similia,

ſimilia, in odorem ſuaviſſimum Deo adolebant.

Candelabrum aureum, cujus rami ſeptem totidemque lucernæ, in meridiano templi latere poſitum erat, quæ ex oleo puriſſimo interdiu noctuque jugiter ardebant, lucebant, ac totum Sanctum illuminabant.

Fons aquæ perennis ſcaturiebat in dextro latere templi, cujus aquam Salomon in mare æneum & in Concham æneam derivavit, quæ deinde per ſubterraneos canales educta, quarto ab urbe ſtadio ad orientem erumpens, in torrentem Cedron fluebat.

Menſa aurea ſtabat in Aquilonari latere templi, in quâ erant duodecim panes propoſitionis, ex ſimilâ tritici puriſſimâ cocti; qui veteribus in Sacerdotum cedentibus uſum, per ſingula Sabatha novi imponebantur, quibus impoſitæ duæ phialæ aureæ, thure plenæ.

Pontifex omninò divinam exhibebat majeſtatem; nam ſacrificaturus, aut Sancta Sanctorum ingreſſurus femoralibus, quibus verenda tegebantur, lineis, & ſub-

uculâ, hoc est, interiori quadam lineâ tunicâ, quæ ad pedes usque demissa erat, induebatur. Extrinsecus verò tunicam habebat hyacinthinam cum manicis, eamque talarem: à cujus inferiori fimbriâ septuaginta duo tintinnabula aurea, & alternâ serie totidem mala punica, quæ vulgò granata vocantur, pendebant. Stringebatur autem tunica baltheo, Zonâ sive cingulo, lato digitos quatuor, texto ex auro: cui ex quatuor coloribus, hyacinthino scilicet, purpurâ, vermiculo byssoque diversi flores ac gemmæ intertextæ erant. Supra hæc habebat Ephod, id est, super humerale, pallium scilicet pulcherrimum, ex auro, hyacintho, purpurâ, cocco & bysso; polymitâ arte contextum, mirâ colorum & florum varietate ac fulgore præstringens oculos: in cujus utroque humero erant singuli lapides Onychini, auro inclusi, quos Josephus Sardoniches vocat: eorum singulis insculpta erant sena nomina filiorum Israël. His accedebat Rationale judicii, quod super pectus suum portabat, in quo erat Doctrina & Veritas, quadratâ formâ, magnitudine

palmi,

palmi, ex auro, hyacintho, purpurâ, cocco, byssoque textum, cui intexti duodecim lapides pretiosi & diversi, & illi ordine nativitatis insculpta habebant nomina duodecim filiorum Israël. Quin etiam ad hoc genus pertinet Tiara, sive Cidaris, quam super caput Pontifex gestabat, quæ ex bysso facta, & hyacinthis coronata, mitræ formam exprimebat. Ejus fronti lamina aurea, formâ semiorbis præfixa, nomen ineffabile Dei tetragrammaton, nempe quatuor Hebraicis literis insculptum, cum ingenti fulgore exhibens, divinæ majestatis celsitudinem figurabat. Ad hunc sacrum Pontificis ornatum etiam referri debet thuribulum, quod dextrâ manu aureum, fragrantissimo thuris odore ferebat. Quæ ut omnia mysteriis erant plena, ita quædam divinâ insuper virtute excellebant: lapis enim ille, quem Pontifex in dextro humero ferebat, quoties Deum sacrificiis placâsset, tantum emittebat splendorem, ut etiam procul intuentibus conspiceretur: & quod non minori admiratione dignum videtur, duodecim lapides, qui Rationali intexti

erant, pugnaturis victoriam prænunciare solebant. Nam priusquam exercitus se moveret, tantus ex eis emicabat fulgor, ut toti populo adesse Deum, opemque & auxilium suum invocantibus esse alaturum innnotesceret. Cæterùm tam Rationale, quàm Onyx, Deo propter regum suorum prevaricationem irato, annis centum & quinque ante Christi nativitatem, fulgorem emittere desierunt.

Velum denique illud, quod ad parietem ante Sanctum Sanctorum pendebat, de hyacintho, purpurâ, cocco & bysso, pulchrâ varietate contextum, ac intextis ei Cherubim & omnis generis floribus ornatum spectabatur.

Tertia pars templi est Atrium, sive Atrium Judæorum, & vestibulum interius, item Basilica, & sanctum seculare, atque Porticus Salomonis, quo quatuordecim ascenditur gradibus. Ejus pavimentum est vario marmore tessellatum & patebat in medio sub dio, per circuitû muro ex tribus ordinibus lapidum diversorum colorum facto cingebatur, cui annexæ erant porticus magnæ, latæ, & supra

septua-

ſeptuaginta cubitos altæ, quas marmoreæ de ſingulis ſaxis viginti quinque cubitorum altitudinis columnæ ſuſtentabant, & laquearia cedro expolita tegebant: ejus parietes intrinſecus auro obducti, clariſſimè undique ſplendebant: ibi tres portæ excelſæ, quarum prima reſpiciebat Orientem, altera Meridiem, tertia Aquilonem, quæ ſingulæ binis foribus argenteis, altis triginta, & latis quindecim cubitos claudebantur: Occidua verò pars nullam portam habebat, ſed perpetuo muro cingebatur. Judæorum autem Atrium ex eo locus dictus eſt, quòd huc intrabant ſoli Judæi, puri exiſtentes ac caſti; & mulieres mundæ (quibus proprius locus deſtinatus, ac muro diſcretus, quindecim gradibus aſcendebant) ibique orabant, & verba Legis audiebant. Ante hoc Atrium cancello ſeptum poſita erat tabula, literis Græcis & Latinis hanc Legem inciſam continens: Omnis alienigena tranſiens in locum ſanctum, moriatur. Eos v. qui tranſiſſent, quamvis Romanus quis eſſet, Judæis etiam Romani necare permiſerunt.

In hoc

In hoc Atrio eſt altare holocauſti æneum, in medio, ſub dio, in quo ignis ille perpetuus, olim à Domino, cùm Aaron in deſerto primâ vice ſacrificaret, cælitus in altare demiſſus, per ſacerdotes quotidie lignorum appoſitione, nutriebatur; in quo etiam indies manè ac veſperi ſacerdotes varia animalia maſcula, munda & immaculata, oves ſcilicet, boves, capros, turtures, columbas, & ſimilia, hoc ſacro ac perpetuo igne, additâ ei lignorum ſtrue, in holocauſtum & odorem ſuavitatis Domino tota comburebant. Sub tempus verò captivitatis Babylonicæ ignis iſte perpetuus à ſacerdotibus in puteum ſiccum abſconditus, & poſt ſeptuaginta captivitatis annos à Neemiâ ſacerdote quæſitus, dicitur, non tamen inventus, ſed aqua craſſa pro igne quæ orante Neemiâ rurſum divinitus fuerit accenſa.

Booz & Jachin, duæ erant columnæ æreæ, miræ pulchritudinis, altæ triginta quinque cubitos, quarum circumferentia duodecim cubitos complectebatur, quos Salomon artificiosè fudit, & ſtatuit in porticu

porticu templi, unam quidem à dextris, quam nominavit Jachin; alteram verò à sinistris, quam vocavit Booz; earumque capitellis, in retis modum factis, ducenta mala granata insculpsit, & earum super capita opus in modum lilii posuit.
Concha ærea, aliàs Luter dicta, vas erat magnæ capacitatis, aquâ plenum ad sinistrum templi latus, idque septentrionale à Salomone collocatum, cui Cherubim, leones, boves, palmæ, insculpta erant: in quo sacerdotes lavabant animalia in holocausto cremanda, quæ tamen prius per Nathinæos in piscinâ probaticâ lota erãt.

Domus concilii, ad meridiem templi erat sita, conventui Seniorum destinata.

Exedræ, quæ aliàs Gazophylacia & Pastophoria vocantur, domus erant laterales, instar turrium, longæ, latæ & celsæ: in quibus sacerdotes sanctuarium ingressuri, profana sua vestimenta lanea exuebant, & sanctificatas lineas induebant, quas sacris peractis reponerent. Hîc etiam hostiarum pacificarum partes comedebantur.

Mare æneum, antea Labium seu Labrum dictum, continebat aquæ vim maximam, quod Salomon fecit, atque ad dextrum templi latus, idemque australe, contra Orientem, super duodecim boves æreos posuit: in quo sacerdotes ad altaris ministerium ingredientes templum, manus & pedes lavabant.

Porticus templi à Salomone ante Sanctuarium erat constituta, longa cubitos viginti, lata decem: tum Sedes regis excelsa, & Suggesta Cantorum.

Quarta templi pars est atrium Gentium, quod & Atrium, etiam Vestibulum exterius appellatur, quò multis gradibus ascenditur. Ejus interius sub Dio patens spatium, omnium generum lapidibus stratum erat versus quatuor mundi plagas, quatuor portas exhibens magnificas, quæ foribus æreis claudebantur. Circumquaque erat continua porticus, triginta cubitos lata, quæ intrinsecus excelsis undique marmoreis suffulciebatur columnis, ac desuper laquearibus cedrinis tegebatur, adeò ut omnis gyrus quatuor contineret stadia, cum Antoniâ verò men-

surâ

ſurâ ſex ſtadiorum concludebatur. Hoc atrium ingredi poterant omnes Judæi, etiam immundi, inſuper & alienigenæ gentes, unde & gentium atrium dicebatur.

Hîc apparebat Aquila aurea magni ponderis, ab Herode majori ſupra maximam templi portam poſita, quam tandem Judæi detractam ſecuribus conciderunt; unde magna & cædes & ſeditio coorta.

Gazophylacium, Hebraicè Corban ſive Corbana, Arca erat & Ærarium, in quo ad ſacrificiorum neceſſaria, ad pauperum alimoniam, & ad templi fabricam offerebatur, & oblata ſervabatur pecunia. Hoc ærarium cùm Heliodorus à Syriæ rege miſſus ſpoliare tentaret, cælitus ab angelis flagellatus dicitur. Et Pilatus, cùm ſacrum hunc theſaurum, ſimili penè temeritate, ad aquarum inductionem expendere vellet, populari tumultu impeditus fuit: quem tamen Romani tandem in Urbis expugnatione diripuerunt. Supra hoc Gazophylacium Agrippa rex, in monumentum adverſæ fortunæ in proſperam mutatæ, catenam illam auream ſu-

ſpendit,

ſpendit, quam à Caio Imperatore acceperat dono, pondere illi ferreæ parem, quæ Tiberii Imperatoris juſſu regias manus vinxerat.

Viſebatur etiam horologium Achaz regis, quod fecit ex altari holocauſti æneo. Turres buccinatorum erant in occiduis templi angulis in ſublime erectæ, in quarum verticibus ſacerdotes populum, quòd campanarum uſu carerent, duabus argenteis tubis ad templum convocabant, dies feſtos, ſabatha, calendas, jejunia atque epulas, denique vel ferias, vel opus faciendum populo denunciabant. Turres tamen ſuo paragrapho recenſentur.

Apparet autem, portas templi orientales, p quas ab Oriente patebat ingreſſus in veſtibula & templum Domini, certam erga ſe invicem habuiſſe proportionem, ita ut ſingulæ ſingulis ad viginti cubitos eſſent celſiores. Porta enim prima, atrii videlicet ſive veſtibuli gentium, ad triginta ſe extollebat cubitos: ſecunda autem porta, per quam in atrium, ſive porticum Salomonis fiebat ingreſſus, in altitudine quinquaginta reſpondebat cubitis:

tis: Tertia deinde, superioris nimirum vestibuli porta, ad septuaginta cubitorum altitudinem se extendebat: & quarta altissima nimirum ipsius templi porta ad nonaginta se extollebat cubitos: erantq; hæ portæ ita dispositæ, ut Sol æquinoctialis exoriens per eas recta lineâ radios suos immitteret ad sanctissimum usque adytum, sive oraculum templi; ibi scamna & sedilia, quibus fessi uterentur.

Fuerunt & multæ aliæ portæ templi, in singulis mænibus præter illam speciosam, fusili ære Corinthiaco factam, & artificiosissimè exculptam aureo splendore, quibus Josephus dat altitudinem sexaginta, latitudinem viginti cubitorum; erantque omnes inauratæ, pars etiam ex solido auro fabricatæ, quas ducenti viri quotidiè reserabant & claudebant. Unam Titus Cæsar, cùm templi propugnacula infestaret, incendit, ut templo potiretur, maximâ auri copiâ defluente.

Erat & vitis aurea, in parte orientali templi, mirificè refulgens. Jam liceat ad caput Muhammetismi transire.

CAPUT. XV.

De Saracenis, urbe Meccâ, templo Muhammedis, & ejusdem rebus gestis.

Scitum est illud Almotarrezi in libro Mogreb. Diversæ sunt de Arabum denominatione sententiæ; at omnium verissima, quæ illam deducit ab Arabiâ, quæ Tahamæ regionis pars est, quam olim Ismael, eorum pater incoluit. Eadem natio Europæis innotuit nomine Saracenorum: Sarak enim significat furari: sed nomen hoc sibi neutiquam sumserint, in opprobrium. Sunt qui id à Sara, Abrahami Patriarchæ conjuge derivent, non quòd Ismaelitæ ex illâ prognati sint, sed quòd Agareni prius dicti, ab Agar ancillâ Abrahami Patriarchæ, servile abjecissent nomen, in alterum liberæ conjugis transivissent. Duûm enim generum sunt Arabes, Puri & Facti, sive genuini & insititii: illis Kathano, his Ismaël originem dederit, quòd Hebræus esset, cum Jorhamidis;

dis, potentiſſimâ tribu apud Arabes, affinitatem contraxerit, in mores, dialectum & vitæ inſtitutum tranſierit, adeoque in eam gentem coaluerit. Qui literaturam Arabum propius excutiunt, ducent aliam Gentis diſtributionem, nomine non à vitæ inſtituto, ſed à ſitu, impoſito, ut alii ſint Maſaracæ, ſive occidentales, alii Saraceni, id eſt Orientales, unde Avicennæ liber quidam ſit inſcribendus Philoſophia Saracenica, non quòd barbara, ſed quòd orientali ſit. Sic Nonnoſus apud Photium refert, legatione ſe functum ad Æthiopes, Homeritas & Saracenos, orientis populos.

Shareſtanius, magni nominis apud ipſos author ſcribit, roganti Gabrieli, ſpeciem ac habitum Arabis induto, quid eſſet Islamiſmus? reſponderit Mohammedes: Ut confitearis, non eſſe Deum illum, & Me eſſe Apoſtolum Dei & ut tempora precum diligenter obſerves, & eleemoſynas præſtes, & menſe Ramactani jejunes, & ut ad Caabam, ſi commodè poſſis, peregrinationem religionis ergò inſtituas. Deinde rem ſummatim ita evoluit: Poſt-

quam

quam diviſa eſt lux, quæ ab Adamo ad Abrahamum , deinde ab eo ad poſteros derivata eſt, in duas partes , quarum una apud filios Iſraelis manſit, altera apud filios Iſmaelis, fuitque lux, quæ in poſteros Iſraelis deſcendit , manifeſta ; quæ ad poſteros Iſmaelis pervenit occulta. Lucis illius clarioris indicium factum eſt multarum perſonarum apparitione, & prophetiæ in multis ex ipſis manifeſtatione; at lucis obſcurioris, declaratione rituum & ſignorum, & inter paucos concluſus eſt rei ſtatus. Keblah autem ſectæ primæ fuit templum Hieroſolymitanum; ſecundæ verò templum Meccanum : lex prioris, judiciis manifeſtis conſtabat; poſterioris, obſervatione ſignorum ſacrorum. Inimici prioris, fuerunt infideles, ut Pharao & Haman ; poſterioris autem, Idololatræ, idolorum & ſtatuarum cultores. hæc ille. Iſmaelem dicunt, Jochamidas & Amalekitas ad hæc ſacra invitâſſe, & Mohammedem, in quem lucem illam prophetiæ, in ipſo terminandæ, ſignum, deſiiſſe volunt, apertiorem rituum , Iſmaeliticæ ſectæ propriorum, doctrinam Alcorano, cælitus,

tus, ut fingunt, demiſſo, tradidiſſe, Arabesque ab Idolorum cultu revocâſſe.

Urbem ita deſcribit Saracenicus author: Mecca urbs eſt antiqua, inde à ſeculo condita, famâ celebris, incolis frequens, ad quam ab omnibus terræ partibus, in quibus floret Islamiſmus, convenitur, dum peregrinationes ſuûs omnibus notas ad eam inſtituunt. Inter ardua montium ſita eſt: longitudo ejus à Maalah, quæ eſt ſuperior pars urbis, ad Maſphalah inferiorem, paſſuum eſt circiter bis mille, quâ ab Auſtro Septentrionem verſus tendit: & ab imo montis Aiyad, ad faſtigium montis Koaikaan, mille paſſus ſunt. In medio hujus ſpatii ſita eſt urbs, lapidibus & luto extructa: Lapides autem, quibus extructa eſt, ex ipſius montibus exciſi ſunt: Fora habet pauca. Porrò in medio Meccæ eſt oratorium ipſius magnum, quod vocatur AlHaram, ſcilicet Aſylum, ſeu locus interdictus, vel ſacer, & caret tecto atque inſtar ſepti ſpatium intermedium ambit. Eſt autem *Al Caabah* domus illa, tecto operta, in medio Oratorii ſacri, domus iſtius longitudo ex-

trinsecus, orientem versus, viginti quatuor est cubitorum, eademque lateris oppositi, quâ occidentem spectat, mensura. Ad partem orientalem est porta Al Caabæ, à terrâ circiter hominis staturam remota, cujus imo pavimentum Al Caabæ interius æquale est.

In ejus angulo est lapis niger; porrò longitudo parietis, qui Septentrionem spectat, Damasceni scilicet viginti trium cubitorum est, ac totidem, qui ei oppositus est Yaman versus.

Et juxta fundamentum hujus partis locus est inclusus, circularis, longitudine quinquaginta cubitorum, in quo est lapis albus, qui Ismaelis, filii Abrahami, sepulcrum perhibetur. Ad partem orientalem Oratorij sacri est Hemicyclium Abbasi, & puteus Zamzam, & Hemicyclium Judææ. Quod autem Al Caabam totam ambit, est septum, in quo noctu accenduntur lampades ac faces. Porrò Al Caabæ bina sunt tecta, à quorum superiore aqua effunditur extra domum, per canalem lígneum, ita ut decidat in lapidem, quem diximus sepulcrum Ismaëlis censeri. Domus

autem

autem pars exterior tota vestibus è serico Eraciensi confectis obtegitur, ita ut nulla ejus pars oculis pateat. Altitudo domus prædictæ viginti septem cubitorum est. Vestes autem istæ illi uncinulis & spinteribus appensæ sunt. Mittit quotannis Bagdadi Dominus, qui titulo Chalifæ gaudet, novas, quibus, detractis veteribus, obtegitur; nec alij, præter Chalifam, eam operire permissum est.

Prout verò narratur, fuit AlCaabah domus Adami, lapide acuto extructa, quæ cũ à diluvio subversa esset, eo statu mãs t, usq; ad tempus Abrahami & Ismaëlis, quibus dicitur Deus præcepisse, ut ipsam ædificarent. Cùm ergò properè ad filium suum Ismaëlem perrexisset Abraham, mutuis operis eam extruxerunt lapide & luto. Non est autem in totâ Meccâ aqua fluens, præter illam, quæ in eam à fonte quodam longè dissito, derivata est; opere non antè perfecto, quàm illi, suo demum tempore, ultimam manum imposuerit Almokeadar Abbasida. Meccæ ipsius aquæ amaræ sunt, nec bibenti gratæ, quarum tamen optima est aqua putei Zamzam, quæ

potabilis quidem ita tamen, ut quis eam
continuò bibere ſuſtineat: Nec eſt in uni-
versâ Meccâ arbor frugifera, ſed eæ tan-
tùm, quæ deſerti propriæ.

Habitat autem Meccæ princeps in arce,
quam habet ad latus urbis occidentale, in
loco dicto Almarbaa, tribus circiter mille
paſſibus, à Meccâ diſtante, cui adjacet hor-
tus, non ita pridem conſitus, in quo pal-
mæ & arbores Almokl quamplures, a-
liæq; omnis generis, quæ aliunde transla-
tæ ſunt. Non eſt autem Hashemidæ prin-
cipi Meccano exercitus equeſtris, ſed co-
piæ pedeſtres tantùm, quib. equi non ſunt.
Vocantur pedites ejus Al Harralah, id eſt,
ſpiculatores. Veſtibus indui ſolet albis, &
infulis albis ac equo vehitur. Regimen e-
jus bonum eſt, decreta, juſtitia & æquitas
manifeſta, beneficentiam munificè ſe-
cundum facultatem exercet. Porrò Mec-
cæ duo ſunt tempora ſtata, quibus eroga-
tur quicquid in eam annonæ advectum
fuerit: quorum primum eſt menſe Rajeb;
ſecundum, tempore quo conveniunt pe-
regrini. Incolæ ejus auri & argenti copiâ
abundant, nec non gregibus paſſim va-
gan-

gantibus: jumenta item & Camelos possident: frugum & tritici nihil habent nisi quod ab aliis regionibus ad eam affertur. A locis illam circumjacentibus dactylorum copia advehitur; uvæ à Tayef, cùm paucæ admodum in ipsâ crescant, adeò ut fortunæ tenuioris incolæ fame vexati, malè se habeant. E Meccâ autem egresso, omni ex parte occurrunt valles, in quibus aquæ fluentes sunt, & fontes perennes, puteiq; aquis abundantes, horti frequentes, & agri contigui.

In Meccâ loca sunt Safa & Marwah, in quibus posita olim Idola Asaph & Nayelah: tradunt, ea nomina fuisse viri ac fœminæ, qui ob stuprum in Caabah perpetratum, in lapides à Deo conversi, montibus cognominibus impositi fuerint in exemplum, & cautelam. Safa saxum esse coloris cærulei, ad radicem montis Abikobaisi; Marwah autem saxum magnum ad radicem montis, monti Koaikaban contiguo, & ab invicem spatio 780. cubitorum distare. Johannes Damascenus asserit, usq; ad Heraclitum, cultum ab illis Luciferi seu Veneris sidus, & Cabar id est, Magnum dictum,

ctum, & à Mohammede cultus priores abolitos. Fabulantur, Ad fuisse filium Ausi, filij Arami, filij Semi, filij Noæ, qui post confusionem linguarum sedem sibi in regione Hadramauticâ fixerit; ejus posteri, cùm ad Idololatriam delapsi essent, misisse ad eos Deum prophetam Hud, qui nonnullis idem est cum Hebero: & cùm ei monenti, & à falso cultu revocanti aurem præbere nollent, immisso vento, qui septem noctes & octo dies continuos flaret, paucis admodum exceptis, qui Hudo crediderant, & unà cum eo se in locum alium receperant, è medio sustulisse: regiones, quas obtinuerunt Ado oriundi, dixisse Arenas flexuosas: primum omnium apud illos regnâsse Adi filium, ipsi è posteris multos successisse. Lokmannũ quendã ex his narrant, qui Meccam unà cum aliis quibusdam, à popularibus suis ad pluviam à Deo impetrandam missus, cladem istam evaserit: idem cui à Deo concessum, ut septem aquilarum, quorum morienti uni alter recens ovo exclusus substitueretur, ætatem viveret.

Thamud ethnarcha Getheri filius, imperabat

perabat Salehis, ita dictis, quòd ad gentem missus sit Salehus, ut eam à pluribus, ad unius DEI cultum invitaret: cui pauci admodum paruerunt, reliquis signum petentibus, quo impleto se etiam credituros polliciti sunt. Signum hoc fuit, ut è rupe quâdam Camelam ipsis educeret: quod cùm à Deo impetrasset, & è rupe prodiens Camela pullum ederet, increduli nihilominus persstiterunt, & Camelæ insuper suffragines succiderunt: quo facto provocatus Deus, illos post triduum, horrido fragore, cœlitus demisso, consternatos perdidit. domus eorum rupibus excisas, quarum meminit Alcoranus, adhuc videri asserunt, è quarum altitudine, nihilo hodiernis celsiore arguere licet, contra ea, quæ de immani eorum proceritate narrantur.

Ismaëli peperit uxor, quam è Jorhamidis duxit, filios duodecim, è quibus Kidar, quem nonnulli volunt ab avunculis suis diademate & imperio ornatum. Kidari filius Hamal, Hamali Nabt, Nabeti Salaman, Salamani AlHomaisao, AlHomaisao Homaisai, Homaisai Alyasao, Alyasai O-

 dad,

dad, Odadi Oddo, Oddoni Adnã, Adnano filij duo, Acc, à quo Accenſes, & Maad, Maado nati Kodaa, à quo Kodaenſes, & Nazar, cui filij quatuor, Madar, extra lineam Aiyad potentiſſimus, Caab beneficentiſſimus, & Koſſus eloquentiſſimus. Modaro natus in rectâ ſerie genealogiæ Mohammeticæ Alyas, extra ſeriem Alnas, multarum tribuum pater, adeò ut Mohammedes apud EbnHawazenſes fuerit nutritus. Alyas genuit Modrecah, Modrecah Chozaimah, Chozaimah Cenanah, Cenanah AlNadr, Nader Malec, Malec Phehr, Phehr Galeb, Galeb Lawa, Lawa Caab, Caab Morrah, Morrah Celab, Celab Zahrah itidem tribus caput, ex quâ Amenah Muhammedis mater prodiit.

Idolum erat tribubus Koraish & Badi Cananah, & arbor quædam tribui Gatfan, quam primus conſecravit Dhalemus quidam, domo ei, quam Boſs appellavit, ſuperſtructâ, in quâ ſonus ab ingredientib. audiri ſolitus. Miſſus à Mohammede Chaledus quidam, ad Idolum hoc è medio tollendum, domum diruit, ſimulacrum ſeu arborem exciſam igne combuſſit, &

Dæ-

Dæmonissam passis crinibus, manuq; capiti, lugentis more, impositâ, inde egressam, & præ dolore exclamantem, gladio percussit. Quod cùm à se factum Mohammedi retulisset, Hæc inquit ille, erat Al-Vzza, jam non amplius in seculum colenda. Sublatus & Dhalemus è medio, qui peregrinos ad suam domum à Meccâ avertere, Caabæque famam minuere satagebat. Erat & Idolum Manah, quod à tribubus Hodailo & Chozaah, inter Meccam & Medinam colebatur, sed anno Heiræ octavo à Saado quodam destruitur. Varia erant prius idola apud Arabes, nomina virorum, pietate insignium, quorum cùm memoriam charam haberent sui, diaboli astu inducebantur, ut ipsorum effigies honoris gratiâ ob oculos ponerent, quem honorem illis exhibitum, posteri in cultum Deo debitum commutarent. Scribit nonnemo eorum, Saw idolum fuisse antediluvianum, quod postquam aquis obrutum diu latuisset, à Diabolo detectum, colendum sibi sumserint Hodailenses & peregrinationibus, religionis ergò institutis, subinde viserint.

Yauck viri pii nomen fuisse, cujus obitum cùm ægrè ferrent sui, Diabolum specie humanâ illis se ingerentem, opem suam ad illius similitudinem, ad vivum exprimendum, pollicitum, quam in templorum suorum adytis positam subinde inter orandum respiciendo, desideria sua delinirent, quem honorem cùm ipsi, & septem aliis de se benè meritis præstitissent, eò tandem rem processisse, ut divinus à posteritate illis honos tribueretur, & pro idolis statuæ in memoriam ipsorum effictæ haberentur, posteris non intellectâ curâ, accedente Diaboli astu, cùm alloquerentur eos è statuis, quas colerent, dæmonia.

Hobali erat maximum seu præcipuum idolorum, ab iis cultorum, ad posteriorem seu exteriorem Caabæ partem, vel in ipsâ Caabâ aut interiore ejus parte, cùm constet, alia fuisse in ipsâ Caabâ, alia circa eam, quorum omnium princeps erat Hobal, primo ergò loco collocandus. Idolum autem hoc tradunt Amrum Lohaii filium cùm Belkam Syriæ urbem profectus, ritus incolarum Idololatricos animadver-

tisset,

tiſſet, eorumque ab ipſis rationem per contatus, hoc reſponſum tuliſſet, ſe Idolorum iſtorum beneficio, opem cùm ope, pluviam cùm pluviâ indigerent, conſequi; ab illis ut ſibi Idolum colendum traderent petiiſſe, acceptumque Hobalum ſecum reportâſſe, atque in Caabâ Arabibus colendum ſtatuiſſe. Statua erat ex effigie hominis, cui dextra amputata, quam ei jacturam ut ſarcirent Koraishitæ, auream ſubſtituerunt: & ſeptem ſagittas manibus tenebat, nondum alis & ſpiculis inſtructas. Hinc author, Effigies formâ Angelorum, & figuram Abrahami, manu ſuâ ſagittas ad ſortitionem aptas tenentis. iis viſis dixit Mohammed, Perdat illos Deus, ſenem noſtrum ſagittis ſortientem finxerunt: quid Abrahamo cum ſortibus? Juſſu ergò ejus deletæ ſunt figuræ iſtæ. Additus erat Abrahamo comes Iſmael, eodem habitu. Ut verò intus Abrahamus multis angelorum & prophetarum imaginibus ſtipatus fuit, ita & foris Hobalus magno ſtatuarum ſatellitio, quæ forſan minorum gentium; idola tercentum & ſexaginta, quorum maximum fuit Ho-

bal, adeò ut Arabibus, singulis diebus singula si liberet, numina invocare liceret, aut singulos non solùm mensium suorum, ut solent Persæ ab angelis, sed totius anni dies ab Idolis denominare. Hæc omnia Mohammedis inter transeundum nutu in terram prostrata, decidisse tradit idem author.

Iisdem & accensenda columba lignea, quam in Caabâ repertam manu suâ fregit Mohammedes, & abjecit; nec non Chozaensium Idolum, quod supra Caabam positum ut dejiceret Aly, illi Mohammedem ipsum humeros suos supposuisse ferunt. Maximæ sunt post Hobalum notæ Asaf & Nayela, sub viri & feminæ imagine: Asaf fuerit Amri filius & Nayela Sahali filia, in lapides conversi, ob stuprum in Caabâ commissum: sed Koraishitæ hoc sceleri pretium esse voluerunt, ut pro Diis haberentur: abolita fuêre sub Mohammede, novæ sectæ authore. De Idolo, cujus nomen non exprimitur, quod Bani Salim coluerunt hoc narratur: Spectante æditu o, sed officii sui ut videtur negligentiore, accurrentes vulpeculæ duæ, idoli

idoli conſcenſi caput urinâ conſpurcant. Ille indignum cultu ſuo dominum ratus, qui hæc inultus pateretur, in hæc verba prorumpit, Num ille Dominus eſt, ſuper cujus caput mingunt vulpes. Certè vilis eſt, ſuper quem minxerint vulpes. O Solaimenſes, certe nec obeſt hic, nec prodeſt; nec largitur, nec impedit, correptumque Idolum confregit. Contigit hoc poſt Mohammedem natum, qui in boni facti memoriam, nomen ejus Errans filius cultoris Vzzæ, magis fauſto, Orthodoxus filius cultoris Domini ſui, commutavit. Nec magis injurii erga Deum ſuum, Banu Hambſæ, quos idolum è maſsâ quâdam confectum quod diu coluiſſent, annonæ tandem caritate oppreſſos devorâſſe referunt, ut qui non aliter poſſet, vel ſic eos paſceret.

Primos lapidum cultores apud Arabes Iſmaelis poſteros ſtatuit author, quorum Idololatria huinc originem traxerit, quòd cùm jam creſcente ipſorum numero, adeò ut quæ Meccam circumjacet regio illos non caperet, in alias ſe conferre partes coacti ſint, non proficiſceretur

quosquam, quin aliquos è loci istius sacri lapidibus secum assumeret, quos ubicumque sedem figeret, depositos, eodem modo, quo Caabam solebat, circumiret: eò tandem deventum, ut ipsorum posteri lapidem quemcunque aspectu pulchrum colerent, atque ita religionis, quam ab Ismaele acceperant, obliti, in fœdissimam ruerent Idololatriam. Hinc ab Alilahat, seu multorum sociorum ad unius Ollotali, non illius Bacchi, sed Dei supra omnia excelsi, rerum omnium conditoris cultum Arabes suos revocavit Mohammedes, ritibus licet Idololatricis retentis.

Lapidem osculantur, Meccam religionis ergò visentes, & Caabam circumeunt, quæ partes cultus non minimæ. Niger is est, tametsi candore nivem superaverit & splendore solem æquaverit. Non desiit lapis iste in magno honore esse, & olim ante Mohammedis tempora, & post immutatam ab eo cultûs rationem benedictionem ab eo captabant homines. Caabæ struendæ hæc fuit ratio: Adamus Paradiso pulsus, cùm à Deo peteret, ut sibi domus ad similitudinem ejus, quam in

çœlo

cœlo viderat, & ſtruendæ copia concederetur, ad quam preces ſuas dirigeret, & quam cultus gratiâ circumiret, ut cæleſtem illam Angeli & Spiritus ambiunt, Deus lucis quaſi aulæa, formâ domus demiſit, ad quam inter orandum faciem converteret, eamque circumiret. Mortuo Adamo Sethum ipſius filium, ejuſdem formæ domum è lapidibus & luto fabricâſſe, quam cùm dejeciſſet diluvii vis, Abrahamum cum filio Iſmaele, Dei mandato, aliam ejus loco & formâ condidiſſe: locum autem Abrahamo monſtratum fuiſſe. Eandem, cùm ad ruinam vergeret, ab aliis atque aliis ſubinde reſtitutam ac renovatam, poſt Mohammedem natum è Koraishitis, deinde ab Ebn Zobair, atque eâ demum, quâ nunc eſt formâ, ab Hejazo, anno Heiræ ſeptuageſimo quarto, tradit Abul Feda & alii. Quò minus ejus mutandę licentiam ſibi ſumerent poſt eum alii, inde factum videtur, ut honori ejus conſuleretur. Legimus enim cùm in animum induxiſſet Harun Arroshid, vel ut alii, pater ipſius Mohdius, imò ut alii avus Almanſor, illud quod ab Hejajo

factum

factum fuerat, mutare, ut ita Caabam ad eam, in quam à Zobairo redacta fuerat, formam restitueret, accedentem Malecum quendam, ne id faceret suasisse, ne fieret Domus Dei regum ludicrum, & dum ad uniuscujusque arbitrium mutaretur, excideret animis hominum, quâ eam prosequerentur, reverentia. Magnifico jam circumdata traditur peristylio, quod columnis quadringẽtis quadraginta octo constet, & portas habeat triginta octo, cujus, licet ad eum, quo jam splendet, fastum multorum magnatum ac principum munificentiâ crevit, prima ab Omaro jacta sunt fundamenta, qui, ne privatis ædificiis arctaretur templi atrium, structo modicæ altitudinis muro, cavit, cùm sub Mohammede & Abubecro area esset patula, nullo inclusa septo: dicitur Adoratorium sacrum, quod nomen & Caabæ, & Meccæ, & regioni universæ etiam tribuitur. Est ergò templum Caaba apud Arabes antiquitus sacrum, nec jam de primâ ejus conditi ratione, inter eas, quæ ad honorem illi conciliandum narrantur, fabulas certi quicquam expiscari licet, nisi

forsan

forſan illorum ſententiæ accedamus, qui jam olim Saturni fanum fuiſſe aſſerunt, eique à primo conditore dedicatum: habebant enim Arabes & Indi ſeptem delubra famæ conſpicuæ planetis ſacra.

Quanquam autem Caabam ſuam ipſi mundo ferè coævam jactitant, unde Domum antiquam vocare ſolent; quò minus tamen eundem cum mundo durationis terminum habituram aſſerere audeant, prohibentur vaticinio, ab ipſo, ut videtur, Mohammede profecto, vel ipſius ſaltem autoritate munito, quo illam ab Æthiopibus aliquando dirutum iri prædicitur: Venturos ultimis temporibus Æthiopes, eamque penitus demolituros; nec eam poſtea reſtauratum iri in ſeculum. Lapidem nigrum fabulantur è pretioſis Paradiſi lapidibus cum Adamo in terram demiſſum, ac poſtea diluvii tempore rurſus in cælum ſublatum, vel alibi, ubi Deo viſum eſt, in monte Abu Kobais repoſitum, ac demum ædificanti templum Abrahamo, ab angelo Gabriele reportatum. eſſe eum dextram Dei in terris. Situs autem eſt in angulo Caabæ Eracienſi, illo

ſcilicet,

ſcilicet, qui Baſram reſpicit, cubitis binis & triente à terrâ remotus , id eſt ſeptem ſpithamarum diſtantiâ : quem tamen tam Deo charum, ut autumant, tàm Arabibus ac Mohammedanis omnibus ſacrum, Karmatiani anno Heiræ 317. vel 319. loco motum abſtulerunt , nec ante annum 339, vel 335. ſecundum alios atque alios Scriptores, ab ipſis vel prece, vel pretio impetrari potuit ut remitterent , idque cùm viderent, nullo modo fieri poſſe, ut peregrini ad ipſos à Meccâ diverterent : aſſerunt autem, infortunium id, cui nullum unquam par, paſſam eſſe ſuam religionem. Karamatianos enim duce Abudhahero, peregrinos Meccam accedentes ſpoliâſſe, imò eorum, dum ipſam Caabam circumirent mille ſeptingentos interemiſſe in Adoratorii ſui tam ſacri pomærio : lapidem nigrum, quem, ut cælitus demiſſum, venerantur, ſuſtuliſſe, templi portam dejeciſſe, puteum Zamzam, quem & unicè ſacrum habent , mortuorum cadaveribus impleviſſe, aliaque ejuſmodi facinora perpetrâſſe, exprobrante illis interim Abudhahero duce eorum , qui equi ſui excrementis

mentis ipſum Caabæ adytum conſpurcaverat, manifeſtam ipſorum ſtultitiam, qui templum illud Dei donum vocarent, quod ſi charum ſibi haberet, fieri non poſſe, quin in ipſius, qui illud tàm indignè tractaret, ac omnimodè violaret, caput ignem cælitus effunderet.

Sed extingui nullo modo potuit Mohammedanorum erga ſacrarium ſuum zelus, nec ab eo cultibus anniverſariis averti frequentando. Quod cùm viderent Karmatii, lapidem demum poſt 22. annorum ſpatium remiſerunt, miſeris interim illudentes, quaſi lapidi ſuppoſititio, ac à ſe mutato, eundem quem antea honorem perhibentibus: quibus reſponſum ajunt, hoc indicio rem pateſieri, Lapis ſcilicet ſi genuinus eſſet, aquam innatâ ſibi qualitate ſupernataturum. quod cùm ſpectantibus Karmatiis faceret, amolitum omnem ex animis hominum, qui inde oriri poſſet, ſcrupulum. Lapidem autem iſtum nivei primò coloris, nigredinem à menſtruæ olim contactu contraxiſſe tradunt, vel ut alii, ab ipſo Mohammedis ore, acceptâ mutati coloris ratione, cùm à Paradi-

ſo deſcendiſſet candore plus quàm lacteo, nigredinem illi conciliâſſe hominum peccata; quam tamen adhuc caput, vel exteriorem tantùm ejus partem pervaſiſſe, reliquis partibus albedinem priſtinam retinentibus, palàm factum, quo tempore à Karmatiis motus eſt locò ſuo, adeò ut ab oſculantium anhelitu ac contactu fœdatum, credibile ſit. Alius illis lapis eſt ſacer, in quo veſtigiâ pedum Abrahami impreſſa, cùm vel illi inter ædificandum Caabam inſiſteret, vel dum ipſi caput Iſmaelis, quem viſum venerat, uxor lavaret. Incluſus eſt nunc temporis lapis iſte arcæ ferreæ in loco Abrahami: vidi eum, inquit author Saracenius, & oſculatus ſum eum, & poſitam mihi in eo aquam putei Zamzam bibi, vidique pedis dextri veſtigium depreſſius eſſe quàm ſiniſtri, ac eſſe quaſi caput ſuper paſtâ effigiatum, fuiſſeque digitos pedum ipſius longitudine digitis manuum, pares. Alibi; ne à Karmatiis unà cum lapide nigro auferretur, cautum ædituorum diligentiâ, qui eum in quodam è montibus Meccæ abſconderant:

Idem

Idem hic lapis esse videtur, de quo affirmant Mohammedani, ideò à se magni fieri, quod Abraham super eo cum Agare coierit, aut Camelum ei alligaverit, cùm Isaacum sacrificaturus esset. Jacet enim in medio votivæ domus, quod de hoc lapide, si non ipsam Caabam, sed peristylium illud, affirmari potest, cùm lapis niger Caabæ muro sit infixus. Alius est & lapis, qui, quo in honore apud Arabes Idolorum cultores olim fuerit, incertum. jam verò pro Ismaelis sepulcro habetur. Paucula de Reformatore illo: Non constat, inquit Ebn Chalican, inter Arabes quempiam hoc nomine Mohammedis fuisse appellatum ante eum, tribus tantummodò exceptis. quartus ergò sectæ Islamiticæ author Mohammed audiit, non primus, nisi forsan quòd aliàs de prophetico ipsius munere dicunt, fuisse ipsum primum prophetarum, creatione, licet ultimum, missione. Nam patres priorum trium, cùm de Mohammede quodam properè mittendo audivissent, fieri posse sperabant, ut qui ipsis nasceretur filius, ille esset Arabum propheta. Itaque illi So-

fyan

fyan Mojashai filius, Homran Rabiæ & Ohayah Al Jolabi, cùm legatione fungerentur apud regem quendam, qui antiquorum monumenta pervolverat, moniti sunt ab illo de Apoſtolo, quem miſſurus illis eſſet Deus, nomine Mohammed. Hi igitur, quorum unuſquiſque uxorem ſuam gravidam reliquerat, voverunt, ſi naſceretur ipſis filius, ſe ipſi nomen illud impoſituros. Atque ita factum eſt, ut ante illum, jam olim eo nomine deſignatum, tres alii apud Arabes eſſent Mohammedes, quos tamen ipſo poſteriores facilè ſtatuent, qui illius reſpectu, primum dominum parentem, non prius Adamum, quàm Abu Mohammed audiiſſe credant, utpote cujus lux rerum creatarum prima, & divinioris originis particula jam tum in fronte ejus, inſtar Lunæ, orbe jam pleno fulgentis emicuit: quare dum primi hominis creationem deſcribunt, dicunt, cognoviſſe angelos, Mohammedem & præſtantiam ejus, antequam notum haberent Adamum: quod & hoc ipſius dicto confirmant Fui ego propheta, cùm Adamus adhuc inter aquam & lutum eſſet. Tradunt

autem

autem Originum ſcriptores, deduci originem ipſius ab Iſmaele, Abrahami, amici Dei, filio, quem peperit illi Hagar ancilla Saræ uxoris ejus. Natus eſt Meccæ, anno Alexandri 892. (aliis 882. tum 881. ſcilicet à Chriſto nato ad huncce 578) Antequam autem annum ætatis ſecundum tranſegiſſet, mortuus eſt pater ipſius Abdallah (cùm bimeſtris, imò adhuc in utero eſſet) Manſit ergò apud matrem ſuam Amenam Wahebi filiam, ſex annos, quâ defunctâ eum ad ſe receptum avus ipſius Abdalmotallab tenero fovit affectu, donec & ipſe jam morti vicinus filio ſuo Abu Taleb eundem curandum commendavit, qui eo ad ſe recepto, tutorē ſe præbuit, deinde annos jam novem natum, ſecum Damaſcum deduxit. Cùm autem jam Boſram perveniſſent, progreſſus ad eos è cænobio ſuo Monachus quidam doctus, nomine Bohaira, per mediam turbam ad ipſum contendens, manuque ejus deprehensâ, Futurum eſt, inquit, ab hoc puero magnum aliquid, cujus fama per Orientem & Occidentem ſe diffundet. nam cùm appropinquaret, nube obumbratus

bratus apparuit. Dicunt alii, hoc factum anno 12. alii 13. Testimonium de munere prophetico & alii duo monachi prodiderant.

Cùmque jam 25. ætatis annos complevisset obtulit ei fæmina quædam nobilis & dives, nomine Chadijah (mercatrix nobilis, opulenta, Koraishidarum) conditionem, cum facultatibus suis, ad mercaturam exercendam, Damascum proficiscendi, se plus illi, quàm alii cuipiam daturam; cui cùm ille morem gerens profectus esset, ea ipsius amore capta, se illi uxorem obtulit. Duxit ergò illam annos tum natam 40. dote 20. Camelorum, sive 12. unciarum auri secundum alios. sponsalia sic celebravit Abu Thaleb: Laus Deo, qui nos à stirpe Abrahami, & semine Ismaelis constituit, & nobis regionem sacram dedit, & domum (Caabam) ad quam peregrini undique concurrunt; & nos judices hominibus statuit. Porrò Mohammed, filius Abdollahi nepotis mei, quo cum non ex æquo librabitur è Koraishidis quispiam, cui non præponderaturus est bonitate, & excellentiâ, & intellectu,

tellectu, & gloriâ, & acumine, etsi opum inops fuerit (ac certè opes umbra transiens sunt, & depositum quod reddi debet) desiderio Chadijæ, filiæ Ch[illegible] [illegible] & illa vicissim [illegible] quicquid [illegible] vice perfectus, ego [illegible] su[illegible]piam. Hæc cum eo 22. annis constanter vixit, donec Mechæ tandem diem obiret.

Post completos demum annos ætatis 40. prophetiæ munus sibi arrogavit: mortuis autem jam Abn Taleb patruo ejus, & uxore Chadijah, cùm magno illum malo afficerent Koraishitæ, ab illis Medinam, Yathrebum scilicet; fugit. Binas Heiras nobis commemorat AbulFeda, (migrationem è terrâ in terram, & prioris cum secundâ commutationem) primam eorum, qui, quod Mohammedi nomen dedissent, à Koraishitis malè habiti, ipsius permissu in Æthiopiam fugerunt, ubi regis alicujus protectione gauderent. Secundam autem hanc ipsius Mohammedis, qui cùm Meccanorum suorum impetum sustinere nequiret, Medinam se recepit, atque hæc Mohammedanorum æ-

ræ initium est, à quo ipsos, annos suos numerare, docuit Omarus, cùm aliis antea uterentur Epochis. Unde AlKodajus: supputabant olim Gentes annos à casu aliquo insigni, & regno regum &c. Ismaelitæ autem à conditâ Caabâ, nec aliter numerabant, usque dum dispersi essent Maaddienses; atque exinde quotiescunque exiret gens aliqua e Tehama, ab egressu suo supputabant; deinde ab anno Elephanti, & Die Alphajar. Qui autem Maaddo Adnani filio oriundi sunt, à tempore, quo Jorhamidæ Amalekitas devictos è Meccæ ditionibus expulerint: deinde & à diebus, quibus commissa inter ipsos prælia, ut à prælio Ebn Wayel, & à bello AllBasus, & bello Dahes. Hamyar autem & Cahtan, supputabant à regibus suis Tobbais, nec non ab igne Derar (qui alicubi inter lapides apparuit) Itẽ ab inundatione Arem, deinde ab Æthiopum in Yaman incursione. Græci verò & Romani ab Alexandro numerabant, Cophti à Diocletiano Cophtita, usque in hunc diem. Magi autem ab Adamo, tum à cæde Darii & Alexandri tempore; deinde

à tem-

à tempore Azd Shiri, tum à regno Yazdejerdi. Cùm autem mitteretur Mohammedes, numerabant Arabes ab Anno Elephanti, & à die Alfajar (scelerato, quòd ea, quæ alias illicita & interdicta, tunc pro licitis habita sunt:) seu quòd bello inter Koraishidas & tribum Kais Ailan orto, prælia (quibus ipse Mohammedes interfuit, annos natus 20) inter ipsos commissa sint, mensibus, in quib. sanguinem fundere apud Arabes illicitum. Nec aliter supputabant, donec imperante Omaro, filio Alchetabi, inter ipsos convenerit, ut à fugâ Mohammedis, quâ è regione Idololatricâ se subduxit, æræ initium sumeretur. Constitutum est hoc anno 17. vel 18. Heiræ.

Medinæ anno fugæ primo congregati sunt ad Mohammedem, qui contra Meccanos hostes suos opem ipsi ferrent. Anno autem secundo exiit ipse ad prælium Bedarense, in quo 313. Musleminorum ope, mille è Meccanis Idololatris profligavit. Eodem anno conversa est, Keblah, ab eâ cæli parte, quæ Caabæ imminet. Antea ergò, & dum Meccæ sub-

ſtitit Mohammedes, & poſtquam Medinam ſe recepiſſet menſibus 18. faciem inter orandum Hieroſolyma verſus dirigebant. Ex eo tempore Caabam, præeunte ipſo Mohammede, religiosè ſibi ſcopum figunt. Eodem etiam injunctum eſt jejunium menſis Ramadani: quòd in eo ſe à cibo, potu & Venere cohibere juſſi ſint, ob calorem vehementiſſimum, quod nomen indicat. Anno tertio prodiit ad prælium Ohud, quo Idololatræ Mosleminos in fugam dederunt, ipſique Mohammedi vulnus in facie inflictum, & dentes primores confracti. Anno quarto, Judæos dictos Bani Nadir, bello aggreſſus, in Syriam fugavit. Tum interdictum vinum. Eodem, cùm collectæ è diverſis Arabum tribubus copiæ plures, Meccanos Medinam comitarentur, obviam illis egreſſus eſt; cumque id terrori eſſet Mosleminis, effodi juſſit vallum; quo factum eſt, ut ultra viginti dies quieti mãſerint, nullo inter eos inito prælio. Poſtea ex Idololatris quendam qui ad duellum provocaverat, accurrens Ali interfecit, mox & ſocium ejus, quorum cædes in

causâ

causâ fuit, ut fugerent copiæ istæ, tantâ & virorum multitudine, & armorum copiâ instructæ. Anno quinto fuit prædatoria illa excursio Dumato'l'Jundal, & prælium Bani Labyan. Anno sexto exiit ipse ad oppugnandos Bani Mostalak, multosque ex ipsis captivos fecit. Tum injuncta peregrinatio. Anno septimo exiit ad expugnandam Chaibar, Judæorum urbem: in quo factum Ali Ebn Abi Taleb narratur, ipsum portas Chaibar loco motas & avulsas, sibi pro scuto sumsisse, atque ita cum illis pugnâsse: eas tamen octo viri loco movere non poterant. Anno octavo fuit prælium expugnationis, quo scilicet expugnata est Mecca, ubi Muslemi nis præcepit, ne in eâ quempiam occiderent, nisi qui ipsos oppugnaret, & securitatem concessit omnibus, qui templum ingrederentur, & qui januâ occlusâ se à pugnâ continerent; & qui aulæa Caabæ apprehenderent: illis tantummodò exceptis, qui damno ipsum affecerant. Cùmque jam Abu Sofyan, quidam è Meccæ primoribus, qui religionem Islamiticam præ metu gladii amplexus fuerat,

rat, Mosleminorum copiis conſpectis diceret Abbaſo, Heus Abu Fadl. certè magnum jam evaſit imperium nepotis tui. væ tibi, inquit ille. Imò verò, Prophetia eſt. Reſpondit ille, Eſto igitur, ſi libet. Anno nono egreſſus eſt ad expugnandam Tabuc, quæ regio eſt Græcorum, quâ in occupandâ, pugnâ opus non habuit. Decimo demum inſtituit peregrinationem valedictionis (quoniam non amplius poſt eam peregrinatus eſt) quo etiam pro Prophetâ ſe venditans, in regione Yamamâ, Moſeilema mendax, librum Corano ſimilem componere aggreſſus eſt.

Porrò hoc anno febriculâ correptus Mohammedes ægrotavit, uſque ad delirium. Cùm invaleſceret prophetæ morbus, quo mortuus eſt, dixit, Afferte mihi atramentum & chartam, ut ſcribam vobis librum, quò poſt obitum meum non erretis. Dixit Omar, prævaluit certè dolor Apoſtolo Dei: ſufficit nobis liber Dei Alcoranus. Cùm ergò multiplicarentur inter ipſos hac de re verba, dicentibus aliis Afferte illi calamarium & chartam; aliis Omaro aſſentientibus, ſcilicet, neſcire illum,

ſum, quid præ dolore diceret, diſcedite à me, inquit Propheta, non enim convenit, ut coram me diſceptetis. Tum Ebn Abbas, Malum, maximum certè malum, quod in causâ fuit, ne ſcriberet nobis Apoſtolus Dei librum iſtum. Et diem obiit die Lunæ, qui 28. (27) fuit menſis Saphar, ſive quo ægrotare cæpit, ſive quo obiit: annos natus 63. quorum 40. transacti ſunt, antequam munus propheticũ ſibi vendicaret: 13. alii, dum Meccæ ſubſiſteret, & decem demum poſt Hejeram, quibus Medinæ ſubſtitit. Mortis ipſius nuntius non eodem modo ab omnibus exceptus eſt. Erant qui mori ipſum potuiſſe ægrè ferrent, nec iis, quæ de munere ſuo profeſſus fuerat, conſentaneum. Itaque turba confluxit lamentans Quomodo moreretur, cùm ipſe teſtis pro nobis ſit apud Deum? non ita certè eſt. non mortuus eſt, ſed ſublatus, quomodo ſublatus eſt Jeſus. Exclamârunt igitur præ foribus, Ne ſepelite illum, ſiquidem non eſt mortuus Apoſtolus Dei. Tum edixit Omar, ſi quis dixerit mortuum eſſe Mohammedem, illum ego gladio hoc

meo perimam; ſiquidem ſublatus eſt in cælum, eo modo, quo ſublatus eſt Jeſus. Compoſita eſt autem lis opportuno Abu Beeri monitu, dicentis: Si quis colat Mohammedem, certè mortuus eſt Mohammed; quòd ſi quis colat Deum Mohammedis, utique ille vivit, morti non obnoxius. Et ad ſententiam ſuam confirmandam, ex Alcorano teſtimonium protulit, mortem Mohammedem, æquè ac qui ante ipſum fuerant prophetas, manere: quo audito & Omar & turba conquievit: atque exinde ab omnibus pro conceſſo habitum eſt, verè mortuum Mohammedem; tametſi Omar reverſurum antea dixiſſet, exemplo Moſis, qui per quadraginta dies abfuerit à populo. Cùmque jam mortuus eſſet, voluerunt Meccani fugæ comites Meccam eum reportari, quòd ibi natus eſſet: at Medinenſes adjutores, Medinæ eum ſepeliri, quòd aſylum ipſi fuiſſet, & auxilii locus. Voluerunt demum nonnulli, Hieroſolymas eum transferri, locum ſcilicet, in quo ſepulti eſſent prophetæ. At in hoc tandem convenerunt, ut Medinæ ſepeliretur; ubi eum manſi-

mansi unculâ suâ humârunt, eodem quo mortuus est loco: sive in cubiculo Ayeshæ, sub lecto suo, in quo mortuus est. audierant enim ex ipso: sepeliri solitos prophetas, eodem quo morerentur loco.

Expectas lector, procul dubio, ut tibi ferream cistam, sub cryptâ aëreâ inter vægrandes recitem magnetes, in stuporem populi: nugæ hæ cùm Mohammedistis exprobrantur, risu exploduntur, in nostræ inscitiæ crassum argumentum.

CAPUT. XVI.

De Capitolio, & aliquot urbibus, Capitolium imitantibus.

Non intelligo decorem, qui Græcis Philosophis tantoperè laudatur & tàm anxiè definitur, ex mole, ex materiâ, ex artificio, ex symmetriâ & si quid aliud elegantia aut peritia amat, nisi in hac parte urbs omnes orbis urbes superat, uno Delubro, cujus mysteria nemo mortalium penitissimè expenderit, excepto. Quos enim artifices & opes Romanæ & ambitio

ex orbe in urbem compacta non invitaret? itaque aut evocabantur, aut intrò veniebant, quicquid artificum insigniorum Græcia aut Asia habuit. quippe hîc præmia, adeò ut quidam ex iis, quibus ingenium & audacia erat, etiam quæ natura denegâsset, per artem tentare. Sed primus & præcipuus decoris hujus auctor Augustus, qui urbem apud Suetonium neque pro majestate imperii ornatam, & inundationibus incendiisque obnoxiam, excoluit adeò, ut jure sit gloriatus, Marmoream se relinquere, quam lateritiam accepisset.

Alter ab eo, Nero Imperator, qui ambitione impulsus, urbem incendit, ut novam melioremque repararet: Videbatur enim, ait Tacitus, condandæ urbis novæ, & cognomento suo appellandæ, gloriam quærere: Itaque ejus jussu, urbis domus, non ut post Gallica incendia, nullâ distinctione, nec passim erectæ, sed dimensis vicorum ordinibus, & latis viarum spatiis, cohibitâ ædificiorum altitudine, ac patefactis areis, additisque porticibus, quæ frontem Insularum tegerent. Easque porti-

porticus Nero suâ pecuniâ extructurum pollicitus est. Et hæc molimina tanta erant, ut invidiam excitarent, unde Timagenes apud Senecam, felicitati urbis inimicus ajebat, Romæ sibi incendia ob hoc unum dolori esse, quòd sciret meliora surrectura, quàm arsissent. Oratorium Nazarii morem ad restaurationes collapsorum spontè reducimus: Celeberrima quæque urbis novis operibus enitescunt, nec obsoleta modò per vetustatem redivivo cultu insigniuntur; sed illa ipsa, quæ ante hac magnificentissima putabantur, nunc auri luce fulgentia, indecoram Majorum parcimoniam prodiderunt. Plinius tamen rem ex veritate dimetiatur: at urbis nostræ miracula transire convenit, & sic quoque terrarum orbem devictum ostendere: quod accidisse toties penè, quot referentur miracula, apparebit. Universitate verò acervatâ, & in quendam unum cumulum collectâ, non alia magnitudo exurget, quàm si mundus alius quidam in uno loco narretur. Cui Cassiodorus ita succinit: Ferunt prisci seculi narratores, fabricarum septem tantum

[illegible] attributa miracula. [illegible] Dianæ templum; Mausoli pulcherrimum monumentum; Rhodi Solis æneum signum, quod Colossus vocatur; Jovis Olympici simulacrum, quod Phidias formavit; Cyri Medorum regis domum, quam Memnon fabricavit; Babyloniæ muros, quos Semiramis construxit; Pyramides in Ægypto. Sed quis illa ulterius præcipua putabit, cùm in unâ urbe tot stupenda conspexerit? Habuerunt honores, quia præcesserunt tempore: & in rudi seculo quicquid emersisset novum, per ora hominum jure ferebatur eximium: nunc autem potest esse veridicum, si universa Roma dicatur esse miraculum.

Ammianus Constantii ingressum in urbem describens, ipsum intuentem & mirantem præcipua operum facit: proinde Romam ingressus, imperii virtutumque omnium larem, cùm venisset, ad Rostra, perspectissimum priscæ potentiæ forum obstupuit: perque omne latus, quò se oculi contulissent, miraculorum densitate præstrictus, allocutus Nobilitatem in Curiâ, populumque pro tribunali, in Palatium

[illegible] ci, lætitiâ [illegible] Deinde intra ſeptem montium culmina, per acclivitates plani-ci[illegible]que poſita urbis membra colluſtrans, & ſuburbana; quicquid erat primum, id eminere inter alia cuncta ſperabat: Jovis Tarpeii delubra, quantum terrena divinis præcellunt; Lavacra in modum provinciarum extructa; Amphitheatri molem ſolidatam lapidis Tyburtini compage; Pantheon velut regionem teretem, ſpatioſâ celſitudine fornicatam; elatosque vertice ſcanſili ſuggeſtus Conſulum, & priorum Principum imitamenta portantes, & Urbis templum, forumque pacis, & Pompeii theatrum, & Odæum, & Stadium, aliaque inter hæc decora urbis æternæ.

Quatuor hîc templa recenſentur, Jovis Tarpeii, Pantheon, Urbis, Pacis, utique ſumma, cùm quadringenta viginti quatuor templa Notitia imperii prodat, pleraque magnifica, & aliter atque aliter ſtructa, vel inſtructa. Capitolium in Tarpeio Plinius irridet, quaſi veteres, quòd Aggeris vaſtum ſpatium, & Capito-

lii insanas substructiones mirabantur: L. Tarquinius Priscus enim eas circum collem fecit, prærupta adæquat, ab imo solo educit murum & suffulcit ingentibus lapidibus, complanat in vertice, & fundamentis parat. Mons Saturnius primò dictus fuit, in quo hæc ædes; tum Tarpejus, & mox Capitolinus, à capite hominis, cui vivo Toli nomen fuisse Arnobius tradidit, invento, dum fundamenta moliuntur. Duplex autem fuit, Vetus & novum: illud in regione sextâ Circi Flaminii, istud in regione octavâ Fori Romani. Numa vetus, Priscus novum condidit, Superbus absolvit. nam Suessâ Pometiâ è Volscis captâ, divenditâ prædâ, cùm quadraginta talenta argenti aurique (Dionysius disertè ait quadringenta) recepisset, concepit animo eam amplitudinem Jovis templi, quæ digna Deûm hominumque rege, quæ imperio Romano, quæ ipsius etiam loci majestate esset. (forent 240. millia Philippæorum) Gloria tamen operis libertati reservata. pulsis Regibus Horatius Pulvillus Consul dedicavit, eâ magnificentiâ, quam immensæ postea populi Romani

mani opes ornarent potius, quàm augerent, inquit Tacitus.

Situm est, ait Dionysius, in altâ crepidine, habetque in ambitu octo jugera: sic ut latera singula ducentorum ferè pedum sint exiguâ latitudinis & longitudinis differentiâ, nisi quòd ista illam vincit vix pedibus quindenis. Quâ parte frons ejus meridiem spectat, triplici columnarum ordine circumcingitur; ab aliis lateribus, duplici. In ipso sunt tres cellæ, ex ordine, à lateribus communione parietum clausæ. Media est Jovis, utrimque altera Junonis, altera Minervæ, sub eodem laqueari, eodemque tecto. Frons centum gradibus, per retractiones seu areolas adibatur: columnas L. Sulla Athenis advexerat è templo Jovis Olympii, post incendium Vespasianus mutavit. Vitruvius docet: In Aræostylis nec marmoreis, nec lapideis epistyliis uti datur, sed imponendæ sunt trabes de materiâ perpetuæ: & ipsarum ædium species sunt barycæ, barycephalæ, humiles, latæ, ornantque signis fictilibus, aut æreis inauratis fastigia earum, Tuscanico more, uti est ad Circum

maxi-

maximum Cereris & Herculis, Pompejani item Capitolii, ſcilicet Pompeiis Campaniæ oppido. Sunt autem Aræoſtyla dicti à rarioribus columnis. Hîc & Juventus & Terminus, qui cedere noluerunt exaugurantibus; itaque eorum aræ continentur templi ambitu, atque una in veſtibulo cellæ Minervæ eſt, altera in ipsâ cellâ juxta pulvinar. Quadrigæ inauratæ poſitæ in Capitolio, in cellâ Iovis ſupra faſtigium ædiculæ. Proſerpinæ tabula fuit in Capitolio, in Minervæ delubro, ſupra ædiculam Juventutis. Imo quatuor inveniemus Capitolia: primum illud Tarquiniorum, quod bello Civili Sullano periit. Alterum Sulla inſtruxit, ſed non dedicavit, quod unum felicitati ſuæ defuiſſe ipſe apud Plinium fatetur, quoniam Lutatii Catuli nomen inter tanta Cæſarum opera, uſque ad Vitellium manſit: Cæſari Julio tamen inter alia honorum, decretum à Senatu, ut nomen ejus Capitolio inſcriberetur, deleto Catuli; idque eum admiſiſſe. Tertium fuit à Veſpaſiano; nam illud Catuli arſit civili iterum bello Vitelliano: atque reparavit iiſdem veſtigiis,

ſtigiis, & dedicavit Veſpaſianus ; quod à morte ejus ſub Tito ſtatim arſit, adeò ut quartum Domitianus inſtauraverit.

Ornatus hinc inde colligitur: Fænerátores aliquot mulctati, & ex eo, quod in publicum redactum eſt, ænea in Capitolio Limina, & trium menſarum argentea vaſa in cellâ Jovis, Jovemque in culmine cum quadrigis ædiles poſuerunt, Livius. & alibi Quadrigæ aureæ eo anno in Capitolio poſitæ ab Ædilibus. Plinius, poſt Carthaginem everſam, laquearia in Capitolio inaurata. Iterum Plinius, quòd ſua ætas variè de Catulo exiſtimaverit, quòd tegulas Capitolii æreas inauráſſet primus. Coronæ aureæ, Victoriæ aureæ, Candelabra, vaſa erant. omnibus his detractis, ex Ægyptiacâ prædâ alia victor Auguſtus repoſuit: detractis ex Senatusconſulto, & ut tàm multis his novis & melioribus locus fieret. Retinuerit nonnulla vetera, ordine & judicio ſuo diſpoſuerit : itaque unâ donatione in cellam Jovis Capitolini contulit ſedecim millia pondo auri (1600000. Philipp.) & quingenties ſeſtertium (1250000. Philipp.)

in gem-

in gemmis, referente Suetonio. Cæteris cellis & sua fuerunt dona. De Domitiano: in solam inaurationem, privatum omnem modum excedentes opes immensas, nempe supra duodecim millia talentorum, ait Plutarchus (7200000. Philipp.) sive septem milliones, & quod excedit. A Zosimo, in pecuniæ inopiâ Stilicho mandâsse perhibetur, ut fores in Capitolio Romano, quæ auro magni ponderis erant obductæ, laminis iis spoliarentur. Cùm autem, qui hoc facere jussi erant, id agerent, in parte forium scriptum repererunt, *Infelici regi servantur*. Quod eventus docuit: nam Stilicho paulò pòst infeliciter periit.

Pantheon ab Agrippâ, genero Augusti structum fuit, hodieque etsi ornamentis omnibus spoliatum, ipsum corpus extat. Struxit in tertio Consulatu suo, ꝙ inscriptio frontis indicat: Sed perfecit biennio pòst & dedicavit anno urbis 729. sic fortasse dicitur, quia plures Deorum imagines in simulacris Veneris & Martis complecteretur. vel ut ego censeo, à formâ illâ devexæ rotunditatis, & quia cæ-

lum

lum referret: factum Jovi Ultori ab Agrippâ. Artificium & symmetria per omnes partes maximas, minimas, in eo mirabilis; decor, ordo, devinctio singularis, ut Sebast. Serlius censeat hoc velut unicum exemplar consummatæ Architecturæ: latitudo atque altitudo par est pedum 144. Amisit de specie, quòd rudera locum sustulerunt, & gradibus in templum nunc descenditur, atqui antea ascendebatur. Tectum & ipsum æreis tegulis, quæ prægrandes aliquot in fornice repertæ, nec dubitandum & has auratas fuisse. Abstulit eas tegulas Constantinus Heraclii filius, ut pleraque alia ornamenta Romæ reliqua: avexit in Siciliam, & Saraceni omnia cum pulvisculo auferunt, in Ægyptum avehenda. Sæpius restauratum, donec Bonifacius IV. sub annum Christi 607. Phocam petiit, ut in veteri fano, quod Pantheon vocabatur, & à Domitiano fuerat extructum, Ecclesiam sibi facere liceret; quod annuit Imperator, apud Reginonem.

Aliud est templum Urbis, Dominæ, Æternæ, Cælestis; in Livio apud Senatum

Ala-

Alabandenses templum Romæ se fecisse commemorant, & Ludos anniversarios instituisse ei Divæ. In Dionis compendio legimus, Hadrianum struxisse Veneris & Romæ templum, atque ejus designationem & diagramma missum ab eo ad Apollodorum, insignem Architectum, cui tunc offensus erat, ut ostenderet, & absque eo insigne opus posse perfici: quæsivitque, ecquid placeret structura? Ille verò liberè respondit & de templo, quod sublimius & magis cavum capaxque fieri debuisset: uti & in viam Sacram conspectius ex alto emineret, & in cavum machinas acciperet, quæ in occulto ibi compactæ, subitò & ex improviso in theatrum induci possent. Hinc enim illud Nisi ex machinâ Deus, Nisi ex monte Deus: scilicet rebus humanitus desperatis opituletur, periimus.

Pacis templum quis urbi, quin ii nec Orbi invideat? Id Vespasianus Romæ consecravit, magnâ spe & animo mansurum, post civilia tunc quoque bella. Opus à Claudio inchoatum ferunt, sed Suetonius ait, fecit nova opera Vespasianus, templum

templum pacis, foro proximum. Grande fuit, & longitudo trecentos pedes attigit, latitudo ducentos, & sic supra Capitolium ipsum. Hinc Herodianus dicit Maximum & pulcherrimum omnium in urbe operum, ditissimum, ornamentis auri & argenti excultum. Fecisse id sub initia imperii, & post triumphum ex Josepho discas, qui hæc refert: Post triumphos, & firmam imperii constitutionem, statuit templum facere Paci: fecitque citò admodum, & pulchrius meliusque omni opinione perfecit. Magnis enim opibus in hanc rem usus, & priscorum etiam præclara omnia adhibens, picturis & statuis pulcherrimis adornavit. Omnia enim in hoc templum collata, & disposita sunt, ob quæ homines, videndi cupiditate, antea per totum orbem vagabantur. Posuit & hîc è Judæorum templo vasa aurea, in iis sibi placens: etsi Legem ipsorum, & vela tabernaculi aurea, in Regiâ suâ posuerit, ibi custodienda. Consonat Plinius: Ex omnibus, quæ retuli, clarissima quæque in Urbe jam sunt, dicata Vespasiano Principe in templo Pacis, aliisq;
ejus

ejus operibus; violentiis Neronis in urbem convecta, & in sellariis domus aureæ disposita.

Tristius hinc damnum, quod factum est templi hujus incendio sub Commodo. Tunc enim, ut Herodianus refert, levi terræ motu prævio, sive ictu fulminis, sive igne è terrâ expirante, subitò & improvisò totum conflagravit, itemque Porticus, & totus ejus ambitus: malo sanè augurio, ut tunc Romani interpretabantur, periisse sibi Pacem. Hæc eodem penso absolvenda duximus, tametsi nonnulla ad nunum aut alterum caput rectius referantur. Sic sequuntur Nemausus, Vesontio, Avenio, Hispalis, Parisii, Augusta Vindelicorum, ubi nonnulla occurrunt, Asiaticis neutiquam inferiora.

Miram undique redolet Nemausus Volcarum Arecomicorum (Nismes) cùm in veteri muro, qui testatur multò, quàm hodie, ampliorem fuisse, tum in aliis, antiquitatem. Amphitheatrum ibi conspicitur, exteriore parte non minus integrum, quàm quod Veronæ. Ante amphitheatrum Campus Martius fuisse perhibe-

hibetur, qui, ut Romanus, ædificiis jam oppletus, & in alios tractus est usus. Ædificium, quod vulgò *Le Cap dueil* Capitolium, vel Basilica fuisse fertur, ab Imperatore Hadriano extructa in gratiam & honorem conjugis Plotinæ. Forma est Heteromeces, quadrata quidem, sed quæ in longitudinem nonnihil vergit. Latera decem columnis fulciuntur, frons sex; pars fronti adversa totidem. Tectum ex magnis compositum est lapidibus, deambulationibus accommodatum. Templum fonti propinquum, integrum adhuc est, formâ quadratâ: duos habent latera columnarum Ordines, artis absolutæ. Visuntur adhuc ibi Aquilæ, Romani quondam imperii notæ & insignia, sed quæ capitibus truncatæ. Id factum volunt à Gothis, ut Romanum imperium corpus esse capite minutum, cùm Imperatorum caderent vires, ostenderunt. Ad mænia veteris oppidi annosa est structura in Colle, quæ fonti vicina, vulgò *Tourre magne* vocatur, id est, turris Romana, vel magna, lapidibus constat eximiis iisq; quadratis. Videre ibidem est & perantiquas aliquot

statuas,

ſtatuis, & nonnulla melioris notæ Vario-rum Epitaphia; columnam item ad por-tam, cui ab Coronâ ro[illegible] [illegible] Imperato-rum Domitiani & A[illegible] [illegible] [illegible]olo-phi, aliorumque [illegible] natalibus [illegible] [illegible] bus Nemauſo milliaribus pons eſt, qui vulgò *du Gard* dicitur, quod nomen illi à fluvio Guardone: triplici ſerie fornica-tus, ſtupendâ induſtriâ: prima homini-bus jumentisque præbet tranſitum, altera aquæ ductum ſuſtinet, tertia deambula-tionibus inſervit. Tum inter fanum S. Privati & Rimolinum veſtigia monſtran-tur aquæductus, quo Romani aquam in Nemauſenſium oppidum ducebant.

Si ſitum oppidi alicujus lubeat mira-ri, *Veſontionem* habemus, de quo ſic Cæ-ſar: naturâ loci ſic muniebatur, ut ma-gnam ad ducendum bellum daret faculta-tem, propterea quòd flumen Alduabis, ut circino circumductum, pænè totum op-pidum cingit: reliquum ſpatium, quod non eſt amplius pedum ſexcentorum, quà flumen intermittit, mons continet magnâ altitudine, ita ut radices ejus montis ex u-trâque parte ripas fluminis contingant. Hunc

Hunc murus circumdatus arcem efficit, & cum oppido conjungit. Eundem situm hodieque ferè retinet, præterquam quod fluvius eam nunc magnâ ex parte intersecet, accepto ponte, ut pars occidentalior post tempora Julii Cæsaris adcrevisse videatur. Muri, cujus meminit Cæsar, & Dubi fluvio, utroque ex latere claudi adfirmat, etiam hodie ingentes conspiciuntur reliquiæ ad D. Stephani montem. Initium illi à portâ Scissâ, vulgò taillcé, quæ est rupes, ferro in usum portæ excavata: finis autem ad portam Mali Passus, vulgò Maupas. Sunt qui afferant, plateam, vulgò Ronchaux, Dubis olim alveum fuisse: item turrim S. Quintini Veteris urbis fuisse portam: idem affirmant de portâ nigrâ. Inter publica ibi ædificia fuisse ferunt olim Pantheon, Campum Martium, ad meridionalem Urbis partem, Mænibus hodie contiguum; Campum Minervæ, & alia. Urbs hoc tempore magnifica, ad insultus hostium sustinendos & propulsandos, cùm naturâ, tum Dubis beneficio, & validissimis propugnaculis mirum in modum munita, silvo-

ſis vitiferiſque montibus egregiè cincta, piſcium fructuumque delicatiſſimorum adfluentiâ valdè dives. Frumentorum autem ubertate tàm beata, ut, quemadmodum olim univerſæ Italiæ Sicilia, ſic totius Burgundiæ granarium ſuburbi carius Veſontionis ager ſemper fuerit habitus. Intra mœnia ſunt horti ſpatioſi, vineta, viridaria, aptique ſtudiis & meditationibus receſſus.

Avenio ſita eſt in ſiniſtrâ Rhodani ripâ, arce potens: agri gaudet bonitate, pannorum byſſique tincturâ, papyraceis item molis nomen merita. Pontem hîc habet Rhodanus: Is cum fluvio, quod notandum, totus regis eſt Franciæ, non Papæ, præter modicam particulam, portæ Urbis propiorem. Hanc urbem ſeptenarius numerus, omnium perfectiſſimus, reddit laudabilem: ſepties enim ibi, & hæc quidem ſepties inter ſe ſeptenario numero repetita, viſuntur præcipua Urbis Ornamenta: ſeptem palatia, totidem parochiæ, Xenodochia, Monaſteria

ſteria fæminarum, Collegia, Conventus, portæ. Carthuſianorum ibi eſt Cænobium, quo nullum in Galliis celebrius. Joanna I. Caroli, Calabriæ ducis filia, nobiliſſimum Comitatum dedit Pontifici Clementi VI. ad compenſationem tributi, Romanæ Sedi per multos annos non ſoluti, nomine regni Neapolitani, cujus beneficiarium Dominum ſe dicit Pontifex Maximus, à quo Terra papæ vocatur, cuique aliquando per 70. annos ſedem præbuit hujus Comitatus metropolis Avenio.

Hiſpalis (Pænis Iſpilia; barbaris, qui literas priores invertũt, & P. in B. mutant, Sibilia, nunc Sevilla) urbs ad Bætin, ſitu amæniſſimo excellens, ambitu magna, formâ ferè rotunda, viſu pulcra, templis celebris, ædium pulcherrimarum frequentiâ nitidiſſimè culta, plateis vicisque inſignis, hortis fontibusque hilaris, mænibus turribusque valida, propugnaculis tuta, campis jucunda, frugibus abundans, olivetis felix, civibus plena, mercatorum commerciis dives, mechanicis artibus nobilis, Academiâ, vel ſolo Avicennâ & Leandro,

cui Hermigildus & Richardus Gothorum reges debent ejuratam Arii hæresin, & studiis liberalibus illustris, opulentiâ suâ plerisque Hispaniæ civitatibus anteponenda, ostio Oceani, cujus verè perhibenda, ostio Oceani, cujus verè perhibetur Regina, navigabili fluvio, ligneo ponte, quem parva navigia catenis compactum sustinent, delectabilis. Portas habet Hispalis 12. Suburbia primę classis illa, quę vulgò El Tablado & Triano: hoc à tribus circiter civium millibus habitari dicitur in quo ad Pontis caput palatium superbit, Inquisitioni sacrum. In illo infinita nuper, præcipuè anno 1565. sunt eruta, hodieque eruuntur ex terrâ veneranda antiquitatis monimenta, tymbi, lapideæ ac vitreæ lampades, Urnæ, numismata, atque id genus alia. Inter templa sanè primas tenet illud, quod D. Mariæ consecratum, quo nullum habet Christianus Orbis excellentius, si quis operis amplitudinem spectet & Majestatem, turrimq; summæ altitudinis, editissimo operosissimoq; fastigio admirabilę, unde in universâ urbem camposque latissimè lætissimèquè circumjacentes jucundissimus est prospectus,

ctus, Cochleam intus habet, perquam Eques commodè ascendere queat: quà ferè summa est, ambitur ab hac Inscriptione, *Turris fortissima nomen Domini Proverb. XVIII.* In supremo apice Fidei est statua ærea, magnitudine hominem referens, versatilis ventorum Index. Nihil hîc dicendum de arcis regiæ ornamentis verè regiis, de sumtuosis Ducum, comitum, illustriumque procerum palatiis; deque aliis cùm publicis, tum privatis ædificiis. In vicino Urbi agro Domus amplissima visitur, *El Mattadero* nuncupata, in quâ optimâ politiæ ratione, mactantur oves, boves, aliaque animantia, quorum carnes Hispali civibus mox divenduntur. In patentissimo verò Campo juxta hanc Domum jucundissimum spectaculum p̄bet taurorū, quos robustissimos ibi saginant, capitis pectorisque robore præstantes: in hos, spectaculum edituri, molossos magnosque extimulant canes, quibus satis alioquin per se feroces, truces ac torvos, antequam eos mactent, efferare solent. Illi in canes magnâ rabie insilientes, ignem naribus spirant, terram

pedibus feriunt, in altum ſpargunt arenã, frontes adverſariis obferunt, tantoque adoriuntur impetu, ut eos cornibus exceptos in aërem altè projiciant, inque cornuum cuſpides rurſum delabentes expectent. Eſt & ad Hiſpalin Aquæductus, incredibilibus impenſis, opere fornicato à Mauris extructus, qui excavato viæ dimidiati milliaris ſpatio jucundam incolis aquationem præbet, unde quã plurimi fontes ad civium neceſſitates derivantur. Mirabile dictu, quãto itinere, ſex nimirum milliarium, per cæcos terræ meatus à Carmonâ oppido ſcaturientes fontes in hunc Aquæductum deducantur. Haud procul Hiſpali vaſta jacent convulſæ Urbis atque theatri rudera. Jerenna famoſus eſt prope Hiſpalin locus, ob mirabilem ſaxorum in circuitu diſpoſitionem ſaxorum tantâ copiâ in terram defixorum, quaſi cæleſti pluviâ huc eſſent delapſa: terræ motu illud putatur factum, quo multa ædificia Hiſpali, Cordubæ, inque vicinis locis frequenter corruerunt. Emporium porrò eſt Hiſpalis omnium Europæ urbium florentiſſimum, & ampliſſi-

plissimum mercium Indicarum, quæ ex Occidente advehuntur, receptaculum, quodque ad illud negotiationis culmen ascendit, ut privilegium fuerit consecutum, ne quæ naves in Indiam, quod Aprili mense fieri solitum, solvant, nisi quæ mercibus in hujus Urbis portu oneratæ, quæque machinis & tormentis bellicis, commeatu, milite, aliisque ad tantam navigationem necessariis, serenissimi Hispaniarum regis nomine, ibidem instructæ: quæ ex Indiâ auro, argento, pretiosissimisque thesauris, quos ante acta secula non noverunt, constipatæ mensibus Augusto & Septembri quotannis feliciter recurrentes, necesse itidem habent ad ejusdem urbis littus adpellere, mercesque ibi primò exponere. Hispalis divitiis adeò pollet, ut sola regi suo, cujus nomini numinique devotissima est, sesquimillionem aureorum in singulos annos, obsequii & vectigalium ergò, libentissimè reddat, quantum multi principes ex integris regnis corradere vix possunt. Tàm multa de hâc urbe præclara commemorari possunt, ut natum sit inde & tritum

vetustate proverbium, *Qui no ha visto Sevilla, no ha vista maravilla.*

Parisios ita describit Zeilerus: Christophorum Ducem Würtembergæ credidisse, suo illo tempore æquum numerum mortalium Parisiis vixisse, cum universo ducatu Wurtembergæ: fuisse autem, secundum Maginum eâ tempestate, decies octies mille domos, & ferè quingenties millies incolas numeratos. Carolus nonus, lustro acto, apud Grasserum centies mille cives armatos, præter ministros, famulos, peregrinos & Ecclesiasticos invenit. sed urbs posterius, maximè regnantibus Henrico IV. & Ludovico XIII. plurimis aucta fuit ædificiis. Primordia Urbis Tassinus cum aliis facit communia, à prisco aliquo Gallorum rege, Luco scilicet, anno Mundi 2550. rerum potiente, ædificatam conflagrasse aliquando; pontem sublicium à popularibus, metu Romanorum, ruptum. Antiquissima monumenta esse Clunii aulam & castellum grande, quod Julianus Apostata struxerit, & turrim in cæmeterio Innocentium: Philippum Augustum stravisse vias, & hinc

hinc inde muros duxisse, etiam anno 1190. Præfectum Mercatorum constituisse cum scabinis: Divum Dionysium Areopagitam primum hîc Episcopalem gessisse mitram, Clodovæum primum regem Christianum, & metropolim regni dixisse. Scribunt alii, Parisios circa annum C. 1358. primitus muros accepisse, tum demum portis & fossis munitos. Eam olim fuisse exiguam in Insulâ Sequanæ, auctam ædificiis, ad fluminis ripam extructis, crevisse in tres urbes, quæ dicantur Villa, Civitas & Universitas, præter spatiosissima suburbia, adeò ut microcosmus dici possit. Hujus Urbis gnaros asseverare, auri Hispanici signati plus apud Parisios recondi, quàm per universam Hispaniam. Prima pars, eaque potissima, potentissimæ Urbis dicitur Villa; Orientem aspicit Solem & Boream, instar Lunæ crescentis alteram Sequanæ ripam tenet, à tergo muris & fossis munita. hîc olim sex suburbia, quorum duo nuper intra pomœria urbis concessêre. Altera pars, Civitas, media est in ambitu Sequanæ, insulæ instar, antiquissima Parisiorum portio, pon-

tibus utrinque ad cæteras adnexa. ibi nulla suburbia, sed Basilica Archiepiscopalis & Parlamenti sedes. Tertia pars dicitur Universitas, altior cæteris, in Austrum & Occasum vergens, munimenti instar. Hîc collegia Academiæ, antiquissimæ abbatiæ & monasteria, librariorum apothecæ, typographea &c. cum quinque suburbiis, quorum præcipuum illud D. Germani, templis, cænobiis, palatiis sumtuosis, ædificiis magnificis & hortis adeò exornatum, ut cum quovis oppido contendere queat. Basilicarum celeberrima B. Virginis, quam Robertus rex in Insulâ illâ Sequanæ occepit, & Philippus Augustus absolvit: fulcitur centum columnis, in geminam dispositis seriem, exhibet plurima sacella; quorum quadraginta quinque ferreis cancellis circumdata. Longitudo moli centum septuaginta quatuor passus, latitudo sexaginta. Chorus ornatur historiis utriusque fæderis, lapidi incisis. Basilica undecim portas pandit: tribus prioribus impositi viginti octo reges, à Childeberto ad Philippum illum Augustum. Turres duæ altissimæ & firmissi-

mæ minantur, trecentis octoginta gradibus ſcandendæ, pendulo transitu conjunctæ gemino extrinſecus, altero ſuperiore, altero inferiore, octo campanis vægrandibus ornatæ. Turris alia modica ſex campanis perſonat minoribus. Supra majorem portam Chori præcipuè crux Chriſti, & ſub eâ matris Virginis Mariæ & Johannis ſpectantur imagines, ex ſolido trunco factæ ſolertiſſimè. Accepit hæc Baſilica non ita pridem novas tabulas, exquiſiti operis, auro undiquaque, etiam per ſacella ſplendente, quòd primas ferat per omnem Galliam: habet etenim præter ſepulcra ſumtuoſiſſima, complura Sanctorum lipſana, partem crucis ſalutiferæ, nonnulla de B. Virgine Mariâ, corpora Sanctorum Marcelli & Juſtini, qui nono ætatis anno accepit coronam martyrii, caput D. Philippi in auro & gemmis incluſum, & D. Sebaſtiani depictum, cujus pretio nulla par tabula, tum ꝓpter gemmarũ faſtũ, tũ oſſa q̃dam glorioſiſſimi equitis & aliorum martyrũ. In angulo circuitus, ingens viſitur ſtatua ex lapide, Æſculapio, ut creditur, facta. Qui prius Epiſcopus

audiebat, jam ab anno 1622. salutatur Archiepiscopus: ei sunt archidiaconi, vicarii magni, Canonici, presbyteri sive sacellani 127. numero: tum palatium trium ædificiorum, ponè domicilium Expositorum. Viginti hîc parochiæ: per alteram Urbis partem tredecim; per tertiam septem, quib. extra numerum accedunt aliæ septem. Monasteria masculini generis 42. in circuitu illius, quod à S. Martino campestri nomen habet, spectatur imago muliebris, quam Germani, Galli, Angli, & Hispani pictores plurimi visam, omni penicillo superiorem judicant. Fœminini generis recensentur 40. Ptochocomia 25. ex quibus illud Aulæ divinæ, proximè Basilicam Archiepiscopalem, quæ domus cum quavis per Galliam de pulchritudine contendat, tam laudati ordinis, ut multi illustres opulentique, valetudine oppressi adversâ, huc deferantur, ob singularem curam: fundatum anno C. 660. sex aulis diversæ amplitudinis adornatum. Hîc diversa munia, Religiosarum ministerium compl. ctitur pauperes ægrotos ex voto. Sacella singularia 17. Collegia 63.

Lupa-

Lupara, regium palatium, à Francisco I. inchoatur, ab Henrico II. filio producitur, à nepote Carolo IX. perficitur, ab Henrico IV. exornatur. originem tamen alii referunt ad Philippum Augustum & Carolum V. Moles superba, & numeris suis perfecta: ubi inter alia rariora Aula antiquitatum in imo panditur, ad contemplandam maximè Dianam Ephesinam & alia visu dignissima. Hinc itur per porticum, picturis & tabulis admodum speciosam, ubi regum Galliæ cernuntur icones, in aliam molem, Lateritiam vocant. Isti Xysto adhæret alius, juxta defluxum Sequanæ, ad palatium Lateritium itidem deducens, cum gradibus adeò miris & artificiosis, ut Europa vix pares ostentet. Simul oculis objicitur magnum regis Equile. Palatium Parlamenti in secundâ Urbis parte, multis aulis & conclavibus nobilitatur, est aula excipiendis legatis, Procuratorum (quę ex cineribus illustrior emicat, postquam anno 1618. incendium Mensam marmoream, totius Europæ singulare ornamentum, cum statuis regum, ad vivum factorum corrupit) Rationa-

rium, ſubſidiarium, Juſtitiarium, Monetarium, gazophylacium, Æquilibrium, Vicariatus, principatus, Neptunium, Sylvanium. Baſtiliæ carcer, arx valida, quatuor turribus in totidem angulis minax, foſſis inacceſſa: infeſtus peſtilentiâ locus, murisque præaltis, cælum opacum, unde per malignitatem aëris, morbi ex improviſo, & funera. Inter pontes princeps eſt magnus ille ex lapide trans univerſam Sequanam ductus, ab Henrico III. inchoatus, ab Henrico IV. perfectus; cujus ſtatua equeſtris Luparam reſpiciens in medio, Florentiæ à Johanne Bononienſi abſoluta, ex Italiâ translata & 23. Auguſti anno 1614. ſic erecta conſiſtit. Pons adeò latus, ut tres currus pari fronte tranſmittat: utrumque latus erectius, ſenos patitur deambulantes. Hîc aër liberior, nullis coërcetur domiciliis, præter hydraulicam, quà Luparam ſpectat, ad aquam ex fluvio hauriendam, Samaritanæ profuſioni. Eminet hîc horologium miræ artis, quod horas ante & poſt meridiem, aſcenſu & deſcenſu, cum Solis & Lunæ meatibus, indice globo ligni Indici

de-

demonſtrat: Menſes & ſigna Zodiaci indigitat, pulſat quadrantes horarum, præmiſsâ ex campanulis poſterius appenſis, harmoniâ ſuavi ad ſingulas horas. Arcus ibi duodecim numerantur. Palatia viſuntur 72: portæ 20.

Auguſta Vindelicorum Germaniæ non poſtrema urbs, inter Lycum & Vindam, & ſolo & cælo benigno fruitur, ubi creberrimi rivuli, & expatiatoria, ſed glires non fert ager. Obvertit quatuor portas totidem mundi plagis decumanas, præter ſex alias. Pateſcunt portæ quavis noctis horâ numeranti tantillum æs, ſed ita, ut à tergo occludantur tranſitus non pauci. Introducti tres canales ex Lyco, 14. pedum latitudine. Hanc urbem memorant coloniam Romanorum, à Druſo præter Moguntiam aut ſtructam, aut reſtauratam. Anno C. 203. Severus & filii Antonini, pontes viasque verſus Italiam reficiunt, ad paſſus 110000. alias ad 41. 42. & 43000. etiam 11000. paſſus. In baſilicâ viſitur Sedes Epiſcopalis lapidea, ad quam per gradus aſcenditur. Anno C. 952. agitur conventus principum Auguſtæ, & decidit

imma-

immanis lapis ex aëre in forum medium. Anno 1409. tres presbyteri cum monacho Dominicanæ familiæ, ob peccata muta, ſuſpenduntur in caveã ligneã ex turri altiſſimâ per biduum, & ſecuri ſubjiciuntur. Plateæ hactenus glareâ ſtratæ, & herbidæ incipiũt lapide planari: Johannes Guerlitius ſemitam facit ante ſuas ædes in foro boario, quos Fuggeri ſibi coëmerunt. ſequuntur vicini eandem rationem, uſque ad fanum D. Catharinæ: imperat Senatus opulentioribus idem inſtitutum, & medias vias ex ærario publico parat. Perficiuntur muri & ſuburbium Jacobæum; erigitur molendini ſpecies, quod aquam in altum extolleret, per canales dividendam. Antiquitates hîc plurimæ. In horto, Jovi optimo maximo, æterno conſervatori, cæteriſque Diis, Deabuſque hujus loci, præfectus poſuit Rætiæ voto cum ſuis omnibus. In Peutingerorum domicilio: In honorem dedicavit Deo Sylvano templum cum ſigno, vetuſtate collapſum, Sextus Antonius Privatus, cives Trevirenſis ſex vir Auguſtalis, pecuniâ ſuâ reſtituit. Item Plutoni

Plutoni & Proserpinæ Flavia Veneria Bessa ex visu ædem dicat suâ pecuniâ, votum jam solvens lubens meritò. Item Mercurio cujus sedes à tergo sunt, Appius Cl. Lateranus xv. vir sacrificii faciundi, Consul designatus, legatus Augusti, præfectus legionis III. Italicæ votum solvit lubens meritò. Item Juvenis nudus, cum pallâ ex humero, flavo capillitio, caduceo mercuriali, adjuncto gallinaceo, respectante, hirco cubante, & marsupio in dextrâ. Item Mercurio Augusto Sacrum M. Bassinius Vitalis V.S.L.M. & complura istiusmodi sed in Alpibus: Imper. Cæs. Div. F. Augusto Pont. Max. Imp. XIV. Trib. pot. XVII. S.P.Q.R. quòd ejus ductu auspiciisque gentes Alpinæ omnes, quæ à mari supero ad inferum pertinebãt, sub imperium P.R. redactæ sunt Gentes Alpinæ devictæ Triumpilini, Camuni, Vennones, Vennonetes, Hisarci, Breuni, Naunes, Focunates, Vindelicorum Gentes IV. Consuanetes &c.

Caput XVII.

Turres & turrium similia.

Sunt turres eximiæ, vel Novizoniæ, vel Septizoniæ, vel horariæ, vel memoratoriæ, vel mathematicæ: Ad horarias sæpè Præfecti convivia celebraturi conveniunt: in eâ aquea clepsydra horas docet, siquidem ex imo vase in aliud aqua effluens, tabellam, in quâ horarum ac temporum notæ, sursum attollit. Est, qui eam ibidem observet, & ad horas singulas ingentis tympani pulsu signum det, simulque extra turrim tabellam, cum diei horâ, cubitali charactere exaratam exponat. Viderint hîc antiquarii, an quidpiam hæc conferre possint, ad clepsydras antiquas melius percipiendas, aut illustrandas. Hic idem ignis curam gerit, cùmque urbem ex alto totam prospiciat, siquidem is fortè inopinatò domum corripuerit, tympano pulsato, ad extinctionem omnes convocat. Pœna capitis statuta ei, cujus incuriâ domus conflagrârit, ob domuum

passim

passim lignearum, ex viciniâ periculum.

In vertice montis Hiaikeu extat turris antiquissima, quæ, licet magnâ ex parte, vetustate corruerit, adhuc tamen centum & octoginta gradus continet, miro structa opere, cùm in altissimum montem cementum ac lapides subvehenda fuerint: In Xantung, sub urbe Tungchang, Civitas Lincing, habet turrim extra mænia, quæ omnia tum splendore, tum operis magnitudine superat. Figura octogona est, quæ ab ipso solo in altum novem contignationibus exurgit, adeoque Novizonia est. Perpendiculum illius à vertice ad fundamentum, nongentorum est cubitorum, cui debitâ proportione respondet latitudo: totus paries exterior ex subtilissimâ porcellanæ argillâ est, suis figuris extantibus pictisque ornata; interior variegato vestitus est marmore, quæ adeò plana, lævigataque sunt, ut ad instar tersissimi speculi, præsertim dum nigriora sunt, vultum aspicientis reddant. Per scalam helicem, seu cochleam, non in ipso turris medio, sed intra duplicatos parie-

tes

tes extructam, ascenditur, ex quâ ad quâlibet contignationem patet aditus: inde ad pulcherrima, ex sculpto marmore podia, deauratasque ferreas crates, quibus podia, totam turrim ambientia, undique armantur, ornanturque. Ubique extra turrim, ad ipsa podia, maximèque ad summitatem, tintinnabula ac campanulæ ita suspensæ sunt, ut à vento agitatæ suavem edant concentum. Ultima Zona Idolum continet, cui dicata turris est, ex cupro fusili ac deaurato: circum ipsam turrim vicina aliqua visuntur idolorum fana, opere planè admirando, quæque molibus illis antiquis Romanorum facilè invidiam facere possint. Turre hac multò pulchriores sunt apud Sinas, ex hac tamen, velut ex ungue leonem, cætera colliges, cùm omnes, ut plurimum, sibi sint similes, eodemque architecturæ, modo ac ordine structæ.

In Huquang, ad Hanyang urbem est turris Xeleuhoa, suâ præstantiâ facilè cætera omnia ædificia superans. Hujus construendæ causam hanc enarrant fuisse historiam. Erat nurus quædam, maxi-

mæ erga socrum observantiæ : hæc cùm præparatam opiparè gallinam, quâ socrũ exciperet, aliquando obtulisset, illa vix eâ comestâ statim mortua concidit. Ad tribunal altera, quasi venenum propinâsset, abducitur, accusatur, occiditur. Cùm autem ad mortem duceretur, fortè fortunà arborem pomorum granatorum transiit; ibi apprehenso ramo ita orâsse fertur: Si ego socrui venenum obtuli, moriatur flos hujus rami; sin autem à me stat innocentia, quàmprimum fructus proferat. Vix hæc absolverat, cùm ecce tibi, dictu mirum, ramus pomis granatis onustus apparuit. In hujus rei memoriam omnibus impensis turrim ædificârunt cives, quæ hâc de causâ Xeleuhoa dicta est, quod granatorum florem significat.

In Kiangsi, ad Cancheu urbem pulcherrima, ac præ reliquis magnifica turris visitur ad ripam fluminis, propè Sinfung civitatem, novizonia, ex sectis lapidibus, ad ingentem altitudinem erecta. Sigan est metropolis in Xensi, ubi turris Yen novizonia, novem altissimis contignationibus adsurgens, quæ hujus loci reliquas

alti-

altitudine ac ſplendore ſuperat , lapidea tota, & intus marmore obducta.

Intra Nanking, in edito quodam colle ſita eſt turris mathematica, ſiquidem in eâ tria adſervantur illius artis ſcientiæ inſtrumenta , quibus paria aut ſuperiora vix vidit orbis totus. Primum eſt globus ſeu ſphæra cæleſtis , ſuis meridianis parallelisque diſtincta: Secundum eſt armilla æquatoria, triplici conſtans Circulo, horizonte , meridiano & verticali circulo mobili,cum ſuis pinnacidiis: Tertium eſt ſphæra armillaris, Europæis omninò ſimillima. Quodlibet horum habet diametrum duodecim pedum , omnia ſunt ex cupro inaurato, miro artificio elaborata : fulcra, quibus ſuſtentantur, ære fuſili effícti dracones ſunt, adeò ad amuſſim ac affabrè facta omnia , ut nihil in eo magnopere ſit,quod etiam Tycho aliquis poſſit deſiderare. Trecenti modò & quinquaginta effluxêre anni , ex quo à Tartaris Ivenæ familiæ iſtîc ſunt collocata, ſed priſtinum etiamnum, ac ſi primum nunc fabrefacta eſſent , retinent ſplendorem. Circa Chingkiang urbem colles

quidam

quidam ſunt amæniſſimi, in quibus Idolorum fana ingentia ac magnifica: in uno ex iis, ex ſolido ferro turris, ſupra baſim etiam ferream extructa viſitur, cujus altitudo plus minus triginta cubitorum, forma pyramidalis, tota ab imo ad ſummum variis figuris, ac præſertim lauris decorata eſt.

In Chekiang, urbs Hangcheu (Quinſai) habet quatuor turres novizonias: & in utroque vertice altiſſimo montis Funghoang novizoniam cum fano. In urbe Niencheu eſt Septizonium.

Xaohing urbs habet Novizonia duo, & quinque fana, ſumptuoſa omnia. Ningpo urbs habet duo Septizonia.

Ad Civencheu urbem eſt Paocai mons, in cujus vertice eminet turris Novizonia, quæ navigantibus pharum, ac certiſſimum littoris propinquantis ſignum præbet.

In Quangtung ad Chaoking, in ripâ fluminis eſt novizonium ſuperbiſſimum.

Sub Liencheu, à King Civitate per montes difficillimum eſt iter, in quo Mayveno, cùm in Tungking arma movit, co-

columnas æneas diſpoſuit, ut reditus viam agnoſceret: quarum una adhuc extat in Fuenmao declivi vertice, ubi limes eſt inter Tungking regnum & Sinas.

In Chekiang, ad Hangcheu (quæ eſt Quinſai) eſt mons Funghoang, in quo duo altiſſimi, ſibi ex adverſo oppoſiti vertices, cum duobus novizoniis, ut mirere, quomodo ædificari potuerit tàm excelsè.

Sub Fokien, in Civencheu urbe duo ſunt ſeptizonia admiranda, de quibus vide Fana.

Cùm exotica potius admiremur, referre licebit. In Marocco fuerit turris, quatuor columnis ſolidis ampliſſimis ſimul & altiſſimis; celſitudini nil putatur par in Italiâ: ambitus eſt ducentorum pedum, & ſuperant longè hunc numerum altitudine. Surgit enim in ſeptem ampliſſima Solaria, ad quæ præplanis gradibus per gyrum aſcenditur. Ubi ventum eſt in ſummum, patet planicie plurimâ, in quâ locata eſt pyramis, in imo patens pedes quinquaginta, longa circa pedes triginta, in cujus ſummo vertice ordine locatæ ſunt

velut

velut veru confixæ, tres ingentes sphæræ argenteæ.

Extat & alia turris ad templi usum, & ipsa amplissima, in cujus summo cacumine, velut ordine, veru confixæ conspiciuntur tres ingentes Sphæræ aureæ, quarum pretium ad centum triginta aureorum millia æstimari tradit Leonius de rebus Africæ. Hunc tamen sumptum superant turres in Indiæ Orientalis regno Mien. Nam regium ibi sepulcrum extat, inter duas turres locatum, ipsum quidem aureis argenteisque laminis digitali crassitudine obtegitur: turres verò ipsæ propter id, quòd in ipsarum summis verticibus aureas & argenteas campanulas ita constitutas habent, ut vento agitatæ, è catenulis pendentes, sonitum suavem edant.

Pyramides an inter sepulcra aut turres referamus, nihil interest: de iis Plinius Multa circa Pyramides Ægypti regum vanitas fuit otiosa ac stulta ostentatio. Una est in Arsinoite nomo, duæ in Memphi, non procul à labyrintho: eæ sunt conspicuæ undique adnavigantibus, sitæ sunt in

parte Africæ, monte ſaxeo ſterilique, inter Memphim oppidum & Delta, à Nilo minus quatuor millia paſſuum à Memphi ſex. Pyramis igitur ampliſſima ex Arabicis lapidicinis conſtat: trecenta ſexaginta hominum millia annis 20. eam conſtruxiſſe produntur. Tres verò factæ annis 78. & menſibus quatuor. Inter omnes, qui plurimi de eis ſcripſerunt, auctores non conſtat, à quibus factæ ſint, juſtisſimo caſu obliteratis tantæ vanitatis authoribus. Aliqui ex iis prodiderunt, in raphanos & allium ac cæpas, mille octingenta talenta erogata. Ampliſsima octo jugera obtinet ſoli, quatuor angulorum paribus intervallis per octingentos octoginta tres pedes, ſingulorum laterum altitudo, à cacumine pedes viginti quinque. Alterius intervalla ſingula per quatuor angulos pares 737. comprehendunt. Tertia minor prædictis, ſed multò ſpectatior Æthiopicis lapidibus, aſſurgit trecentis ſexaginta tribus pedibus inter angulos. In Pyramide maximâ eſt intus puteus octoginta ſex cubitorum.

In Cyzico urbe, juxta portam, quæ Thracia

Thracia vocatur, ad voluptatem ſtultam (eruditam) turres ſeptem ita exædificatæ ſunt, ut voces acceptæ numeroſiore repercuſſu multiplicentur, cui miraculo à Græcis nomen datum Echo, ait Plinius.

Hieroſolyma ſuperbiebat turribus: *Hippicus*, quadrangularis, in muro ſecundo, ſuper eminentem collem ſtruitur, octoginta quinque cubitos alta, duplici tecto conſpicua, inſigni robore ac ſoliditate, ab Herode ſeniore, in memoriam Hippici amici, quem in bello amiſerat. *Phaſelus* nonaginta cubitos alta, in edito muri antiqui loco, ſupernè in pilæ modum facta, ſtupendæ magnitudinis & firmitatis, erat munitisſima, quam Herodes ad ſimilitudinem Phari, turris Alexandrinæ, ædificavit atque in honorem Phaſeli fratris ſui dedicavit: is à Parthis captus, cùm nec ferri copiam, nec manus liberas haberet, colliſo ad ſaxum capite ſeipſum occiderat. *Mariamne* quinquaginta quinque cubitis alta, ſuper excelſum antiqui muri collem, mirâ pulchritudine eminebat, quam Herodes in memoriam Mariamnes, dilectisſimæ uxoris ſuæ, à ſe tamen

occisæ, extruxit, & dedicavit: & quia Reginæ fœminę nomine appellata est, cæteris pulchrior, ornatiora diversoria sustinebat: sicut duę superiores erant munitiores. Cùm Titus Cæsar expugnatam Hierosolymam totam funditus subvertisset, prædictas tres turres, ob ipsarum excellentiam, in monumentum integras reliquit, ut posteris indicarent, quàm munitam, quàmque gloriosam urbem Romanorum fortitudo expugnâsset: eas postea ob iteratam Judæorum rebellionem Adrianus Imperator diruit. Turris *Ananeel* non longè à portâ anguli sita, fortis erat & insignis. *Angularis*, à rege Oziâ in centum quinquaginta cubitos erigitur. Turris *David* munita & valdè excelsa, erat in duarum voraginum angulo, in præruptæ rupis collo, ex quadris lapidibus, ferro & plumbo indissolubiliter compaginatis, à Davide rege ædificata, cujus singularis fortitudo ad commendationem sponsæ Christi, quæ est Ecclesia, à Salomone producitur, cùm ait Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex

ex eâ, omnis armatura fortium. Turris *Excelsa*, super portam vallis extruitur, quam Ozias rex reparavit, &, ut ultra montem Oliveti esset specula, centum quinquaginta cubitos altam fecit. Turris *Furnorum*, versus Boream sita, ideo sic dicta, quòd in eâ, ceu in furno, perpetuus aleretur ignis; qui noctu terrâ marique iter facientibus, tanquam scopus propositus erat, secundum quem, ne quà à viâ declinarent, iter suum dirigere possint. Turris *Magna* eminebat juxta murum templi cæteris altior. Turris *Meah*, aliàs Emath, id est centum cubitorum, non longè à templo distabat. Turris *Psephina* erat octãgularis, septuaginta cubitos alta, in civitatis angulo, inter septentrionalem & occidentalem urbis murum, super rupem admodum excelsam firmata, atque tota instar propugnaculi admirabilis, suâ altitudine horrenda: ex quâ, sereno cælo, Arabia & mare, atque Hebræorum finium ultima prospici poterant; ejus ruinæ etiamnum visuntur. Turris *Siloe* octodecim viros oppressit collapsa. *Petra columbarum* ad meridiem montis Oliveti

conspiciebatur; saxea, rotunda, sublimis & concamerata erat turris, extrinsecus dealbata, atque angusto uno ostiolo in summitate patens, in quâ domesticæ servabantur columbæ , sæpius ad quinque millia. Monumentum, sive *manus Absalom*, erat columna & statua marmorea cum inscriptione, duobus Hierosolymâ stadiis distans, quam Absalom vivus sibi in monumentum in valle regiâ erexerat, ubi etiamnum turris , & magnus lapidum acervus extat, qui quotidie magis ac magis augetur: nam pagani & peregrini illâc transeuntes, pro more habent, ut quisque lapidem adjiciat, quasi juxta legem vindicantes & detestantes ipsius adversus Davidem patrem suum rebellionem, cum hujusmodi execratione: Maledictus sit parricida Absalom; & quicunque injustè parentes suos persequuntur, maledicti sint in æternum. *Statua salis* est uxor Lot, in eam mutata, quòd respectâsset ad Sodomam sulphureo imbre cælitus pereuntem, contra disertum Domini præceptum, incredulæ animæ æternum monumentum. Testatur Josephus, se suo etiam tempore statuam hanc

hanc vidiſſe, quin & hactenus manet, & extat, ſi Brocardo, ſi Breidenbachio, ſi Saligniaco oculatis teſtibus credendum eſt, qui poſitam dicunt inter Engaddi & mare mortuum.

Turris, quæ Venetiis apud S. Marcum exurgit, tota imis fundamentis ipſo mari ſubſtratis admiranda eſt, non modo craſſitie & altitudine, ſed ex gradibus quoque, quibus in ſummum itur. De eâ Sabellicus Superbiſſima turris occurrit, adeò altis fundamentis innixa, ut penè plus operis latere credatur, quàm ad auras extat: ſummus apex adeò ſublimis, ut fulgor auri, quo illitus eſt, ad ducenta ſtadia ex alto navigantibus, velut ſaluberrimum quoddam occurrat ſydus. Bordonius ait, patere per ſingula latera pedes quadraginta, exurgere in altitudinem pedum ducentorum triginta, ſedentemque ſummo vertice Angelum habere verſatilem, ad quoſque ventorum flatus, indeque aurum emicare. mirandum imprimis, quâ arte cohiberi potuerint fluctus, adeò latâ, adeoque profundâ defoſſione: *Argentinenſem* liceat apponere, quæ ab imo ad

ſupremum culmen quadris & pulchrè figuratis conſpicitur lapidibus tota conſtans, aſcenſus patet cochleis : ubi verò craſſities ejus in faſtigium incipit acuminari, ibi octo inſurgunt cochleæ : vertex, qui vix modii amplitudinem videtur habere, commodè ſex homines capit : altitudo tota habet pedes geometricos 574. Deturpavit eam ante pauculos annos fulmen nocturnum, disjectis immanibus lapidibus, qui tamen innoxii & deciderunt, & lapſum minantur. Inventus architectus, ad ruinam farciendam, adeò ut altitudini aliquantulum additurus credatur.

Accedit & *Coloſſus Rhodius*, qui omnes ſuperâſſe compertus eſt alios. De eo Plinius, Ante omnes in admiratione fuit Solis Coloſſus Rhodi, quem fecerat Chares Lydius: ſeptuaginta cubitorum altitudinis fuit: Hoc ſimulacrum poſt quinquageſimum ſextum annum terræ motu proſtratum, ſed jacens quoque miraculo fuit, pauci pollicem ejus amplectuntur, majores ſunt digiti, quàm pleræque ſtatuæ, vaſti ſpecus hiant defractis membris: ſpectantur intus magnæ molis ſaxa, quorum

tum pondere ſtabiliverat conſtituens: duodecim annis tradunt effectum trecentis talentis. Mirari interim magis libet Rhodienſium ſtultitiam, qui tantam molem æream conſtruxerant avertendæ peſtis causâ, quæ tum ſæviſſimè in eâ urbe graſſabatur, teſte Nicephoro, ſpem impiè conjicientes in mutum ſimulacrum, irridendumque Deum, qui nec ſuis viribus, nec hominum auxilio poſſet conſiſtere, eſſetque jacens omnium auxilio deſtitutus, conculcationi expoſitus, quin etiam venalis factus, & in innumeras partes dividendus. Zonaras enim in Conſtante Heraclii nepote memorat, ipſo Imperatore ab Agarenis in Phænice Lyciæ portu devicto, Agarenos, obſiſtente nemine, etiam Rhodo inſulâ ſubactâ, celebratiſſimum hujuſmodi Coloſſum (jam multarum provinciarum ſubſidiis dudum reſtauratum) demolitos fuiſſe, cujus æs Judæus quidam mercatus, nongentis camelis onuſtis fertur aſportáſſe. Fuiſſe autem alios plurimos inſignes Coloſſos in eâdem urbe, memorat Plinius: & Herodotus in urbe Siri Ægypti complures, præ-

 cipuè

cipuè inter eos unum jacentis ſpecie, cubitorum ſeptuaginta quinque. In regno Pegu, Indiæ Orientalis, Colosſi plures admirandæ altitudinis extant, prorſus laminis aureis contecti, capitibus diademata geſtantes, pretioſisſimis gemmis exornata: ac proximè eos extant ſedes, unde Gentis leges promulgantur, præaltæ, prorſus aureæ.

Ante annos abhinc retrò 600. in Apuliâ marmorea extabat ſtatua, cujus tempora ex ære circulus ambibat, iis inſcriptus literis Kalendis Maii exoriente Sole, aureum mihi caput erit. Quidnam id portenderet Saracenus quidam, Roberti Guiſcardi captivus, interpretatus eſt: Cùm Sol ad præſcriptum terminum pervenerit, ſi quis ſtatuæ umbram advertat quo capitis umbra pertigerit, ibi theſaurum deprehenſurum: neque interpretationem eventus fefellit, nam Calendis, Maii magna auri copia ibidem eſt effoſa, unde Saracenus ſe à captivitate redemit, anno ſcilicet Chriſti 1038. Fuit & Coloſſus in Italiâ, in Bibliothecâ templi Auguſti, pedum quinquaginta à pollice, dubi-

amque fuit, an ære, an pulchritudine esset mirabilior. Alium fecit nostrâ (Plinii) ætate Zenodorus, Mercurio facto in civitate Galliæ Arvernis, per annos decem, omnes amplitudine statuarum ejus generis vincens, pedum 400. immani pretio; Romamque accitus à Nerone, Colossum fecit 60. pedum longitudine. Et Vespasianus dicitur Colossum Romæ erexisse centum & septem pedum: liberet tamen oculis usurpare illum in labyrintho Ægyptio Serapidis ex Smaragdo novem cubitorum, de quo Plinius. Juxta Barcinonem mons est, quem *MontJuy* vocant accolæ: sunt qui interpretentur montem Jovis, alii melius montem Judæorum, qui quondam illîc sepeliebantur, quorumque plura adhuc ibi sepulcreta & signa. In vertice turris est, unde speculator die quidem linteo velo, noctu verò facibus navigiorum adventum Barcinonæ civibus ostendit. Bituricum populus geminus, alii Cubi, quorum metropolis Avaricum (ab Eura flumine) primæ Aquitaniæ Bourges; alii Vibisci, quis Burdigala secundæ Aquitaniæ urbs est primaria. Hæc

Cuborum quatuor beata eſt rivulis. Veteris paulò ſequior, quàm hodiernæ, ſitus: ad paludes ſcilicet vergebat, cujus etiam nunc cum admiratione viſuntur Muri, propemodum integri, ſolidisſimâ materiâ, ut pasſim veterum Romanorum opera, conſtructi: initium capiunt à turri, quam magnam vocant, pergentes per medium D. Stephani templum, Plateam D. Joannis campeſtris, portamque Gordianam, uſque ad novam, cui olim à S. Andreâ nomen: inde per plateam Amphitheatri ſe ad portam Turonenſem extendunt: hinc autem porrecto ambitu verſus portam D. Pauli, paulatim turrim, quam diximus, repetunt. Poſtea prolatis variè pomæriis ita fuit hæc urbs amplificata à Carolo Magno, & aliis, ut jam nunc cum maximis & munitisſimis Galliæ civitatibus contendat, formam habens oblongam, amplisſimam & ſpatioſisſimam. Munita eſt octoginta editis crasſisque turribus. Inter eas principem tuetur locum, quam modò magnam diximus *La grosse Tour*, ab inſolitâ crasſitudine, minoribus undique turribus, muroque & fosſis

fossis profundissimis, Philippo II. Augusto Galliarum rege circa annum 1190. curante, cincta: forma est rotunda, magnæ altitudinis. Aliam omnino similem fuisse ajunt, sed dirutam: à binis turribus igitur nomen inditum, sicut Calamæus refert: *Turribus à binis, inde vocor Bituris.* Septem habet urbs suburbia, totidem portas, præter minores aliquot, adeò ut ingruente hoste, quatuor saltem patescant: septendecim sunt Ecclesiæ collegiatæ: septendecim parochiæ: quatuor mendicantium Ordines: duæ virorum Abbatiæ, tres mulierum. Sunt hîc ædes Alemannorum, qui quondam regiæ Gazæ præfuerunt, antequam Nundinæ, quæ ibi maximo peregrinorum concursu celebrari solitæ, Lugdunum transferrentur, anno 1497. Infinita monstrantur Avarici cùm intra, tum extra muros veterum ædificiorum elaborati operis & materiæ præstantis rudera; multa & quotidie eruuntur, præsertim ex fossâ Arenarum, uti vocant, ubi quondam amphitheatrum.

Caligula circa Gesloriacum, in littore Gallico, ad Oceanum, altissimam tur-

rim excitavit, ex quâ, ut ex Pharo, noctu, ad regendos navium cursus, faces emicarent. Claudius portum Ostiæ extruxit, circumducto dextrâ levâque brachio, & ad introitum, profundo jam solo, mole objectâ: quam quò stabilius fundaret, navem ante demersit, quâ magnus obeliscus ex Ægypto fuerat advectus, congestisque pilis superposuit altissimam turrim, ad exemplum Alexandriæ Phari, ut ad nocturnos ignes cursum navigia dirigerent. Est autem Pharos insula, olim continenti commissa ponte; in eâ turris ex albo lapide, nominis ejusdem, quam Sostratus Cnidius posuit, ad navigantium salutem, fumo ibi de die, flammâ de nocte apparente. Ludovici exemplum, qui Imperator Pharum cõstituerat ad Scaldis ostium, secutus Carolus VI. apud Slusam in Flandriâ, & Rupellæ turres, & inter Burdigalenses ac Santhones in Oceani littore excitavit, quas à face, quæ de nocte ab summitate navigantibus prætenditur, lanternas vocant.

Redimus Romam, ad spectandam Columnam Cochlidem, quæ Imperato-

ris majeſtatem populique Romani oſtendit: Scripſit eâ de re, figurasque æri inciſas exhibuit Alfonſus Ciacconius, homo Hiſpanus. Cælatæ ſunt in circuitu res geſtæ Cæſaris Trajani bello Dacico, aliisq; militaribus expeditionibus: alta eſt pedes viginti octo ſupra centum, baſis habet pedes duodecim: lapidibus ſtructa eſt viginti quatuor, tantæ vaſtitatis, ut opus videatur non ab hominibus, ſed à gigantibus perfectum. Singuli lapides gradus octo continent, per hos aſcenditur. Lumen præbent feneſtellæ quadraginta quatuor. Nihil uſquam terrarum admirabilius, nihil magnificentius. Erecta autem eſt, quemadmodum inſcriptio oſtendit, ad declarandum, quantæ altitudinis mons, & locus tantis operibus fuerit egeſtus. Detentus verò bello Parthico Imperator Columnam ſibi erectam non vidit, ſed rediens victor fluxu ſanguinis moritur Seleuciæ Syriæ.

CAPUT. XVIII.

LABYRINTHI ET OBELISCI.

Labyrinthi famosissimi inveniuntur quatuor, quibus vel quintus accesserit: Ægyptiũ describit Mela sic. Labyrinthus, potentissimum humani ingenii opus, durat etiam nunc in Ægypto, in Heracleopolite nomo (in lacu Mæridis, in Africá) lapide polito, fornicibus tectus, divisus in regiones atque præfecturas (quas vocant nomos) sedecim nominibus earum totidem vastis domibus attributus: præterea templa omnium Ægypti Deorum continet. Superant Nemeses quindecim ædiculis inclusæ, pyramides complures, quadragenarum ulnarum, senos radice muros obtinentes. Fessi jam eundo perveniunt ad viarum illum inexplicabilem errorem: quin & cænacula prius excelsa, porticusque ascenduntur nonagenis gradibus omnes, intus columnæ porphyrite lapide, Deorum simulacra, regum statuæ, monstrificæ effigies. Quarundam autem

tem domorum talis est situs, ut adaperientibus fores, tonitru intus terribile existat. Majore autem in parte transitus est per tenebras, aliæque rursus extra murum labyrinthi ædificiorum moles, Pteron appellant, inde perfossis cuniculis subterraneæ domus. Mela adjicit quædam luculenter explicata. Psammetici opus labyrinthus, domos mille & regias duodecim perpetuo parietis ambitu amplexus, marmore extructus ac tectus, unum in se descensum habet, intus penè innumerabiles vias, multis ambagibus huc & illuc remeantibus, sed continuo anfractu, & sæpè revocatis porticibus ancipites, quibus subinde alium super alios orbem agentibus, & subinde tantum redeunte flexu, quantum processerat, magno & inexplicabili tamen errore perplexus est. Et Herodotus: Labyrinthus in lacu Myrios circuit stadia 3600. (140. mill. germ.) aquæ profunditas passuum 50. in medio pyramides duæ, altitudo extra aquam passuum 50. in summo Colossus: nullo prorsus ligno.

De Cretico ita Plinius: Dædalus labyrinthi,

rinthi, quem fecit in Cretâ, exemplar sumpsit ab Ægyptio, sed centesimam tantùm portionem ejus imitatus est, eam scilicet, quæ itinerum ambages, occursusq; ac recursus inexplicabiles continet, non, ut in pavimentis puerorumve ludicris campestribus videmus, brevi laciniâ millia passuum plura ambulationis continens, sed crebris foribus inditis, ad fallendos occursus, redeundumque in errores eosdem. dicit tamen, suo tempore nulla ejus vestigia superfuisse. Propterea is subterraneus meatus, qui inextricabilibus erroribus per tenebras, duce aliquo perito, accensisque facibus, à curiosis frequenter visitatur, non labyrinthus ille est, licet sit labyrintho ob anfractus coæquandus: est autem lapidicina vetustissima, multa habens diverticula; & eos, qui apparent anfractus, ac sinuosæ latebræ, Petro Bellonio.

Lemnius similis illis, columnis tantum centum quadraginta mirabilis fuit, quarum in officinâ turbines ita librati pependerunt, ut puero circum agente tornarentur.

Italicum

Italicum fecit Porſena rex Etruriæ, ſepulchri causâ; ſimul ut externorum regum vanitas quoque ab Italis ſepararetur. de eo ſic Varro: Sub urbe Cluſio monumentum eſt lapide quadrato; ſingula latera pedum lata tricenum, alta quinquagenum, inque baſi quadratâ intus labyrinthus inextricabilis, quo ſi quis improperet ſine glomere lini, exitum invenire nequeat. Supra id quadratum Pyramides ſtant quinque quatuor angulis, & in medio una, imo lata pedum ſeptuagenum quinum, altæ centum quinquagenum ita faſtigiatæ, ut in ſummo orbis æneus, & petaſus imus omnibus ſit impoſitus, ex quo pendeant excepta catenis tintinnabula, quæ vento agitata longè ſonitus referant: ſuper quas uno ſolo quinque pyramides, quarum altitudinem Varronem adjicere puduit: adeo veſana dementia, quæſiſſe gloriam, impendio nullo profuturo, propterea ſatagiſſe regni vires, ut tamen laus major artificis eſſet.

Eſt & alius in *Hungariâ* labyrinthus, ſed non tantis extructus ambagibus, neq; tantâ lapideâ mole, ſed horti amœniſſimi

vicem

vicem præbet, regiâ magnificentiâ excultus. ex arboribus etenim consitus, institutus est, & insuper vivaria ex peregrinis nostratibusque avibus, quæ ferrea retia coërcebant. In aviariis quoque arbusta, fructiferæque arbores, & nemus, item Xysti per ordinem digesti, variisque arborum generibus circumvallati: Insuper cryptæ, porticus, lithostrata, piscinæ, turres quoque cænaculis ac pergulis obductæ, in quibus cænationes cum vitreis speculatoribus usque adeò jucunda, ut nihil amænius.

Obeliscorum ferè eadem insania: extructus est *unus* insignior in urbe Solis in Ægypto, cubitorum quadraginta, à 20. mille hominibus perfectus. Ipse rex Mitres, cùm subvecturus esset, vereretur q;, ne machinæ ponderi non sufficerent, quo majus periculum curæ artificum denuntiaret, filium suum alligavit acumini, ut salus ejus apud molientes prodesset lapidi. Sunt & *alii duo*, unus à Smarre positus, alter ab Eraphio, quadragenum octo cubitorum. Alexandriæ statuit *unum* octoginta cubitorum Ptolomæus Philadelphus,

phus, majuſque opus fuit in devehendo, ſtatuendove, multò quàm excidendo. Et *alii duo* ſunt Alexandriæ in portu ad Cæſaris templum, quadragenum binum cubitorum. *Alius*, quem Divus Auguſtus in Circo magno ſtatuit, 125. pedum & dodrantis, præter baſin ejuſdem lapidis. Is verò, qui eſt in campo Martio, novem pedum minor. Tertius Romæ in Vaticano Caii & Neronis principum Circo, ex quibus omnibus unus omninò fractus eſt in molitione. Alium memorat eodem loco Plinius à Nuncoreo, factum centum cubitorum. Alium præ cæteris omnibus inſignem, longitudinis centum & quinquaginta pedum, latitudine verò, ſpiſſitudineque quatuor & viginti, ex Armeniorum montibus lapide exciſo, viâ nobiliſſimâ Babylone excitatus à Semiramide fæmina, etiam inter miracula ſeptem adnumerari conſueverat, teſte Rhodigino.

Plinius explicat, quomodo maximâ atque admirabili nave Romani ſubvectus fuerit obeliſcus ex Ægypto, unà cum quatuor truncis ejus lapidis, ad ſuſtinendum eum: Evectus eſt foſſâ perductâ uſque ad ja-

ad jacentem obeliſcum è Nilo, naveſque duæ in latitudinem patulæ, pedalibus ex eodem lapide ad rationem geminati, per duplicem menſuram ponderis, oneratæ, ita ut ſubirent obeliſcum pendentem extremitatibus ſuis in ripis utrinque, poſtea egeſtis laterculis allevatæ naves exceperunt onus ſtatutum. Quo verò artificio conſtituti fuerint tot obeliſci Romæ in ſedibus ſuis, explicat Ammianus Marcellinus. Obeliſcus Romæ in Circo erectus eſt maximo: Urbem priſcis ſeculis conditam ambitiosâ mænium ſtrue, & portarum centum quondam aditibus celebrem, Hecatompylas Thebas inſtitutores è facto cognominârunt. In hac urbe, inter labra ingentia diverſasque moles, figmenta Ægyptiorum Numinum exprimentes, obeliſcos vidimus plures, alioſque jacentes & comminutos, quos antiqui Reges, bello domitis gentibus, aut proſperitatibus ſummarum rerum elati, montium venis, vel apud extremos Orbis incolas perſcrutatis, exciſos, erectoſque Diis ſuperis in religione dicarunt. Eſt autem obeliſcus aſperrimus lapis in figuram me-

tæ

tæ cujusdam, sensim ad proceritatem consurgens excelsam, utque radium imitetur, gracilescens paulisper, specie quadratâ in verticem productus angustum, manu lævigatus artificis: formarum autem innumeras notas hieroglyphicas appellãtes, quas etiam undique videmus incisas, initialis sapientiæ vetus insignivit auctoritas: Volucrum enim, ferarumque etiam alieni mundi genera multa sculpentes, ad ævi quoque sequentis ætates Imperatorum vulgatius perveniente memoriâ, promissa vel soluta regum vota monstrabant. Non enim, ut nunc, literarum numerus præstitutus & facilis, exprimit quidquam humana mens concipere potest, ita prisci quoq; scriptitârunt Ægyptii, sed singulæ literæ singulis nominib. serviebãt, & verbis nonnunquam significabant integros sensus: cujus rei scientiæ in his duobus exemplis per vulturem naturę vocabulum pandunt, quia mares nullos inter has alites posse inveniri, rationes memorant physicæ; perque speciem apis, mella conficientis, indicant Regem moderatorem cum jucunditate, aculeos quoque innasci debere, his

his ſignis oſtendentes , & ſimilia plurima.

Et quia ſufflantes Adulatores ex more circumſtantium id ſine modo ſtrepebant: quòd cum Octavianus Auguſtus obeliſcos duos ab Heliopoli, tantâ civitate tranſtuliſſet Ægyptiâ , quorum unus in Circo Maximo , alter in Campo locatus eſt Martio, hunc recens advectum, difficultate magnitudinis territus, nec contrectare auſus eſt, nec movere: diſcant, qui ignorant, veterem principem, translatis aliquibus, hunc intactum ideò præteriiſſe, quòd Deo Soli ſpeciali munere dedicatus fixuſque intra ambitioſi templi delubra, quę contingi non poterant, tanquam apex omnium eminebat. Verùm Conſtantinus id parum ducens, avulſam hanc molem ſedibus ſuis, nihil committere in religionem recte exiſtimans, ſi ablatum uni templo miraculum Romæ ſacraret, id eſt, in templo mundi totius, jacere diu perpeſſus eſt, dum translationi pararentur utilia. Quo convecto per alveum Nili, projectoque, Alexandriæ navis amplitudinis ante hoc inuſitatæ, ædificata eſt, ſub trecentis remi-

remigibus agitanda. Quibus ita provisis, digressoque vitâ principe memorato, urgens affectus intepuit, tandemque serò impositus navi, per maria, fluentaque Tibridis, velut paventis, nec quod penè ignotus miserat Nilus, ipse parum sub meatus sui discrimine mœnibus alumnis inferret, defertur in vicum Alexandri, tertio lapide ab urbe sejunctum. Unde chamulcis impositus, tractusque lenius per ostiensem portam, piscinamque publicam, Circo allatus est maximo.

Sola post hæc restabat erectio, quæ vix aut ne vix quidem sperabatur posse compleri, erectisque usque periculum altis trabibus, ut machinarum cerneres nemus, innectuntur vasti funes & longi, ad speciem multiplicium liciorum, cælum densitate nimiâ subtexentes; quibus colligatus mons ipse effigiatus scriptilibus elementis, paulatimque id per arduum inane protentus, diuque pensilis hominum millibus multis, tanquam molendarias rotantibus metas, caveâ locatur in mediâ, eique sphæra superponitur ahena, æreis laminis nitens, quâ confestim vi ignis divini con-

tacta, ideoque sublata, facis imitamentum, in figurâ aëreum itidem auro imbracteatum, velut abundanti flammâ candentis. Secutæque ætates alios transtulerunt: qui autem notarum textus obelisco incisus est veteri, interpretatus est Hermapion.

Verùm hodie Sixtus Papa V. ut Sedis Apostolicæ, principumque apostolorum Imperium super Ethnicorum Romanorum imperia ostenderet; utque beati Petri verè principis auctoritas elucesceret, quoniam ad Ecclesiæ potius majestatem, à toto Orbe æra ac marmora Romam fuerint advecta in Christianorum magis secuturam gloriam, quàm ipsorum tum imperantium Romanorum; Vaticanum Obeliscum, obscænissimo quodam velut latentem loco, magno sumtu, majoreque Dominici Architecti industriâ, transtulit temporis intervallo annuo in amplissimum scilicet forum, quod patet ante Basilicam D. Petri, ut omnibus fieret ipse obeliscus magis conspicuus, & quantò sublimior sit sedes Petri, animadvertere quisque posset, quando Imperatorum labores

bores omnes ac ſumtus ceſſerint commodo & ornamento Apoſtolorum. Locatus quidem illâ grandi majeſtate conſpicuus redditur Vaticani obeliſcus in illo foro, ſed is in Circo Maximo Auguſti, ab eodem Sixto è latebris eruitur, cùm totus humo obrutus non appareret: in apertam igitur venit lucem, ſed fractus, & maximâ Dominici induſtriâ nihilominus ante D. Johannis Lateranenſis Baſilicæ fores, atque ante ædes illas præmagnificas, quæ imperialem reddant in urbe Româ majeſtatem, quasque ipſe idem Sixtus in Laterano mirâ celeritate extruxit, erectus eſt incredibili induſtriâ, nunquam à Romanorum ſeculo in hunc uſque diem aut auditâ aut visâ. Spectatur magnâ jucunditate, tum ob latitudinem atque altitudinem, ob notarum Ægyptiarum, quarum meminit Ammianus Marcellinus, in eâ ſculptarum formas, ut tanta moles, tàm procul à Româ exciſa ac ſculpta, ad Imperatoriam Majeſtatem exornandam vecta, cedat Chriſto, & ejus ſacroſanctæ Cruci, ut ſic quicquid eximium Imperatorius labor ac ſumtus pepererat, Chriſto

 ſoli

soli peperisse videatur: hostili enim manu moles illa prostrata brevis fuit, dum imperatoriâ laude floruisset, nunc autem nunquam ullâ hostili manu casura est, cùm Christi gloriam ferat, nisi ad templi Hierosolymitani fata relabatur. Sed & alius obeliscus, qui apud Mausoleum Augusti fractus jacebat, ejusdem artificis studio, ita jubente Sixto, excitatus est inter Hortos Sixtinos, ante Viminalem eorum portam, & ædem B. Virginis ad Præsepe.

Antiquus author Euhemerus, ex civitate Messanâ oriundus, res gestas Jovis & cæterorum, qui Dii putantur, collegit, historiamque contexuit ex titulis & inscriptionibus sacris, quæ in antiquissimis templis habebantur, maximèque in fano Jovis Triphylii, ubi auream columnam positam esse ab ipso Jove, titulus indicabat; in quâ columnâ gesta sua perscripsit, ut monumentum esset posteris rerum suarum. Hanc historiam interpretatus est Ennius & secutus, cùm ita scribit: Jupiter imperium Neptuno dat maris, ut insulis omnibus, & quæ secundum mare loca sunt, omnibus regnaret. Habitavit autem Jupiter

ter in monte Olympo maximam vitæ partem, & eò ad eum in jus veniebant, si quæ res in controversiam venisset. Si quis quid novi invenerat, quod ad vitæ humanæ commoda pertineret, ab eodem & approbationem & præmium accipiebat. Hinc illi divini honores, templum, statua & columna.

In ipsâ Æthiopiâ, loco cui nomen Argo, templum Divæ Mariæ, uno è saxo excavato constat. Visuntur ibi bini ordines columnarum, scabella, altaria, sacraria, speculæ, januæ, ac quicquid supernè, infernève spectatur, aliunde devectum non est, sed excavatum, tradente Avarezo; Sic Abugana ejusdem Æthiopiæ inter non paucas Basilicas conspicitur, quæ titulo Salvatoris dicata est, longa palmulos ducentos, ac centum viginti lata: sunt columnarum ordines quinque, claustra amplissima, sacella, atque alii plurimi loci uno è saxo excavati. Miraberis etiam amplius, lector benevole, si intelligas, quas nos ære conficimus campanas, illos lapidibus excavatis uti sonoris. Insanire licet dicas Æthiopes, qui saxis excavatis

domos & templa conſtruant: Etenim lapis unicus ad cubitos 21. longus, octo altus, in quo vehendo triennium ter mille fabri abſumſerant, itinere dierum viginti, ſi navigio fuiſſet vectus; ita excavatus ab illis fuit, ut arca maxima eſſe videretur. Alius, qui per omnia latera quadrangularis patebat ad cubitos quadraginta, totidemque ad altitudinem præbebat, ita totus fuit interius excavatus, ut templum apparuerit ſupra, infra; hinc, inde, unico confectum lapide; & muri vicem tenuêre quatuor cubiti, quos undiquaque non excavavit artifex, referente Herodoto. Sic in Conſtantinâ urbe Africæ porticus eſt inſignis, cum ingentibus ſcalis, uno tota excavata lapide, ſcilicet fornix, quæ tecti vicem tenet, columnæ pavimentum muri quoque verſus ſcalæ longo tractu, excavato marmore conſtent.

Quid mirum, providam naturam illis regionibus indulſiſſe ſaxa perpetua, ut ſcilicet cavernas montium conficiant, & contra æſtum inhabitent; nobis autem Europæis ſaxa comminuerit, quæ fruſtillatim eruamus, in rem noſtram vertenda.

Sic

Sic Æthiopes riserint illud reticulare molimen funicum Sixti, quin potius Dominici Architecti; sic nihil metuerint sortem Rhodiensium, in terræ motu, cùm omnes & singulæ partes saxearum ædium & domuum ita cohæreant, ut divelli nequeant. Hîc nihil opus erectione, nihil nave illâ plusquam Salaminiâ, nihil tegulis inauratis: nam ubi vitium fecerit soliditas? Impenditur, fateor, plurimum laboris in excavandum saxum, sed uno immani labore defungeris æviternum. Hæc nimirum sunt domicilia, quæ invidiam faciant lunaribus, aut antitypum: siquidem illi, si qui sunt inhabitatores vallium, montium, & orbis lunaris (nam cur & montes umbrosos, & flumina lacusque luminosos nobis frustra obtruderet Keplerus, postquam somnium Scipionis apud Macrobium, suo absoluto penso, in principium illud suum Nihili sive Non Entis reversum est) nullo terræ motu quatiuntur, per phases sui mundi volutandi. sit igitur terræ motus, sed nullum ejus in solida, nulla perturbatio in circulum æqualiter sibi cõstantem. Neque tamen hæc perfectio-

nis habitatio hactenus apud Sinas est observata, quam non iniquus rerum æstimator & labyrinthis, vano juxta ac ridiculo labori, & obeliscis, ostentationis complimento juxta & irritamento, cordatè prælatam habebit, si vel maximè usum vitæ humanæ, cui secundum Deum omnia debentur, expendat.

CAPUT XIX.

ARCUS ET CLOACÆ.

Non exiguum urbibus ac Civitatibus decus conciliant arcus illi triumphales; quorum multi pluribus locis, uti & turres, ex secto lapide, marmoreve sunt, cælaturâ opereque prorsus eximio, seu magnificentiam, seu artificium spectes. Illi non secus atque olim apud Romanos, benè meritis de Civitate aut Republicâ statuuntur: subinde & civibus, magnam Doctoris dignitatem indeptis.

Sub Nanking, In Changcheu erecti sunt arcus triumphales aliquot, non parum ad urbis splendorem ac magnificentiam

tiam facientes. Sub Chekiang, in Hangcheu, quæ eſt Quinſai, paſſim arcus triumphales, ex quibus una ſola urbis platea, quam majorem vocant, trecentos continet, magiſtratus benè geſti aut monumenta, aut civium, ob indeptam dignitatem, præconia quaſi publica, aut ex ipſo Imperatoris mandato, ob præſtitam egregiam Reipublicæ operam erectos, idque in plateis celebrioribus, & frequentioribus locis, ſuperbis ſaxorum molibus aſſurgentes, vario opere, ac inſigni arte cælatos. Gothica illis ut plurimum architectura eſt: tres ſemper fornices continent majorem in medio, ab utroque latere minores, per quos, ut per portas ampliſſimas patet iter. Utrinque leones, aut alia ornamenta marmorea arcuum latera armant; ſupra undique larvæ, aves, flores, ſerpentes ita ſculpti ſunt, ut inſpectantibus omnibus moveant admirationem: ſpatia à figuris vacua eleganter perforata ſunt, ſubindeque minutioribus rebus ſeu ſculpturis, quaſi in aëre pendentibus, ornata. Sanè mirandum, quo pacto ingentes ita perforârint lapides, ut etiam ex il-

lis plurium annulorum quasi catenam efformârint. Tribus plerunque totus arcus distinguitur contignationibus, à tergo & à fronte sibi omninò similis & æqualis, ut ex utraque parte eundem arcum videre te credas. tres hæ series Zophoris suis, epistyliisque marmoreis, ac coronidibus aptissimè distinguuntur. In ipso operis fastigio, sub tecto deaurato, cæruleo lapide aureis cubitalibus literis inscriptum legitur Imperatoris nomen, sub cujus imperio erecta est moles: in medio lapis est planus ingentis magnitudinis, cui aureo aut cæruleo colore inscriptum est nomen, patria, dignitas, carmina atque encomia illius, in cujus gratiam tota moles condita est.

Ne mirere, lector benevole, si arcubus opponimus Cloacas: licuisset assumere statuas, honoris ergò positas, nisi vanitas earum jam dudum explosa fuisset, & principum edictis cohibita, adeò ut Cato maluerit vulgò quæri, Cur ejus nulla extet statua, quàm cur ei fuerit decreta aut statuta. Intelliges autem, Cloacarum curam & opus non tenue quid fuisse, aut leviculæ

viculæ impensæ: deinde, ſicut arcus in ſuperficie terræ fiant, ita Cloacas in viſcerib. terræ, non ſine arcuatione aut cameratione fieri. Et quis dubitet, potiora in tenebris latere, & oculis ſubduci; pompoſa aciem præſtringere animum ſuffurari, illis mentem penetrandi acutam poſcentibus? Sic ſapiens non videtur, niſi loquatur: ſic ſubterranea calcantur ingratiis, niſi aliquando dehiſcant, & neceſſitatem ſui expoſtulent. Jactent Sinæ Arcus ſuos, ſed invacuo fabricatos, in vacuum erectos; Roma jactabit cloacas, & anteferet.

Cloacarum initium fecit ſtruendarum Tarquinius Priſcus, quo nemo Regum plura aut meliora. Structæ autem ad munditiem, quod clarum eſt, ſordeſq; omnes vel abluendas, vel evehendas: ſed & ad ſanitatem, quæ illam amat. De magnitudine hujus operis adducendi ſunt teſtes, cùm res non ſit cuivis obvia. Succurrit jam craſſum, & tamen appoſitum dicterium illius jocoſi, qui uxori fidem facturus, quantum ab ſeſe ipſa adamaretur, in comparationem uberrimam adduxit cloacam ſive latrinam opportunam.

Uxori verò rem ſordidam averruncanti repoſuit: Sciret, nec ne, quantis angoribus diſtraheretur homo prolabentis alvi? quanto fætore enecaretur familia, niſi ei de hâc ærumnâ proviſum eſſet? nolebat enim vir cætera prudens in aciem producere Architectorum axiomata, quibus iſta cura juxta fundamentum ſtatuitur. Sic autem Plinius: Cloacæ, operum omnium maximum, ſuffosſis montibus, atq; urbe penſili, ſubterque navigatâ. Fecit id Agrippa in Ædilitate per meatus corrivatis ſeptem amnibus, curſuque præcipiti, torrentium modò, rapere omnia atq; auferre coactis. Qui inſuper mole imbrium concitati, vada ac latera quatiunt, aliquando Tiberis retrò refuſi recipiunt fluctus, pugnantq; diverſi aquarum impetus intus: & tamen obnoxia firmitas reſiſtit. Trahuntur moles internæ tantæ, non ſuccumbentibus cauſis operis; pulſant ruinæ ſpontè præcipites, aut impactæ incendiis: quatitur ſolum terræ motibus: durant tamen à Tarquinio Priſco annis propè octingentis inexpugnabiles.

Ne ride, ne dedignare, ne nares com-

comprime: tàm magnæ ſunt & Plinio & Straboni, ut vehem fœni onuſtam largè tranſmitterent; itaque non anguſtiores portis oppidorum. Laudantur enim Romani, trium maximè operum curam geſſiſſe, quæ neglecta videbantur à Græcis (à Sinis) Viarum, Aquæductuum, Cloacarum. Diciturque, cloacas iſtas lapidibus ſectis, & ad normam poſitis ſuffultas, ſpatium etiam currui, fæno onuſto ad tranſitum præbuiſſe. Enimverò Marlianus, qui dimenſus eſt, prodidit pedum ſenum denum latitudinem ſe reperiſſe; altitudinem non ſcripſit, quæ minor eſſe non potuit. Audimus, ſeptem amnes corrivatos, ſeptem ſcilicet præcipuas cloacas, ſecundum numerum montium intra pomæria urbis. Quin plures minutæ fuerint, nemo ambiget.

Livius teſtimonium Plinii firmabit: Tarquinius Priſcus infima urbis loca circa Forum, aliasque interjectas collibus convalles, quia ex planis locis haud facilè evehebant aquas, Cloacis è faſtigio in Tiberim ductis, ſiccat. Has olim per publicum ductas alibi ait, Urbe incensâ

à Gallis, festinatio curam exemit vicos dirigendi; atque ita Cloacæ passim privata etiam subeunt tecta. In Plinii testimonio commendatur operis firmitas; quòd subsistat contra pugnam aquarum & copiam intus; contra moles & columnas vastas, quæ per vias & super cloacas ipsas trahuntur; contra ruinas varias, & pondera incidentium ædificiorum: denique contra validos aliquot Terræ motus. Reparandæ tamen non semel fuerunt, unde Livius ait, Censores detergendas Cloacas, & in Aventino, atque aliis partibus, quà nondum essent, faciendas locavisse. quanto sumtu, dicit C. Aquillius apud Dionysiū: Neglectis aliquando cloacis, & non defluentibus, Censores in earum instaurationem mille talenta impendisse in redemtores, (sexcenta millia Philipp:)

Cassiodorum super eodem negotio audire quid impediat? Splendidæ Romæ civitatis cloacæ, tantum visentibus conferunt stuporem, ut aliarum civitatum possint miracula superare. Videas illìc fluvios, quasi montibus concavis clausos, per ingentia stagna decurrere. Videas

structis

ſtructis navibus per aquas rapidas, non minimâ ſollicitudine navigari, ne præcipitato torrenti, marina poſſint naufragia ſuſtinere. Hinc ô Roma ſingularis, quanta in te ſit, poteſt colligi magnitudo: quæ enim urbium audeat tuis culminibus contendere, quando nec ima tua poſſunt ſimilitudinem reperire? Itaque nihil opus illâ comparatione inſtituendâ inter ſumtus & neceſſitatem arcuum ac cloacarum: & ſua fuit excretio templi Hieroſolymitani in torrentem Cedron, & ea fuerit apud Sinas cura canalium, ad eluendas urbes. Cedet de pulchritudine utriuſque ſtructuræ; de ſumtibus & neceſſitate non cedet Roma.

Urbs Granata, denſiſſimas domos, & dehiſcentis Granati ſimilitudinem habet: ejus circuitus eſt paſſuum circiter millium duodecim, mænibus undique cingitur, tuentibus eam mille triginta propugnaculis, portæ, quæ ſunt numero duodecim, ad occidentem faciles habent exitus, & campos amænos; cæteræ verò ad orientem ſubdifficiles: duos comprehendit, præter minores alios, nonnullius altitudinis colles,

les, quos Darrus Fluvius, per vallem mediam fluens dividit. Urbs in quator hodie distributa est partes, situ separatas, suisque appellationibus distinctas: prima peculiari voce, Granata nuncupatur, loca declivia & valles occupans. habitant hîc Ecclesiastici, nobiles plerique, potentiores mercatores, in ædificiis omnes magnificis, quibus horti conjacent amænissimi: Templo decoratur longè maximo, sumtuosissimi mirabilisque operis, in quo sacellum splendidissimum, corpora servans Ferdinandi & Isabellæ, qui Granatam Maurorum tyrannidi ante centum & qui multum excurrunt annos eripuerunt. Juxta est perantiquum Maurorum fanum, Mesquita eorum linguâ nuncupatum. Est ibidem platea, vel forum venale, conspicuæ magnitudinis, nuper à Christianis instructum, Bivaramblam Mauri vocant, sive Arenariam: Forma est quadrangularis, ad mensæ similitudinem, longitudo pedum quadringentorum, latitudo ducentorum. Ibi fons excelsus & insignis. Foro conjuncta est domus Alcaceria, tabernulas habens ferè ducentas, in quibus serici pan-

ci panni , cæterarumque rerum merces quotidie venduntur.

Secunda urbis regio in altiore ſita Colle, qui Solis ſpectat exortum , voce Maurâ Alhambra dicitur id eſt Rubra, vel à Conditore, homine rufo, vel à terrâ rubrâ, quæ nunc etiam conſpicitur in ædificiis. Habitatur miſtim à Mauris & Hiſpanis. Occurrunt ibi multa ſingularia, cumprimis arx nova, à Philippo II. Hiſpaniarum rege, formâ quadratâ, ex cæruleo lapide, qui ſingulari architecturæ artificio ad normam ſectus, condita: aream habet rotundam, valde elegantem & amplam; ambitum autem triplicibus Menianis (quæ columnis marmoreis, venuſto ordine diſpoſitis, ſuſtentantur) lætaque ambulatione diſtinctum: multa ac varia ibi conclavia in quorum interiore ornatu ars & ſumtus decertare videntur: tam æmænus illi undique proſpectus, ut oculi incredibili delectatione ſeſe paſcant, nuſquam non, quoquò ſe vertant habentes, quo Dei ac naturæ bonitatem, agrique Granatenſis felicitatem admirentur. Opus ſanè dignum, quod decantatis totius Univerſi

versi miraculis non adnumeretur modò, verùm etiam optimo jure præferatur. Est & in eâdem Urbis regione antiquum Maurorum Regum palatium vastitate visendâ: defensores commodè admittens ad quadraginta millia: hoc unicum, si alia deessent indicia, quantâ magnificentiâ, quantoque fastu gens barbara Granatense regnum possederit, manifestè loquitur. Interior structura valdè sumtuosa est, valdè superba, ex Porphyrite constans, Jaspide & marmore: muri, trabes, tabulata auro sunt obducta: videre passim est emblemata, Hieroglyphicas notas, Arabicas literas, varia signa, musivo opere incrustata. Quæ cùm sint exquisita, & raræ notæ ornamenta, magnasque Mauritaniæ gentis opes, & singularem magnificentiam contestantia, magnâ Christianorum curâ diligentiâque à situ & interitu, quantum fieri potest, conservantur, collapsaq; restaurantur. Locus est in eâdem arce elegans & spatiosus, formâ quadratâ, vulgo *El Quadro* aut Los Leones: in cujus medio duodecim leones, labrum admodum capax, ex candido marmore in dorso

susti-

fustinent. medium spatium fons exornat limpidissimæ aquæ, in altum, ad instar erectæ hastæ, rapidissimo motu prosiliens, & in idem labrum deinde recidens, unde canales mox & delectabiles aquationes promanant, in quibus Maurorum reges cum reginis æstivos calores ludendo lavandoque mitigare perhibentur soliti: Locum hunc Meniana, quæ marmoreis innituntur columnis, cingunt. Ex hac arce, in quantum oculorum acies extendere se potest, universa propemodum Granata conspicitur, læta etiam arva, ferarum quoque vivarium, in eoque omnis generis animalia, cervi præcipuè, Damæ & capreoli. Ultra hanc arcem, paululum ascendendo, elegans & splendida domus Generalifa se offert, naturâ, arte, situ ad venustatem & recreationem composita. aëre sereno semper gaudet, multis abundat fontibus, suavissimo murmure undique discurrentibus, quorum unus, mirabile & jucundum visu, aquas in miram altitudinem copiosissimâ eructatione, brachii crassitudine evomit, quod extra istius domus muros longissimè prospici potest, maxi-

maximè ſplendente Sole. Prætereo hîc conſitas arte ſylvulas, arbores patentibus ramis generoſis fructibus graves, ſepimenta reticulata, inque iis feras magno numero beſtias. Ipſiſſima videtur Sedes Voluptati Delitiiſque à Maurorum regibus conſecrata. In verticem porrò montis enitenti occurrit ætate multâ conlapſum ferè Maurorum fanum, à Chriſtianis S. Helenæ nunc dedicatum: ad quod ferè omnes qui Granatæ videndæ deſiderio flagrant, conſcendunt, ut ejus templi muro ſuum patriæque nomen inſcribant; quod quidem eâ conſuetudine vulgique opinione receptum, ut is Granatam non cenſeatur vidiſſe, qui id non præſtiterit. In eodem hoc monte Maurorum reges ſuos olim habuerunt hortos, vario florum & herbarum genere decenter veſtitos, quorum nunc etiam manifeſta ſatis ſuperſunt indicia. Juxta ciſterna eſt publica, imbribus colligendis quondam à Romanis parata; aqua inibi non ſolùm nullum putredinis incommodum ſentit, verùm etiam medendi vim habet & facultatem, quod Hiſpani longâ experientiâ ſunt docti.

cti. nam pota ventris fluxum ſedat; In latere ejuſdem montis ędicula ſacra eſt, multâ antiquitate & venerandâ Martyrum memoriâ nobilis: ubi putei & antra in rupibus exciſa & ſcalpellis excavata conſpiciuntur: quorum ut ingreſſus ſunt anguſtiores, ita interiores receſſus latioris ſunt ſpatii. In hoc Mauri Chriſtianos, quos ingenti numero captivos tenebant, crudeliterque tractabant, noctu protrudere, & funibus demittere ſolebant, diuturnis laboribus fractos & confectos.

Tertia urbis regio *El Alveyſin* duos complectitur colles, admirandâ ædium frequentiâ cultos. hæc, quia à ſolis Mauris quondam habitabatur, non altera Civitatis regio, ſed diverſa planè Natio habita, & idiomate à reliquis Granatæ incolis ſeparata eſſe videbatur: agriculturâ & ſerici textrinis ut plurimùm victum quærebant: & quantum uxorum luxui ſerico, aureoque & argenteo veſtitu indulgere, tantùm ſibi viliore habitu viri ſolebant adimere, ſacco ſemper onuſti, etiamſi prædivites, incedentes, ut qualiacunque onera, mercedis conſequendæ gratiâ, pe-

tentibus

tentibus ferrent. Hujus partis porta est illa, per quam Maurorum rex, *Il Ro Cicho*, rex parvulus nuncupatus, se, Granatam & Arcem tradens Ferdinando Regi, exivit, & expugnati regni Granatensis memoriã sempiternam remanere flagitavit hanc, ut nemini post se ea unquam pateret: idquod à Ferdinando facilè impetravit: ideoque ab eo tempore semper clausa mansit, &, ne unquam aperiretur, firmum illi oppositum fuit propugnaculum. Fertur rex Maurorum egressus, inque colle constitutus, cùm magnificam, quam deserere cogebatur, urbem tristis intueretur, illacrumari cæpisse. Quod ubi mater ejus videret, quæ & ipsa in fugâ salutem quærebat, filium affata, Meritò ajebat nunc extra urbem pueriles emittis lacrymas; in quâ, tanquam vir, cordatè pro aris & focis pugnare noluisti.

Quarta denique urbis pars, quæ temporis successu, ob majorem civium frequentiam adnata, Antiquerula nominatur, præstans etiam & populosa: Incolæ byssum, holosericum, Karmesinum, Bambacium, Damascenam, variasque præstan-

tioris

ſtioris pretii telas magnâ copiâ, neq; contemnendo quæſtu conficiunt.

Liceat ſubnectere *Lingonum* urbem, in Galliis, inter cujus vetuſtatis monumenta, quæ illîc viſuntur, non poſtremi eſt loci triumphalis arcus, in ipſis mænibus excitatus: Germanici exercitus cæſi haud dubiè trophæum: qui cùm pugnandi copiam Cæſari Conſtantino penè puero feciſſet, pro ipſis mænibus, & ſpectante Lingonum urbe, obtritus eſt, ſexaginta hominum millibus eo prælio deſideratis. Ejus pugnæ pluribus locis extant etiamnum teſtimonia, Leonum, equorum, virorumque ſtatuæ, via regia, quæ ad Sequanos pertinet.

Neque verò titulo videmur injuriam facere, ſi arcubus connumeremus etiam moles ſuperbas regiarum, quæ non ſunt palatia, ſed propugnacula; cùm & cloacæ poſſint dici arcus inverſi.

Sed ne videamur penitus carere arcubus illis, inſpicienda eſt ſpecies triumphorum & ſtatuarum. A Senatu, poſt vota pro ſalute Imperatoris vel principis ſuſcepta, ſupplicationes abſenti decerneban-

bantur, si vicisset; nempè cùm Senatus Deûm templa aperiri, ac gratias Diis, Imperatoris nomine agi jubebat, per plures dies, quibus Senatus ad templa se conferebat, ibique sacrificabat, epulumque dabat in ipsis templis: perque hos dies festos populus Romanus feriabatur, & sacra faciebat Cneo Pompeio, Mithridatico bello confecto, duodecim supplicationum dies concessi. Jam Imperator victi regis aut principis nave invectus, ornatâ hostilibus spoliis, adverso Tiberi ad urbem subvehebatur: quod Perseo victo Paulus Æmilius fecit. Venienti populus Romanus in littore occursabat, per cohortes & Phalanges longo ordine distributus: quod Pompeio Magno, è Mithridatico bello redeunti factum. Sexto Pompeio debellato, Senatus longè extra urbem ad Augustum suscipiendum progressus est, subsequente populo cum floreis coronis, ramisque è lauru. ductumque Cæsarem in Capitolium ad sacrificium, domum usque omnes comitati sunt. Additi honores, ut statua equestris illi in rostris poneretur, eo habitu quo Pontifex Maximus

in

in Capitolio ſacrificaverat, conceſſum etiam, ut quotannis eâ die, quâ Sextum Pompeium in mari Siculo vicerat, ſacerdotio ſolenniter uteretur. Ut iiſdem in roſtris columnæ roſtratæ, ob id erectæ, ſtatua aurea cum paludamento, & haſtâ collocaretur, cum hoc titulo *Imperatori Cæſari Auguſto, pace terrâ marique partâ S.P.Q.R.*

Cajo Duillio columnam roſtratam cum ſtatuâ paludatâ in foro erectam, quòd primus Romanorum claſſe vicerat, docet Plinius: Columna nitebatur quadratâ baſe, cui res geſtæ inſcriptæ: tres per interſtitia prominebant hinc inde mediatæ naves bellicæ: capitulum ſuſtinebat ſtatuam. Opus egregium. C. Mænius Conſul unus ante Duillium id honoris erat acceptus, non quòd claſſe viciſſet, ſed quòd devictis Antiatibus, in eorum Navali roſtratas ſex ceperit, unde Roſtra Romana compacta. Hoc Tito Imperatori etiam datum, in cujus ſiniſtrâ parte ſtatua ejus cum vexillo roſtratæ columnæ inſidet. Iſtud peculiare: M. Æmilio Lepido equeſtrem ſtatuam dicatam fuiſſe,

 poſt

post triumphum ejus ex Hispaniâ, trophæum navale, hastæ insertum, in quo spolia exarmati hostis, & navis prora, dextro humero sustinentem.

Extructi & arcus in honorem Augusti, hinc & inde apparentibus rostris: supra, triumphantem in curru Imperatorem Victoria coronat. Illi secundum Dionem de Cleopatrâ triumphus concessus est, & fornix trophæum gerens Brundusii, aliusque in foro Romano: utque sacrarii D. Julii basis, captivarum navium rostris ornaretur: ludique in honorem ejus quinquennales haberentur: feriæ essent die natalis ejus, & eâ die, quâ victoriæ nuncius allatus fuit.

In his arcubus honorariis, spolia hostibus direpta aggerabantur, trophæique specie, captivorum species insculpebantur. hinc Prudentius

——— Currus summo miramur in arcu
Quadrijugos, stantesque duces in curribus altis,
Sub pedibusq; Ducum captivos poplite flexo

Ad

Ad juga depressos, manibusq; in terga
retortis,
Et suspensa gravi telorum fragmina
trunco
Æraq; vestitis numerosâ puppe colum-
nis.

Legebantur & tituli, causam extructi arcus præferentes. Insculpebantur & aliarum rerum imagines: triumphi pompa, ferculorum ordo, sacrificia, navales pugnæ, cæteraque id genus in marmore, quod in arcu Septimii videre est ad radices Capitolii, & in arcu Constantini Magni intra Palatium. Supra fornices signa aurata constituta æreæque statuæ, Deorum & hominum, ornamenti gratiâ. Anno V.C. 1022. Claudio Imperatori, ob Gothos navali prælio victos, clypeus aureus à Senatu in Curiâ decretus est, statua aurea in Capitolio ante templum Jovis, & altera argentea judicio omnium gentium, in Rostris palmatæ columnæ imposita.

Cæterùm mos apud Romanos erat, ut triumphum petentes, extra urbem sustinerent, ibique decretum Senatus expectarent: facto à Senatu decreto, de eodem

& ad populum ferebatur, ac prætereà rogabatur, ut eo die, quo triumphus duceretur, imperium triumphanti daret: siquidem id nemo nisi populus dare poterat. Imperator autem, accepto Senatus decreto, & Plebiscito, pecuniâque in apparatum & sumtus triumphi, nocte pompam præcedente, copias in Campo Martio ordinabat, ut primo diluculo triumphus duceretur. Sed antea captivi, & præda inter milites, pro re benè gestâ distribuebantur. Sic Lutatius Consul anno V.C. 512. victis navali prælio Pœnis, prædam & captivorum corpora, inter suos milites demisit. Augustus, mari Siculo fracto Pompeio, diviso argento & auro signato inter cohortes & phalanges, singulos laureâ coronâ donavit, ipse Imperator triumphali habitu ornatus, armillis sumtis, lauru coronatus, & ramum dextrâ gerens, populum in Campo Martio convocabat: & militibus publicè, quibusdam etiam seorsim laudatis, pecuniam dividebat, & ornamenta, armillas, hastas puras & coronas, expresso in iis nomine & facinore viri,

Primus

Primus omnium Romanorum, præfectus Classis Pompeianæ, bello piratico absoluto, M. Varro, coronâ navali donatus est, post hunc M. Agrippa ab Augusto ob Sextum Pompeium navali prælio victum aureâ navali sive classicâ, & vexillo cæruleo, & triumphalibus ornamentis cùm honorem sibi triumphi & Cæsaribus reservâsset. Nam ultimus terrestris triumphus Consulum fuit, P. Silii de Pannonicis, & L. Asinii de Sauromatis, anno V. C. 738. Ultimus verò navalis, L. Sempronii ex Africâ anno V. C. 732. Ornamenta autem triumphalia erant vexillum cæruleum, corona classica, patera, armillæque aureæ, sella curulis, scipio eburneus, nomina triumphalia, & alia hujusmodi, utpote fasces, trabeæ, annuli, phaleræ, prætexta, toga picta, tunica palmata, coronæ aurea & laurea, sceptrum cum Aquila, & honos statuæ: addit Plinius & mirteam coronam. Tandem pro triumphalibus illis ornamentis Consularia insignia, aut Prætoria, aut Quæstoria victoribus ducibus permissa.

Si veterem memoriam hujus moris

repetas, origo triumphalium ornamentorum est à Scipione, qui Massanissæ auream coronam, sellam Curulem, togam pictam, tunicam palmatam, scipionem eburneum, quia triumphum non poterat, donavit. Porsinæ à Senatu pro triumphalibus ornamentis, arcus in Alpibus extructus est, & corona cum veste triumphali decreta, quam Kalendis Januariis ferret.

Militum decora & munera ob rem benè navatam fuerunt, pecunia, stipendium duplex, vacatio, armillę argenteæ, annuli, enses, balthei, clypei, fibulæ ex argento, tunicę russæ, sagochlamydes, vexilla, cristatæ galeæ, torques, hastæ, laureæ coronæ, vallares, murales & civieæ. Data & hemina, & quartarius farris, bina jugera, aut quantum uno die circumarâssent, vacatio à militiâ & immunitas: pecus, annona duplex, jus civitatis, Senatoriæ dignitatis honor, usus coronæ diebus solennibus, altior dignitas & prærogativa. Deducebantur veterani, & qui vacationem à militiâ meruerant, in Colonias, quæ ob id militares dicebantur, præmium laboris.

Impe-

Imperatore ingredienti urbem, longo ordine montium, fluminum, oppidorum & urbium species, quas bello pervicerat, præcedebant. M. Marcellus in triumphum vexit Syracusas: C. Cæsar Massiliam, Nilum, Rhenum, Rhodanumque ex auro. In triumpho Augusti Actiaco navalis pugnæ simulacrum, inter pompæ triumphalis fercula portatum est. sed omnium oculos in se verterat Agrippa, qui coronâ insignis rostratâ, vexilloque cæruleo à Cæsare donatus, ob navalem victoriam, inter cæteros equo sublimis eminebat. In Mithridatico Pompeii triumpho translata est tabula, inscripta hoc titulo: *Naves rostratæ octingentæ captæ sunt, urbes octo &c.* Piratæ bello victi, sine catenis sequebantur, reliqui hostium Duces, vel pedibus catenas trahebant, vel vinculis onusti plaustris vehebantur. Quandoque etiam armis suis supersedebant. Sequebantur coronæ aureæ & urbium dona: Tum quicquid auri & argenti gazæque bello quæsitum erat. Succedebant tubicines classicum canentes, sacrificii apparatus, Tribuni, Centurio-

turiones equitesque & pedites ob virtutem donati. Senatores in albis prætextis, demum Imperator in curru, qui exacto triumpho lauream in gremio Jovis Capitolini deponebat.

De triumpho Julii Gallico Goltzius: Elephantis quadraginta lychnuchos dextrâ sinistrâque gestantibus, ad lumina sub vesperam Capitolium ascendit, gradibusq; Capitolii genibus ingressus, pro more conscendit, non habitâ ratione currus, qui ipsi ante Jovem erectus fuerat. Quæ omnia si oculis usurpentur saltem picta, inprimis verò arcus illi & columnæ triumphales, ad magnificentiam Sinarum quin proximè accessura sint, nullus dubito. Amphitheatrorum tanta capacitas, tanta subselliorum copia, ut octo milliones hominum spectare possent, inde terna amplissima p latia unius amphitheatri area hodie sustinet.

CAPUT. XX.

ROMA NOSTRI SECVLI.

Veterem vidimus Romam, quam vel Augustinus videre florentem optavit: novam

vam & nostram nil pigeat videre. Sita est Roma loco non admodum fertili, austro objecta, cæli gravioris & intemperantioris: adeò ut cives à medicis suis publico prohiberi dicant, diluculo & in crepusculo, nisi Sole splendente. Scripsit eleganter & doctè de tuendâ Romæ valetudine Alexander Petronius, Romanus Medicus. Ambitus, qui quondam Romæ fuisse scribitur tredecim millium passuum hodiè multò minor esse deprehenditur. Hadrianus I. Pontifex Maximus muros eos, qui nunc extant, centenis aureorum millibus extruxit. Burgum vocant illam Vaticani partem omnem, à ponte Palatium versus, ubi olim silva fuit & locus ante Alexandri II. P. M. tempora, in quo Pyramis erat sepulcralis P. Scipionis Africani, cujus adhuc quædam visuntur in eâ templi areâ, quæ Paradisus dicitur: nux pinea ingens ex ære, æreique pavones inaurati. Turres in murorum ambitu circiter 360. olim 740. unde Roma dici voluit turrita Portæ universim hodie sunt 21. montes plerique ruinis jacent deformes. Palatinus sanè subterraneis meatibus totus ferè pen-

ſilis, hortis eſt occupatus. Regiones, ut olim, ſic hodie, ſed mutatis nominibus, ſunt 14. regio. 1. Montium. 2. Columnæ. 3. Pontis. 4. Harenulæ. 5. Pineæ. 6. Campitelli. 7. Tranſtiberis. 8. Trivii. 9. Campi Martii. 10. Parionis. 11. Euſtachii. 12. S. Angeli. 13. Ripæ. 14. Burgi. Aquæ nunc Urbi Romæ Tiberis & Almo fluvii. Occurrunt etiam variis locis reliquiæ fontium ex veteribus ductibus. Aqua virgo per Campum Martium inſtaurata eſt anno 1554. à Nicolao V. P. M. Alſietena per Vaticanum reſtituta ab Innocentio VIII. Salonia nupera à Pio V. Fontem felicem de ſuo nomine ante Pontificatum Sixtus V. trino gurgite in Urbem induxit. Alii Pontifices aquas alias,ronteſque & aquæductus refecerunt. campos Urbs etiam nunc habet multos, in quîs celeberrimi cenſentur & primi nominis Vaticanus, Figulenſis, Agonius, Judæorum, Floræ. Porticus numerantur præcipuè tres, Benedictionis, in Vaticani palatio triplicis obambulationis, aperta, & verſus hortos Belvedere. Fora item conſpiciuntur varia, quorum Piſcarium & Olitorium iiſdem

ad-

adhuc esse locis volunt, ubi fuerunt antiquitus: Suarium & Boarium, ubi olim Romanum. Pistorum unum prope S. Mariam Rotundam; alterum in Vico Judæorum; tertium haud procul D. Laurentio in Damaso; quartum ad pontem Æliani. Commune omnium mercium & rerum Venalium forum in Campo Agonio.

Templa plura nunc quàm olim, hodie supra trecenta, quorum septem Religionis causâ maximè frequentantur. 1. *S. Petri* in Vaticano, sumtu, marmoribus, magnificentiâ & opere omnia orbis superans templa. Multa ibi singularia: Columnæ aliquot ex templo Salomonis advectæ: duo ærei pavones ex Pyramide P. Cornelii Scipionis Africani, quæ olim in valle vaticanâ fuisse dicitur, translati. Visuntur item hîc sepulcra multorum Pontificum; Ottonis quoque II. Imperatoris marmoreum. Ostenditur ibidem Sudarium Veronicæ, cui Christi facies impressa. Est & judicium Orbis universi, supra in sacello Pontificis: opus Michaëlis Angeli. 2. *S. Pauli* in viâ Ostiensi, amplum & pulcrum, à Constantino Magno ædificatum.

catum. Multæ hîc veterum Romanorum inscriptiones. Imago ibidem Salvatoris, quæ S.Brigidæ locuta fertur. Sepulchra item Benedicti IX. aliorumque. 3. *S. Mariæ Majoris* in viâ Esquilinâ, augustum. Monstratur ibi presepe Domini. Sepulcra ibidem D. Hieronymi, Alberti & Joannis Normanni, Platinæ historiographi, Lucæ Gaurici Mathematici, Francisci Toleti Cardinalis & aliorum. Pro foribus obeliscus, cum notis hieroglyphicis. 4. *S. Sebastiani* extra portam Capenam in viâ Appiâ, oblongum, tecto lapideo, ut plurima Romæ. Reliquiæ hîc multorum Martyrum, sepulcraque Pontificum 46. 5. *S. Joannis Lateranensis* in Cælio monte, Pontificum olim sedes. Reliquiæ hîc ostenduntur multæ: Capita SS. Apostolorum Petri & Pauli: S. Stephani tunica, sanguine tincta, lapidibus perforata, Arca fæderis, Aaronis virga, & alia. Situs ibi Sylvester II. P.M. cum Laurentio Valla, ibidem olim Canonico. Ante fores obeliscus est, notas habens hieroglyphicas. 6. *S. Crucis in Ierusalem*, in eodem monte, mundum & elegans: ab

He-

Helenâ, Constantini Magni Imperatoris matre, ædificatum. Solum ex terrâ sanctâ Hierosolymis advectum fuisse testatur inscriptio. Pars hîc fertur adservari Crucis Dominicæ: item titulus tribus linguis scriptus: denarius unus ex triginta, quibus Judas Christum vendidit: Spina coronæ ejusdem. Tumulus ibi Benedicti VII. P. M. Sunt qui putant, olim Veneri & Cupidini dicatum. 7. *S. Laurentii* extra portam Esquilinam, pulchrum. Reliquias hîc perhibent servari D. Laurentii. Scripserũt de septem Urbis Ecclesiis Onuphrius Panuinius. & M. Attilius Serranus. Reliqua minora sunt templa & ædes potius sacræ, quorum potiora, si vel antiquorum fuerunt Deorum, vel alia habent singularia, ex ordine Alphabetico.

S. Agatha, Gothorum Ecclesia sub Viminali. hîc Dianæ & Pacis imagines ex Cæmento: pro foribus prætextati in subselliis pueri sedent & docentur: tumulus ibidem est Jani Lascaris, additis Epitaphiis Græcis. *S. Alexius* in Aventino: olim Herculis Victoris. *S. Anastasius* ad Palatini radices: olim Neptuni Equestris,

qui & Consus. *S. Angelus* in piscinâ, olim Mercurii. *S. Apollinaris*, olim Apollinis. *SS. Apostolorum 12.* Sepulcra ibi Bessarionis, & Petri Saonensis, Cardinalium: tum Bartholomæi Camerarii, Theologi & Jureconsulti. *S. Augustinus* in Campo Martio: Sepulcra hîc cùm aliorum, tum Constantini Comneni, Macedoniæ principis, & Achaiæ ducis; qui à Turcâ pulsus avitis regnis, Romæ obit anno C.1531. Kalendis Maii. *S. Barbara* in regione Pineæ, olim Veneris theatri Pompejani. *S. Bartholomæus* in insulâ, olim Jovis, vel ut alii volunt, Æsculapii. *S. Catharina* sub monte Tarpeio, olim Carmentæ. *S. Chrysostomus*; situs hîc Hieronymus Aleander, Cardinalis. S. *Constantia* in viâ Nomentanâ, olim, ut quidam censent, Bacchi. *S. Cosmus & Damianus* in viâ sacrâ, olim Romuli & Remi, vel, ut alii, Castoris & Pollucis. S. Cosmatus sub Janiculo, olim Fortis Fortunæ. *S. Elisabetha* in Campo Martio, olim Agrippæ. *S. Eustathius* prope Pantheon, olim Boni Eventus. *S. Hadrianus*, olim Saturni, in Foro Romano. *S. Iohannes Evangelista*, ante portam Latinam,

nam, in Cælio; olim Dianæ. *S. Iohannes Colybita* in insulâ, olim Æsculapii fuisse censetur. *S. Laurentius in Lucinâ*, olim Junonis Lucinæ. *S. Laurentius in Mirandâ* olim Castoris ad Forum Romanum; vel, ut alii, Faustinæ, Antonini Conjugis. *S. Laurentius in Damaso* in regione Pineæ. Epitaphium hîc Hannibalis Cari, Etruscâ linguâ diserti, quia & multa scripsit: & Jacobi Fabii Parmensis, qui de Beneficentiâ quædam in lucem edidit: item Petri Marsi, Julii Sadoleti, Hieronymi Ferrarii Corrigiensis & aliorum. *S. Lucia in Palatio*, olim Apollinis Palatini. *S. Lucia in Apothecis*, olim Herculis, Musarum. *S. Maria Ægyptiaca*, in regione Ripæ: olim Fortunæ Virilis. *S. Maria de Anima*, in regione Parionis, Germanorum & Belgarum templum: in quo conditi Hadrianus VI. P. M. Guilielmus Enkefort Cardinalis, Carolus princeps Cliviæ & alii. *S. Maria in Ara cœli*, in Capitolio; olim Jovis Feretrii. *S. Maria Aventina* in colle Aventino: olim Bonæ Deæ. *S. Maria in Capitolio*, olim Apollinis Capitolini. *S. Maria in Cryptâ Pictâ*, olim Veneris victricis.

ctricis. *S. Maria in Cosmedim* in Velabro: olim Herculis in Arâ Maximâ. *S. Maria in Esquilio*, olim Isidis in Circo Flaminio. *S. Maria de Febribus*, olim Martis in Vaticano. *S. Maria de Gratiâ*, olim Vestæ, inter Capitolium & Palatinum montes. *S. Maria de Inferno*, olim Jovis Statoris, in Foro Romano. *S. Maria Liberatrix*, ad Capitolii radices: olim Veneris Genitricis. *S. Maria supra Minervam*, olim Minervæ. Tumuli hic visuntur Stanislai Hosii Cardinalis Poloni, Thomæ de Vio Cajetani, Guilelmi Durandi Episcopi Mematensis, Petri Bembi Cardinalis, Pauli Manutii, & aliorum. *S. Maria Nova*, in extremo foro Romano: olim Solis & Lunæ: vel, ut alii, Isidis & Serapidis. *S. Maria in Pace*, situs ibi Marcus Musurus Cretensis. *S. Maria in Porticu*, in regione Ripæ: olim Saturni & Opis. *S. Maria de populo* sub colle Hortulorum. Conditi jacent ibi multi Cardinales, & cum iis Hermolaus Barbarus, Patriarcha Aquileiensis. *S. Maria Rotunda*: Pantheon olim, nunc Sanctis omnibus & B. Virgini sacrum. Condidit M. Vipsanius Agrippa

Cos.

Cos.III.uti docet inſcriptio. Templum hoc, ut perfectæ Architecturæ exemplar exhibet, explanatque Ludovicus Demonteſius, architectus inſignis, ſingulari libello, cui titulus Gallus hoſpes ab urbe. Ex ſolido lapide eſt Tiburtino, æquali cùm latitudine, tum altitudine: Tectum plumbeum eſt & circulare, unicum habens foramen, quod lucem præbet. Porticus adſtat ingens: Teſtudo, per quam ad tectum adſcenditur, gradus habet 150. ad foramen tecti rurſus gradus plumbei ſunt 40. Ante templum Vas ingens Numidico è marmore: ſupernè quadratum, infra alvei ſimilitudine ventrem habens. Viſuntur & Leones duo cum notis Ægyptiacis. *S. Maria Tranſpontina* in regione Burgi: olim Hadriani Imperatoris. *S. Marcellus.* Jacet hîc Petrus Gailius, Æliani interpres, & Byzantii deſcriptor. *S. Martina*, juxta forum Romanum: olim Martis ultoris. *S.S. Nereus & Achilleus*, juxta thermas Antonini: olim Iſidis in viâ Appiâ. *S. Nicolaus in Matuza*, olim Junonis Matutæ. *S. Pantaleon* in Suburra: olim Telluris. *SS. Petrus & Marcellinus*: olim Quie-

Quietis. *S.Petrus in carcere*: olim carcer Tullianus. *S.Petrus Montorius* in Janiculo, templum parvum, ſed elegans, rotundum, Doricâ ſtructurâ. Sepulcra ibi Antonii Maſſæ Galeſii J.C. Julii Pogiani Novarienſis, Angeli de pace, Hiſpani, qui omnes ſcriptis clari. Extruxerat ibidem ſepulcrum ſibi Julius III. P.M. vivens, jacet tamen in Vaticano, loco humili. *S.Petrus ad Vincula*: adſervari dicũtur hîc catenæ, quib. Hieroſolymis Apoſtolus adligatus; quoſq; laudat B. Chryſoſtomus. Monſtrãtur & Macchabęorũ corpora, pars crucis S. Andreæ, ſtatua Moſis, Iſraëlitarũ Ducis, & alia. Conditi hîc Nicolaus Cuſanus, Jacobus Sadoletus, & alii. *S. Petronella in Vaticano*, olim Apollinis Vaticani. *S.Praxedis* in Eſquilino, à Paſchali II.P.M. extructum: in quo Columna, ad quam Chriſtus fuit flagellatus. *S. Priſca* in Aventino: olim Herculis. *S. Pudentiana* in Viminali. hîc primum Miſſæ ſacrificium peregiſſe S. Petrum tradunt Romani. *S. Sabina*, olim Dianæ. Pontificum Romanorum prima ſedes. Pro foribus urna eſt lapidea, quâ nulla Romæ major.

Re-

Reliquiæ hîc oſtenduntur Hadriani Pontificis, Eventii & Theoduli martyrum, Sabinæ item & Seraphiæ Virginum. Situs ibidem Eugenius II. P.M. *S. Sabas* in Aventino. hic ingens ſepulcrum, quod Titi Veſpaſiani Imperatoris fertur. *S. Salvator in Maximis*, olim Jovis, Minervæ & Junonis. *S. Salvator in Staterâ*, olim Saturni in Capitolio. *S. Salvator in pietate*, olim Pietatis. *S. Sergius et Bacchus in Capitolio*, olim Concordiæ. *S. Sixtus* ad Infernam piſcinam: olim Honoris & Virtutis. *S. Stephanus rotundus* in Cælio, olim Fauni. *S. Stephanus* in Foro Boario, olim Veſtæ. *S. Suſanna*, olim Quirini. *S. Theodorus* ſub monte Palatino, olim Panos Lycæi; vel, ut alii, Romuli & Remi. *S. Trinitas* in colle Hortulorum. Siti ſunt ibi M. Antonius Muretus, & Franciſcus Franchinus Coſentinus, Maſſæ Populoniæ epiſcopus, ſcriptis clari. *S. Nicolaus in Carcere*, olim carceres plebis erant, ubi & *Pietati* ædem M. Attilius Glabrio, quòd filia ibi parentem lacte aluiſſet, dedicavit, teſte Valer. Maximo.

Tem-

Templis rectè subjiciuntur *Cryptæ subterraneæ*, quæ quondam Imperatoribus in Christianos sævientibus, ipsorum fuerunt latebræ & sepulcra. Loca venerationis plena, visuque stupenda. Monstrantur ad urbem quatuor, apud S. Agnetem, S. Pancratium, S. Sebastianum S. Priscillam; extra portas Viminalem, Aureliam, Capenam, Flaminiam. *Cœmiteria*, quæ partim olim fuerunt, partim nunc sunt, numerantur 28. *Hospitalia*, ut Latinorum vulgus vocat, quorum tanta magnificentia, ut inter recentia Urbis Monimenta nihil prædicetur dignius, multa sunt, publica quidem omnium Nationum & Mortaliũ, S. Spiritus in Vaticano, S. Jacobi de Augustâ in Valle Martiâ & S. Antonii in Esquilino. Propria verò singulorum populorum, S. Mariæ de Animâ, Germanorum & Belgarum: S. Jacobi, Hispanorum; S. Petri, Hungarorum: S. Andreæ propè Argentinam, Flandrorum: S. Ludovici, Gallorum: S. Salvatoris in Cælio: S. Mariæ de Consolatione in Velabro: S. Thomæ, Anglorum: S. Brigidæ Suecorum: S. Joannis Baptistæ, Florentinorum:

norum: S. Joannis Baptistæ properipam Tiberis, Genuensium, abs Mediadusto Cicadâ conditum & dotatum.

Inter recentia etiam nuperaque Urbis opera maximè conspicienda veniunt varia cùm Pontificis, & Cardinalium, tum aliorum Palatia. Pontificis in edito Vaticani loco est, situ longè augustissimum: qui relictâ Lateranâ sede, eò ob amænitatem loci & salubritatem commigrârunt. Inchoatum abs Nicolao III. P. M. auctum post ab aliis, perfectum à Julio II. & Leone X. P. P. M. M. ædificiis tandem illustratum, picturisque à Sixto V. P. M. ut machina cælo adsurgere, pendereque videatur. Adscensus fuit facillimi, & ædibus Palatinis adcommodati ab omni parte, adeò ut etiam equo ad tectum usque eniti liceat. Oppidum potius quis dixerit, adeò est amplum, quàm domum.

Sacellum ibi est Xysti, quod amplissimum æquat templum: eò, vacante sede, conveniunt Cardinales creando Pontifici Maximo, Conclave vulgò dicitur. Hortos ibi videre est, in quîs quæ rariora servantur spectanturq;, ita describunt Anti-

qua-

quarii: Horti hîc ſunt, qui ab amænitate hodie *Belvedere* appellantur. In unius hortuli periſtylio, area media variis exoticis conſita arboribus: ſpectatur hinc Tiberis, Lupæ innitens puerulos Romulum & Remum lactanti: inde Nilus eſt, cui Sphynx ſubjacet, circumquaque ſunt ludentes pueruli ſeptendecim, cubitorum altitudinem, quibus excreſcit fluvius, deſignantes, autore Plinio. In baſi ſculpti Hippopotami, & crocodili, Nilo propriæ animantes. In alio periſtylio larvę marmoreæ, ſingularis artificii tredecim viſuntur. In loculis, ſeu repoſitoriis, quæ Iſchios Itali vocant, à tergo Nili Antinous ſpectatur, ex marmore candidiſſimo, artificio mirabili, qualem Hadrianus Imperator fieri juſſerit: ad dextram illi Armus, fluvii eſt habitu, hominis jacentis, urnamque effundentis; ad Lævam Cleopatra eſt, dexteræ innixa.

In ſecundo loculo Venus Erycina eſt, ex balneo prodiens: tertio loculo eadem ſpectatur cum Cupidine conludens, cui inſcriptum: Veneri felici ſacrum Saluſtia Helpis DD. Juxta eſt Bacchus, mutilus;

&

& Hercules ille, licet truncus, uſque eò tamen à Michaele Angelo prædicatus, ut omnium ſignorum, quæ Romæ ſunt, abſolutiſſimum eſſe dixerit. Artificis Apollonii nomen hîc inſcriptum græcis literis, Apollonius Nectoris Athenienſis fecit. Juxta eſt mulieris truncus & Mercurii. Hîc & arca marmorea, cui inſculpta eſt Meleagri venatio, opere Muſivo. Quarto loculo eſt Commodi Imperatoris ſtatua, Herculis habitu & formâ; brachio puerum tenet, cujus imprudentiâ, dejectis è feneſtrâ pugillaribus, quibus conjuratorum nomina prodebantur, cæſus eſt. Quinto Apollo eſt Pythius, cui ſe implicat ſquamoſus ſerpens; palliolum geſtat brachio, cætera nudus, pharetram habens & arcum. Sexto loculo eſt Laocoon cum duobus filiis, quos gemini dracones flexuoſis gyris implicant, uti à Marone libro 2. Æneidos deſcribitur. Opus eſt omnium, quæ toto orbe ſpectantur, abſolutiſſimum, quodque Michaël Angelus artis miraculum vocare non dubitavit, & ante illum C. Plinius, qui factum eſſe adſerit ab Ageſandro, Polydoro & Athenodoro,

doro, ſculptoribus Rhodiis, ſui ſeculi ce-
leberrimis; ſervatum addens, in Titi Ve-
ſpaſiani palatio.

In proximo cœnaculo Cleopatræ mo-
rientis eſt ſtatua, eâ arte perfecta, ut per
veſtes tenuiſſimas è marmore factas, cor-
poris forma numeris omnibus abſoluta
adpareat. Ibidem labrum eſt marmore-
um, ex variis lapidum pretioſorum gene-
ribus, cujus æſtimari pretium non poteſt,
nihilque par alibi viſum. Effoſſum olim
ex Titi Veſpaſiani thermis. Proximè
ſpectantur Mercurius & Cybele, vertice
turrita, cui adſtat Leo & Atis, adnixus pi-
nui, ex quâ pendet fiſtula & Cymbalum.
Hîc & fons ruſticus, in quo Dii & mon-
ſtra marina expreſſa. Hîc & effigies prin-
cipum variorum: in his Pauli III. P.M. &
Caroli V. Imperatoris Auguſti, Michaë-
lis Angeli manu depictæ. Ad Helvetio-
rum ſtationem marmorea ſtatua, unius è
Curiatiis, opus egregium.

Aliorum palatia commemorare lon-
gum eſſet: Ea tantum & privatorum ædes
ex Cl. V. Franciſci Schotti I. C. indicio, &
aliorum recenſebimus, in quibus antiqui-
tatum

tatum monimenta ſalva: In Cardinalis Dandini palatio, ad D. Catharinæ in Burgo, Caput eſt ex marmore Agrippinæ, Matris Neronis: Hadriani item Imperatoris, & Antinoi, dilecti pueri: M. quoque Aurelii & Sabinæ cujuſdam mulieris; alterum denique Hadriani ſimulacrum, ſed mutilum. Ibidem in Cardinalis Strozzæ, prȩter Bibliothecam, aves paradiſi apodes, aliaque: armamentarium eſt, omni armorum genere inſtructum, cùm hujus ætatis, tum veterum, exterarumque gentium. Palatium Cæſiorum ita variis rebus inſtructum, ut vel ejus ſolius causâ Romam quis antiquitatis amans proficiſci debeat. Area prima ſtatuis gravida eſt & inſcriptionibus. Icones ibi Hippolytæ Amazonis, Apollinis, Sabinæ mulieris. In horti proximi areâ primâ Bacchus, baſi impoſitus viſitur; in alterâ vas aheneum cum Fauno; in tertiâ Neptunus in baſi, in quartâ Apollo, barbyton tenens. Hîc & marmor Agrippinæ, filiæ M. Agrippæ: & Iuliæ, Auguſti Cæſaris filiæ: Pallas item armata, & Hermaphroditus. Ad dextram fons eſt, undique circumſtant 22. Termini marmo-

rei, Faunus, Iupiter Hammon, Pompeius Magnus, Demosthenes, Speusippus philosophus. Portæ objecta est Roma, de Daciâ victâ triumphans, throno insidens, galeata, amicta, lauream manu tenens coronam. Dacia conspicitur mærentis habitu. Trophæa circum, armaque barbarica, & duo victi reges semicolossei ex lapide Numidico : duæ item Parcarum statuæ, totidemque sphynges ex eodem lapide, basibus inlocatæ.

Proximum est ædificium rotundum, quod à re Antiquarium dicitur. In fronte est Jovis vultus porphyreticus, & hinc Ottonis Imper. illius Poppææ conjugis imago: supra statuæ quinque, Palladis, Cereris, Victoriæ, Copiæ & Dianæ. Intus est somnii vel Quietis, seu, ut quibusdam placet, Æsculapii, papaver tenentis, simulacrum: mox Sabinæ mulieris altera imago. In portâ ad sinistram Colossea Jovis est facies; ad dexteram Herculis; in medio Palladis. Sub Hercule est Satyrus; cui adstat Juvenis, fistulam inflans septemplicem. Sub Jove est caput Pyrrhi, Epirotarum regis galeatum, Proxima est

Leda,

Leda, malum tenens, & Cupido. Propè ſunt capita Porciæ, Catonis, Jovis, Ganymedis, Dianæ, Neptuni, & antiquiſſimum ſignum Ægyptium, quod dicitur caput Aſaroth, Matris Oſiridis, vel, ut alii volunt, Opis ſeu Cybeles, matris Deorum.

Ad portam ſtatuæ duæ, quà læva eſt, Arietis Phryxi, ex candidiſſimo marmore: baſi inſcriptum *ſecura ſimplicitas:* quà dextra, Leo, in cujus baſi legitur *Innoxia fortitudo.* Juxta eſt Heliogabalus Imperator, integer, ſtolatus; in baſe ſculpti adfabrè ſacrificantium ritus & habitus. Supra eſt Imperatoris imago triumphalis, curru quadrijugo vecta. Ibidem eſt Simia, ex Æthiopico lapide, qualis ab Ægyptiis adorabatur. In cænaculo Bacchi caput eſt ex rubro lapide, & ſupra Neptunus, quadrigâ vectus. Pomona Dea bis ibi ſpectatur. In Muſæo, cujus pavimentum vermiculatum, ſedes teſſellatæ, capita viſuntur Romanorum illuſtrium, Scipionis Africani, M. Catonis, M. Antonii triumviri, C. Julii Cæſaris, Septimii Severi, L. Sullæ, C. Neronis, Juliæ Mammææ, M. An-

tonii Caracallæ, Hadriani, Macrini, Cleopatræ, Faustinæ & Sabinæ Matronæ. Bibliotheca libris antiquis, recentibusq; referta. In interiori Conclavi gemmæ, lapidesque pretiosi omnis generis. Juxta est Scipio Nasica, M. Brutus, Hadrianus Imperator, Cupido dormiens, Puer anseris guttur geminâ constringens manu, aliaque laudata ab artificibus monimenta.

In palatio Farnesiano, quod à Paulo III. P.M. Farnesio summis impensis excitatum, tot tantaque antiqua visuntur monimenta, ut sola in libri molem excrescere commodè, si pro dignitate commemorentur, possint. In peristylio porticus, inter columnas, duo sunt Hercules, cum Leonis exuviis & clavâ: minoris basi insculptum græcis literis, Glycon Atheniensis fecit. Ad sinistram Jupiter tonans, seu Fulgurator est. Gladiatores ibidem duo Colossei. Gradus ascendenti fluviorum occurrunt státuæ marmoreæ, jacentium habitu, urnasque tenentium, quibus aquam effundunt. Mox duo Numidæ Reges captivi, erecti ad utramque portæ partem. In superiore contignatione

Car-

Cardinalis eſt Bibliotheca, exaratos calamo libros habens plurimos.

Muſæum item eſt Fulvii Urſini Romani, hominis doctiſſimi, qui rara non Urbis modò, ſed & Orbis Cimelia Numiſmatum, gemmarum, librorum, incredibili ſumtu collegit. In alterâ, Tiberim verſus areâ, M. Aurelii Imperatoris ingens ſtatua ſpectatur, chlamydata, baſi impoſita, atque inſcripta. In ædiculâ opus eſt marmoreum Dirces raptæ à Tauro, cujus Plautus, Propertius, Plinius meminerunt. Multa hîc prætereuntur. Apud Cardinalem Sforziam varia ſunt, præter Bibliothecam, libris manuſcriptis plenam. In ædibus Cardinalis Puteì capita viſuntur antiqua, Auguſti, Hadriani, Fauſtinæ Junioris, & alia ignota: inſcriptiones variæ, vaſaque ex Alabaſtro & Simithe lapide pretii infiniti. Palatium Cardinalis S. Floræ admiranda multa continet. Apud Cardinalem Medicinum capita ſunt Jovis, Palladis, Iulii Cæſaris, Auguſti, & aliorum, Tibure advecta. Apud Capoferratum quatuor ſervantur anni tempora, elementa, corporum habitudines graphicè depi-

ctæ: item Dii præsides, Mars, Saturnus & Iupiter. In conclavi furta Iovis duodecim. Sunt & marmoreæ statuæ Jovis, Ganymedis, Bacchi, Veneris cum Cupidine, Floræ, Mercurii: Consules, Imperatores, Matronæ. Est ibidem Actii Navi auguris statua, cotem novaculâ dissecantis, quæ olim in Comitio stetit.

Palatium suum novus Cardinalis Vallensis variis antiquitatibus ornavit. Monstrantur ibi Hortensius, Piso Frugi, Cethegus, inferius inscriptiones multæ, græcæ atque latinæ. In parte superiore Marsyas, columnæ adligatus, opus Zeuxidis absolutissimum, ex templo concordiæ effossum. In primâ corte Satyri duo, gestantes cophinos. in cubiculo Iulius Cæsar, Milo Crotoniata, Geta Imperator, item amplius quadraginta capita, in quîs Herculis, Sileni, Panos. Statuæ hîc lapideæ Palladis, Cybeles, Phaëthontis, Victoriæ, Neptuni, Apollinis, ex lapide Lydio. Herculis Nemæum Leonem suffocantis, Sabinæ uxoris Hadriani, Poppeæ Neronis, Lucillæ Pompejani, duarum Napæarum, unius Najadis, Floræ & Musæ unius, quæ

fistulam

fiſtulam manu tenet. Iovis caput, & quinq; Sabinæ mulieres, Neptunus: tabula Meleagri venatione cõtinẽs, Faunus pelle tect⁹, Mercurius pallio in lævum brachium involuto: raptus Sabinarum in tabulâ. Ad ſiniſtram Minerva eſt togata, Hadrianus Imperator paludatus, Hercules cum Leonis exuviis, Otto Imperator, & Mulier ignota. Reges quatuor captivi, unus marmoreus, reliqui ex porphyro, Hermaphroditus, Jupiter, Bacchus, Hercules, Apollo, Praxitelis opus, Mars, Galba Imper. M. Antonius Pius, Conſtantinus Magnus, & Conſules aliquot. Salluſtii quoque hîc creditur eſſe ſtatua, item Memmii. In ſuperiore parte tabulæ ferè ſexaginta, in quibus M. Aurelii Antonini ſculpti triumphi: in aliis varii ſacrificiorum ritus: item Corybantes cum tympanis, Najadum Chori, Meleagri altera Venatio, tres Coloſleæ ſtatuæ, Sabinæ, Hadriani, Corneliæ Craſſi, & ignotæ fæminæ. In vetere ejuſdem Cardinalis palatio ſunt antiquiſſimæ Bacchi ſtatuæ, Ganymedes cum Aquilâ & fulmine, Apollo, Hercules, Tethys, Venus, Mercurius, Faunus & Gla-

diator. Ad lævam porticus est Orpheus cum barbyto, Bacchus sinu gestans uvas: Atys pastor, sedens & fistulam inflans: Jovis caput & Venus, quam alii volunt esse Tethyn vel Galateam: Lupa ex porphyro, Romulum lactans & Remum. Hinc Scipio Africanus, & Delphinus puerum vehens, Juvenis cælum aspiciens, Antonius Pius, Consulis (fortè Bruti) caput & Faustinæ M. Aurelii conjugis.

In domo, quæ fuit Cardinalis Sarmoneti, Colossea statua visitur, & Hercules cum clavâ atque exuviis leonis, ad cujus pedes jacet Taurus: senex item stolatus & Nympha. In monte Acitorio Ædes sunt Gaddiorum, olim Cardinalis Gaddi. Monstrantur ibi capita, Augustorum, Julii Cæsaris, Octaviani, Septimii Severi, Getæ, Philippi, Claudii, Aureliani, Antonini Caracallæ: Item M. Agrippæ, Pyrrhi Epirotarum regis, Alexandri Mammææ: Statuæ item Antonini Pii, Galeriæ Faustinæ, M. Aurelii, Faustinæ junioris, Trajani, Hadriani, L. Veri. Apollo insuper arcum tenens, Cupido dormiens in clavâ Herculis & Leonis exuviis. Tabula ibidem

dem oſtenditur limbo inaurato cujus pretium ob marmoris excellentiam æſtimari non poteſt.

In Campo Martio palatium eſt Cardinalis Rodolphi Pii Carpenſis: ibi in hortulo Termini quinque, Nilus cum Crocodilo, Nar fluvius, Matrona brachium ſerpente implicatum habens, unde Cleopatram quidam putant. Muſæum illi triplex. hîc ſimulacra Apollinis, Dianæ, Cereris, Atys paſtoris Idæi, & aliorum. Urnæ ex cocto lapide, toto palatio inter ſtatuas adpoſitæ. Libri duobus locis antiquiſſimi, in membranis ſcripti, Græci, Latini, Hebræi, Arabici. Ad dextram, capita Galeriæ Fauſtinæ, Juliæ Cæſaris Auguſti F. Antoniæ, Cupidinis: Inſcriptiones marmoreæ variæ, tabula una ex lapide Biſalte nigro & denſiſſimo, notis Ægyptiis illuſtris. Ad lævam, capita Iuliæ Mammææ, Pueri ridentis, Mulieris calanticâ ornatæ, vel mitrâ Syriâ, Herculis, Fauni: Inſcriptiones rurſũ plurimæ. Alexander Magnus in tabulâ, cum puero alato: Canopi caput ex lapide Ægyptio viridi, & Iovis Hammonis. In ſecundo Muſæo, vaſa omnis

generis: Capita Antonini Caracallæ, Juliæ T. filiæ, Galbæ, Numæ Pompilii, Domitiani, Septimii Severi, Philippi Imperatoris, & aliorum. Libri rursum antiqui, cùm in membranis scripti, tum in papyro Ægyptiâ: Inscriptiones quoque & epitaphia pretiosis in lapidibus. Tabula grandis marmorea, cum Græcâ inscriptione. Puer ibidem sedens, & Alexandri Magni quasi morientis caput, item Bruti. Ad dextram portæ Venus est, Iuvenis etiam magni artificii. In cænaculo colosseum mulieris caput, & L. Veri Iuvenis atq; adulti, Poppeæ Sabinæ, Hadriani, Annij, Veri, & Græci hominis, Termini ex marmore æmathite, Satyri, Cupidinis. Videre ibidem est, præstantissimorum Italiæ pictorum imagines, Raphaëlis Urbinatis, Michaelis Angeli, Bonareti, & aliorum: Marmora quoque variis inscripta Characteribus & linguis. In tertio Musæo Capita sunt illustrium virorum 76. quorum tredecim majora, singularis artis, ex marmore candidissimo, unum Veneris, duo Vetularum, totidem Herculis, unum Palladis &c. Hîc & Satyrus, & puer plorans: Simulacrum quo-

quoque Cybeles ex marmore nigro Ægyptio, Anubis Cynocephali, Herculis, Satyri, cornu inflantis, Fauni, Socratis. In vase æneo sculpti pueri piscantes, Apollo, Gladiator, Aquila, Taurus &c. Armamentarium omni armorum genere instructissimum.

Apud Vallæum Episcopum Horologium conspicitur cum Zodiaci signis duodecim & Imaginibus, quales hodie in vulgaribus Kalendariis: Inscriptiones item, signa, & statuæ. Apud Episcopum Saulũ in fronte statua est muliebris, & intus caput M. Ciceronis, M. Tullii F. In palatio Conservatorum incredibile quantũ sit statuarum, tabularum, Inscriptionum, marmorum. Leo ibi mordicus equum tenens: ad gradus Columna rostrata, cum suâ inscriptione, in honorem C. Duilij posita. Spectatur ibidem tabula triumphantis M. Aurelij quadrigis, de Daciâ victâ. Superius, ad portæ ingressum mensura est Romani Græcique pedis, marmoreæ tabulæ incisa. Propè, C. Marii togata statua. Intus parietes cænaculorum picturis egregiis rerum gestarum Theo-

dosij & Arcadij Imperatorum ornantur, habitu antiquo: hîc & Hercules æneus deauratus, dextrâ clavam, sinistrâ malum tenens Hesperidum. Scriptum in ejus basi Herculi victori, pollenti, potenti, invicto D.D.L.M. Fronto. Ibidem Satyrus marmoreus, caprinis pedibus, adligatus arboris trunco. Mox in columnâ marmoreâ statua est viri inclinati ænea, spinam è pedis plantâ extrahentis: altera item laudatissima ænea Lupæ, Romulum Remumque lactantis, quæ olim in Comitio servabatur, prope Ficum Ruminalem. Ingresso peristylium Fasti illi occurrunt, toto terrarum orbe decantati, magistratuum, ac triumphorum Romanorum Veterum. Nec illud silentio prætereundum, legi ibidem elogium rerum præclarè in Belgio gestarum ab Alexandro Farnesio, Octavii f. duce Parmēsi, cujus & statua ibidē ostenditur. In vasto Cancellariæ palatio, primo ingressu offert se duplex colossea statua, Opis & Cereris putantur. In superiore cænaculo sunt Capita, Antonini Pii, Septimii Severi, Titi, Domitiani, Augusti, Getæ Imperatoris, Sabinæ mulieris,

ſteris, Pyrrhi Epirotarum regis, Cupidinis & Gladiatoris. In conclavi etiam variæ, & hominum ignotorum 50. Imagines.

In palatio S. Marci labrum ingens eſt marmoreum, quod in thermis Agrippæ inventum: ad templi portam Faunæ, vel, ut alii, Bonæ Deæ ſtatua. Palatium aſcendenti multæ ſe offerunt imagines, ſignaq; marmorea, tabulæ item, cum ſacrificantium ritu. In Circo Cleopatra eſt, mulieresque circum plangentes, & alia miranda. In area Xenodochij S. Ioannis arcæ aræque oſtenduntur marmoreæ, labra balneorum & thermarum: Marmoribus inciſæ figuræ, Satyrorum Chori, accubitus jacentium ritu, Amazonum pugnæ, Meleagri venatio, aliaque id genus monimenta. In Sabellorum domo, quæ eſt in theatro Marcelli, ſculptus oſtenditur Leo in tabulâ marmorea, cum tribus ad pugnam armatis: in hortis Pilæ diverſæ, in quibus Herculis labores, Imagines viriles & Mercurii fragmenta. Apud Fabios prope S. Luciam, Atlas cælum ſuſtinet. Oſtenduntur item Æſculapius, Caracalla Impe-

 rator,

rator, Bacchus, ſed fractus. In palatio Maffeiorum videre eſt capita illuſtrium virorum, cum pectoribus, in ſuis baſibus, & alia 55. abſque pectoribus: Urnam marmoream, vaſa, pateras, lucernas, Crateres, aliaque ſpectatu digna: Laocoontis inſuper caput artificioſiſſimum: Tabulam marmoream, in quâ Circus expreſſus cum ſuis metis, obeliſcis, doliolis & aris: alteram iterum diſcumbentium in triclinio cum Syntheſi. In hortulis ſtatuæ ſunt muliebres, Pan in pilâ grandi ſculptus, cum Syringe & Cupidine. Plurima in eodem palatio antiquitatis monimenta, epitaphia, inſcriptiones. In ædibus Maximorum Pyrrhi ſtatua eſt coloſſea, galeata, armata, quam duobus ducatorum millibus redemit olim Angelus de Maximis. Caput ibidem Iulii Cæſaris marmoreum, tabulæ, ſigna, marmora, vaſa, picturæ. In Albertinorum, Inſcriptiones variæ, ſtatuæque Deorum: In Cinciorum, inter alia Vertumnus viſitur cum Ligone & Venabulo: ſtatua item Apollinis Pythij integra: In Norcianorum, Inſcriptiones non paucæ, & Adonidis caput, baculum

tenentis; canis item, qui ſpirare videtur ac vivere: ejus pretium quinque ducatorum millibus æſtimatur. Eſt ibidem Venus magni pretii, Diana venatrix, ſuccincta, pharetrâ, arcu, ſagittis ornata; Oreades etiam duæ, quæ pharetras & arcus geſtant: Boni eventus ſimulacrum, dextrâ ſpeculum, lævâ ſertum ex ſpicis tenens, opus eſt Praxitelis abſolutiſſimum.

In Buffalorum, ſigna ſunt Apollinis, Veneris cum Cupidine, Iovis, Iunonis, aliorumque Deorum: capita Iovis, Palladis, Apollinis, Bacchi, Martis, Herculis, Mercurii & Æſculapii. In hortulo, præter alia ſingularia Coloſſeæ ſunt ſtatuæ, Cerberi tricipitis, & Tigridis. Sunt & imagines Dianæ, Pomonæ, ſacerdotis flaminis, Veneris, Herculis, Sabinæ mulieris, Perſæ ſervi ex lapide pretioſo: in cubiculo, Marii ſepties conſulis, Tiberii, M. Aurelii, Commodi, Maximini, Auguſtorum, Græci alicujus illuſtris, Scipionis Africani, Hadriani Imper. mox Herculis, Veſpaſiani, M. Aurelii, Getæ Imp. Antonini Pii, Lyſiæ Athenienſium Imperatoris, hoc titulo græcè Lyſias. ad horti extremum, tabula

bula

bula marmorea, in quâ tres Charites expressæ. Ad fontem, qui horto additus, tres Musæ sunt, & Caracalla Imperator: in loculis verò repositi Demetrius, Maximinus, Philippus & Claudius. In domo Petri de Radicibus, Bacchus ostenditur, pampinis redimitus, Satyro innixus, dextrâ vasculum tenens: Musæ tres, longis institis amictæ: una librum, altera musicũ instrumentum, tertia larvam gestans: Caroli Magni caput: fragmenta item Cupidinis, Herculis, Floræ. In Nicolai Guisæ, statua nudi hominis, quæ à cultro adjacente vulgò Aguza coltelli nominatur, & putatur Gladiatoris esse dimicantis. In Georgii Serlupi, ad S. Angelum, caput est Vespasiani Imper. colosseum, marmoris candidissimi, operis absoluti. In propinquâ domo Gentilis Delphinii multa illustrium capita, L. Veri, & M. Aurelii juvenis, Bacchique: pueri itẽ suaviter ridentis, aliaq; sex: Urnæ præterea, tabulæq; variæ.

Apud Valerium Crucium, ad Iudæorum vicum, in hortulo visitur Hercules, & Hippolyta Amazonum una, equo insidens: Pan leoninâ indutus, cum fistulâ septem

ptem calamorum: in pilâ Meleagri venatio repræsentata: in deambulacro varia Capita, ut & Apollinis ſtatua, & Herculis, Anteum brachio ſuſtinentis, quæ ſuis pedibus ſtat, ſine baſi, Vacca item ænea, & Tigris marmorea. Apud Onuphrium Crucium Togati ſtatua oſtenditur, cui adſcriptum in tabulâ Valerius publicola. Apud Hieronymum Crucium, in tabulâ ſculpti quinque faſces Conſulares cum ſecuribus, uti appenſus indicat titulus: item Medius Fidius: Honos quoque & Virtus, quos Amor conjungit, In ædibus Cevoli ſtatuæ plurimæ, ſupra in Conclavi: In Bindi Altoniti, concinno ordine videntur Effigies Veſpaſiani, Mucii Scævolæ, Auguſti Cæſaris, Antonini Caracallæ, Julij Cæſaris, Galeriæ Fauſtinæ, Marii ſepties Cos. Satyrorum: Cupido item lupum tenens, & Autumnus, aliaque ſigna marmorea, picturæque recentiores. In Petri Strozzæ, cum aliis, Meleager ingens: & Atalanta, opus ex marmore laudatiſſimum. Pauli Jordanis domus varia oſtendit cum novi, tum antiqui operis monimenta. Ardicii, ſtatuam viri

elegantem pallio ad lævam inflexo. Vincentii Stampæ in campo Flisco, imagines Lucretiæ, Juliæ T.F. Juliæ Mammææ, Ælii Pertinacis, Drusi, Hadriani, M. Aurelii, Elagabali, Neronis, Augusti, Palladis, Apollinis, Philippi, Amyntæ Macedonis filii, Satyrus insuper, Venus, Puer ridens, Faunus, Terminus, tres Charites, & ignotiores supra viginti statuæ.

Apud Franciscum Liscam tres statuæ Virginis Vestalis, stolâ amictæ: Juliæ, Pompeij Magni uxoris, togata: Panis semicapri, ad cujus pedes jacet aries. Sub porticu Pomona, Silvanus nudus, Fama, Bacchus, Arethusa Nympha, Cybele, Faunus, Juno Lucina togata, Hebe Junonis filia, Apollo, Inscriptiones variæ. Apud Jordanem Boccabellum Geta Imperator visitur, cum Dianâ tricipite, Jove, Cybele, Faustinâ, Marciâ Otacillâ, Pane, Hercule, Cupidine, & aliis. Apud Lucam de Massinis capita monstrantur Octaviani Augusti, Tiberii, L. Severi, tria Neronis, Bruti Consulis, Juliæ, Sabinæ, Marij, Asdrubalis, Fauni ridentis, & plusquàm quadraginta ignotorum hominum: Apollo

item

item truncus, & Monstrum marinum. Apud Marium Delphinum, Gentilis F. multa numismata visuntur & Inscriptiones. Habet Julius Cæsarinus Adonidem nudum, mulierem cum vase, quam Cariatidem nominant, Venerem marmoream, muliebres aliquot figuras, Janos bifrontes duos, Item Propertii poëtæ caput, Faustinæ junioris, Augusti juvenis Bacchi cum pellibus, aliaque. Ambrosius Lilius Pompeii caput, & in tabulâ XII. Herculis labores, adfabrè sculptos.

Asianius Celsus, Bacchi caput, cum pelle in humeris vervecinâ: Satyri pueri ridentes imaginem, floribus redimitam: servat apud se Cavallerius Faunum, uvam alterâ manu tenentem, alterâ pellem ferinam, quæ uvis plena & fructibus: Silenum, Naturam Deam, altari impositam, mammis & animalium figuris ornatam: Herculem in tabulâ marmoreâ cum Centauro pugnantem; Victoriam alatam, & alia. Hieronymus Alterius sacerdotem Cybeles stolatum, manu vas tenentem; Herculem spoliis indutum Leonis, trunco innixum: fragmenta item

Anti-

Antiquitatis varia. Petrus Capoferratus ingentem Æſculapium cum puellâ, & alia. In fronte domus Baldi Ferratini Galba Imp. eſt paludatus: duæ ibidem pilæ, & tabula figuris variis inſignis. Apud Johannem Baptiſtam Galletum Statuæ muliebres plurimæ, & in Tabulâ Æſculapius, dextrâ ſerpentem tenens, Fæmina item ſerpentem comprimens, & Pila, diverſis inſculpta figuris, in quîs Herculis, geminos Tauros cornib. adprehendẽtis. Apud Archintum ſtatua viſitur ænea ſervilis: ſupra, Capita ſunt variorum, Jovis Capitolini & aliorum.

In Agone, apud Marium Melinum Pallas armata ſpectatur & galeata, aliæque muliebres ſtatuæ, præterea gladiator nudus, Hercules, Sabinæ mulieris caput, Cupido, Alcibiadis pueri figura, Silvani & Bacchi ſedentes: Capita, Jovis, Druſi, aliorumque decem ignota: Satyrus integer, ſingulari factus artificio. Apud Johannem Baptiſtam Melinum tria capita egregia. Ad S. Alviſii apud Alexandrum Rufinum, Julius Cæſar eſt quaſi Coloſſeus, armatus; Auguſtus quoque Cæſar: caput item

item aliud Julii, & quatuor Virorum Mulierumque. Apud Franciſcum Ragaterium Capita ſunt varia, Bacchi, Alexandri Magni duplex, Iovis, Naturæ, Satyri ſeu Panos; Imperatorum verò Trajani, Hadriani, M. Aurelii pueri, Getæ, hominumque ignotorum 20. & 40. à corporibus avulſa, & Jovis ex Porphyro. In ejuſdem vineâ, ad portam Flaminiam, inſcriptiones variæ, Rex Numida captivus ex Porphyro lapide: thorax æneus alicujus Imperatoris. Apud Alexandrinum Cherubinum Inſcriptiones, & Silvani ridentis caput marmoreum. In domo Metelli Porcarii, ante oſtium ſtatua ſedentis marmorea; & in angulo Terminus ingens, cum hac epigraphe C. Livius C. F. juſtus &c. Viſuntur ibidem & Urſus marmoreus, ovem devorans; ſacrificium marmori inſculptum; Diana ſummo artificio in Tabulâ; Candelabrum antiquum triangulare; Corpora trunca, Herculis, Hermaphroditi, Apollinis, Bacchi, Fauni: in Pilis variis Venatio Meleagri, Cacus caudâ Herculis boves attrahens, Herculis labores. Capita quoque non pauca in Con-

clavi, Illustrium quidem Romuli. M. Bruti, M. Catonis, M. Agrippæ, M. Antonii & Cleopatræ: Imperatorum autem, Augusti, Tiberij, Othonis, Vespasiani, Nervæ, Hadriani, M. Aurelii, Lucillæ item, & Antoniæ Augustarum. Plurima item alia Capita, tabulæque marmoreæ. Apud Iulium Porcarium tabulæ ostenduntur multæ, in quîs etiam Meleagri venatio. In pariete tabulæ quinque, variis ornatæ figuris, ad dextram pugnantium imago, hinc Taurus Europam vehens. In domo Nicolai Stagni Hercules est Leoninâ pelle & capræ indutus, pedibus carens, Statua vel Iovis vel Neptuni, & alia Antiquitatis rudera.

Apud Leonardum Sabinum Hadrianus Imperator & Lucretia: Hercules & nudus & exuviis indutus leonis: Cæsaris & Octavii Caput, Pyrrhique regis galeatum: Faustinæ etiam & Galeriæ Augustarum. Apud Iulium Sabinum Ianus bifrons, Pallas, Livia uxor Augusti, & Iulia filia: nec non Augusti, Galbæ, Septimi Severi, Commodi, Gordiani capita: Faustinæ duæ, Bacchus, Europa. In domo

Pauli

Pauli de Castro Socratis caput visitur, Galeriæ Faustinæ, Veneris, Palladis, Opis, aliorum. Apud Iacomellum, ad S. Magutum. Atis spectatur, pastor Idæus, tibiã inflans. Faunus ore exerto ridens, hydram baculo percutiens, quæ mordicus uvam tenet: Medusa galeata, Faustina senior, Livia Drusilla, Augusti uxor capita item Iani bicipitis Corneliæ uxoris Pompeii, Iuliæ, Iulii Cæsaris F. & uxoris Pompeii: Cæsaris, qui M. Agrippæ & Iuliæ filius fuit. Apud Dominicum de Nigris Copiæcornu statua, Nais Nympha dormiens, sinistrâ in urnam recubans; adjacens illi Nar Fluvius, seminudus, lævâ tenens, cornucopiæ, Bacchus pampinis vinctus, Hercules cum Clavâ, Capita item Neronis, Ottonis, Hadriani.

Apud Augustinum Rhegiensem, & Papyrium Papazuccam Imagines monstrantur Deorum, Imperatorum quoque & illustriũ virorũ capita magno numero. Franciscus de Asprâ statuam, habet copiæ & Pomonæ vestitarum: Bacchi simulacrum, & Aristidæ Atheniensis: Thomas Sculptor, duo capita Faustinę, duo Palla-

dis

dis galeatę & Silvani. Curtius Frangipanus, Mercurium petaſatum, Cupidinem alatum, Arietem phrygium : capita Deorum, Dearumque in quis Jani, Jovis, Bacchi; Illuſtrium quoque Marij Cos. Augusti Cæſaris, Hadriani, Caracallæ, Lucillæ & aliorum. Apud Laurentium Mancitum tabula magni pretii, cui Cupidines inſculpti, Leonis caput Coloſſeum, rictu animal continens. Iuxta macellum di Corvi, ubi olim Corvini domus fuiſſe putatur, domus eſt Marci Macaronei, in cujus portâ caput eſt Alexandri magni; in vaſe ſculptus Hercules, virtutis ingreſſus viam. In horto equus benè ornatus; Laocoontis ſimulacrum ſemiruptum : Item Apollinis, Dianæ, Sphyngis, aliorumque capita marmorea, Romuli, Herſiliæ ejus conjugis, Alexandri Magni, Iulii & Octaviani Cæſarum, Marcelli ejus nepotis, Trajani, Hadriani, Antonini, Zoroaſtris Aſtrologiæ inventoris, Antonini Caracallæ. Apud Aſcanium Magarozzam capita ſunt marmorea Sabinæ mulieris, Alexandri Mammææ filii, Hadriani, L. Veri, Claudii Impp. Bacchi ex rubro marmo-

re,

re, & alterius pampinis revincti; pueri, humeris unam ſuſtinentis : in Tabulis Vir taurum conficiens, Silenus ebrius, Hercules rogo impoſitus. Viſuntur ibidem & Termini duo, Marcia Otacilla, in ſolio ſedens; ſedens & Iulia Mammæa veſtita ; Capita Æſculapii & Coloſſi, aliaque in Cælio monte effoſſa.

Apud Euryalum Sylveſtrum Bacchus eſt, hederâ coronatus; Sabinæ aliquot mulieres; Capita Iovis, Auguſti & Hadriani : Hercules, Diana cum Lunæ cornib.; Bacchus alius, pampinis redimitus, ſcyphum manu geſtans : Endymion, Antoninus Pius, Hadriani & Antinoi capita, Palladis quoque & *A*uguſti Cæſaris; Diana ſuccincta cum pharetrâ ex humeris; Pan ſaliens, M. Antonii III. viri caput; Cupidinis pueri, ſuaviter ridentis; Iovis, Neptuni, Ledæ cum Cygno ludentis, Herculis, Lucretiæ, Gladiatoris cum machærâ. In ædibus Pauli Ponti, viâ Flaminiâ, aper oſtenditur. Calydonius, à Meleagro cæſus : ſunt ibidem Hercules cum ſpolio Leonis, Apollo, Pomona, Cupido, Silvanus, Diana pharetrata, Meleager alter mutilus, Pallas,

Hermaphroditus, Adonis, Nox ſeminuda, ſtellis coronata, Atalanta cum aprino capite, Silenus barbatus, hederâque redimitus; Capita hîc Poppææ uxoris Neronis, Druſi fratris Tiberii, Iovis pueri ridentis, & alterius galeati, duarum mulierum incognitarum. Iani bifrontis, Item Tigres ænei duo.

Apud Franciſcum Aragonium varia ſunt monimenta marmorea: in quis tueri, Najadis Nympha, urnam tenentis, Potamonæ. Apud Ambroſium Lilium tabula ſpectatur pulcra Regis judicantis, in Tribunali; Herculis quoque juvenis, jubis tenens caput equinum. Apud Antoninum Paloſum ſtatua eſt Equi impingentis. Sunt & Capita Druſi, Iuliæ Auguſti F. Galeriæ, Fauſtinæ junioris, Bruti Priſci, Domitiani, Galbæ & Sabinæ Hadriani; Herculis quoque, Bacchi, Silvani & Mercurii; & in marmoreâ Tabulâ Triumphus Tiberii Imperatoris expreſſus. Ad Iacobum Iacobatiū Mulieris ignotæ ſtatua; capita Hadriani, Nervæ, M. Aurelii, Antōini Pii, Scipionis Africani, & Gladiatoris: Deorum quoque Iovis, Panos, Veneris mar-

marmoreum, aliaque viſu digna. Apud Marcum Caſalem, ſtatua muliebris coloſſea, & Viri altera: Bacchum eſſe putant quidam, alii Apollinem, qui ibidem & integer eſt, & haretratus: Mulier Copiæ cornu tenens; elaboratiſſimum Iulii Cæſaris caput. In domo Iacobi Colotii ſtatuæ ſunt & Inſcriptiones variæ. Pompilius Narus ſtatuas habet Herculis & Veneris.

Apud Deſiderium Urſacium Dianæ ſtatua, vel Oreadis Nymphæ, capreoli pellem tenens, & Orpheus mutilus, aliaque viſuntur. Apud Antonium Gabrielem, capita ſunt Tiberii, Germanici, Trajani, Commodi, Pythagoræ antiquiſſimum, Catonis, Lucillæ, Otacillæ, M. Agrippæ, M. Tullii Ciceronis, Bacchi, Cupidinis, Eratûs Muſæ, Cæſoniæ, Fauſtinæ, Termini, Satyri & aliorum. Sunt item Hermaphroditus & Druſus, quem alii Romulum faciunt. Apud Dominicum Capotium varia ſunt ſimulacra, in quîs Palladis veſtitæ & Dianæ. Capita Iunii Bruti, Octaviani, Auguſti, Macrini, Hadriani, Antinoi, Septimii Severi, Iuliæ Mammæ, Alex-

andri Severi, Cleopatræ Veneris, Herculis, Apollinis, Silvani, pueri plorantis, Iani Bifrontis, Parthorum regis captivi, & Bacchi insidentis vasi. Apud Franciscum Aragonium in hortulo ad fontem Nilus est, sinistrâ innixus crocodilo: utrũque duæ statuæ Togatæ; hinc capita plurima, rursum capita 24. in alio hortulo. Apud Hieronymum Frangipanum Cupido alatus, statuæ 4. & Hercules. In Pilâ sive arcâ sculptum est judicium Paridis, Mulier item larvam tenens & alia. Apud Hieronymum denique Celotium Nympha est, dorso monstri marini insidens Doridem alii, alii Galateam faciunt; tabula marmorea cum Tauris duobus, quos viri duobus cornibus retinent: altera in quâ Iupiter cum Apro, quem canis tenet: Victoriæ quoque Deæ signum; inscriptiones item, variaque marmora. Cæterorum civium ædes satis sunt bellę, hortis, Fontibus, Nymphæis exornatæ.

Arx Pontificis, quam molem Hadriani, seu castellum S. Angeli appellant, triplici ratione munita, omnique instructa adparatu bellico. In eâ tres dies festi

quot-

quotannis magnâ celebritate peraguntur, funalibus passim accensis, jaciendis ignibus arte factis & emittendis bellicis tormentis. Unus est S.S. Petri & Pauli: reliqui duo, quibus illius temporis Pontifex suffragiis declaratus, & coronâ postea est ornatus. de quâ porrò electione & declaratione. Super Circo Templum integrum & quadratum apparet, cum columnis & anteriore porticu. Id olim DEO RIDICULO consecratum putant, quòd Hannibal à Carmensi strage, quâ civium Romanorum quadraginta millia ad internecionem cęsa sunt, copiis victricibus urbem occupare conatus, castra ibi locâsset: editoque ingenti usu ac cachinno, prodigii loco fugisset solvissetq; occupationem, & in Campaniam cum exercitu divertisset, ubi enervatus miles delitiis elanguit. Quare *Deo Ridiculo* fanum, Romani, metu liberati condiderunt.

Caput XXI.

Roma triumphans, seu de electione novi Pontificis.

Postquam supremo Numini bellorum

flammis, quibus satis Italia Barbarinorum motibus quassata fuit, finem imponere placuit, ut jam firmatâ pace omnia tuta tranquillaque essent: Urbanus ejus nominis VIII. Papa, tumultibus illis jam satis enervatus, & annorũ numero gravis, tandẽ morbo correptus, paucis mensib. lecto detentus, 29. Iulii s.n. horâ undecimâ, anno 1644. humana vestigia secutus, supremum diem clausit, cùm Romanæ Ecclesiæ annis 20. mensibus II. diebus 23. præfuisset. Quo extincto Cardinales in S. Petri Basilicâ, Monachorum verò Ordines cum Episcopis Canonicis, aliisque per totam urbem, in omnibus templis & monasteriis, quasi uno ore, quotidie missas pro animâ defuncti Papę celebrârunt. Corpus verò ejus per quatriduum in Basilicâ Apostolorum exponebatur; quo temporis intervallo unicuique illud invisere, & pedes expositi cadaveris, tanquam sanctissimo ritu deosculari concessum erat.

Interea omnia, quæ Pompæ funebri, quæ securitati Urbis, quæ commodo Ecclesiæ, quæ extruendo Conclavi inservirent, summâ curâ & diligentiâ præparaban-

bantur, ne tempore illo periculoso, quo res Romanæ dubiæ, & variis fluctibus expositæ erant, aliquid deesse videretur: Finitis igitur decem diebus, qui ritui exequiali dicati erant, corpus ejus in Basilicâ Vaticanâ, summâ solennitate, è regione sepulcri Pauli III. Farnesii P.M. depositum & sepultum erat. Quo peracto D. Lantius Cardinalis senior, & Collegii Apostolici Decanus Missam SSi. ut vocant in choro Canonicorum S. Petri, suo modo, religiosè satis celebravit; cui cùm finem imposuisset, in medio Patriarcharum, Archiepiscoporum &c. & in omnium Cardinalium præsentiâ surrexit Jacobus Accarisius Bononiensis, Romanæ Inquisitionis Theologus qualificatus, ac designatus Episcopus Vestanus è memoriæ penu peroravit; aggredi eos opus omnium gravissimum, nonnullas eligendi Pontificis conditiones attendendas, ut in eligendo spectentur Providentia, Charitas, Authoritas: propter bella & hæreses orbis Christiani: propter reconciliationes principũ: propter officium. tandem Ecclesiam facit illorum fidem implorare. Oratione hâc

finitâ Bellius, Ceremoniarum magister, sumtâ cruce Papali, præcedentibus papæ Musicis ordinariis, qui tristi, sed suavissimâ voce canebant, Veni sancte Spiritus, Cento gradu ad conclave jam extructum se contulit, quem ordine secuti Cardinales 54. aberant nonnulli, qui postmodum subiêre; & non nemo per valetudinem elatus in sua.

Die igitur nonâ Augusti, cùm parati jam essent Cardinales, structum conclave pro novo Pontifice eligendo intrare, omnes primò junctim in sacello Sixti IV. P. M convenerant: cùmque quilibet suum occupâsset locum, Cardinalis Lantius Decanus dixit, Cardinalium esse, viduæ Ecclesiæ reddere sponsum præstantem, omnes esse præstantes, concordes forent, ut Ecclesia barbaros vincere & convertere possit. Huic orationi ad finem perductæ, preces quædam sacræ mentales erant additæ, imò perplurimæ etiam aliæ ex Breviario Romano, reliquis Cardinalibus ab eodem Cardinale Decano, junctis diversis ceremoniis, ut tantum negotium à pietate quoque auspicium habere videretur,

præ-

prælectæ, & summâ gravitate recitatæ erant. Quibus omnibus finitis unusquisque sedem sibi debitam occupat, Musicis, aliisque, qui simul cum prædictis Cardinalibus sacellum illud intrârunt à Ceremoniarum magistris injunctum, ut recederent, quorum monitis haud difficulter parebant.

Tum demum omnes portæ clausæ, remanentibus intra conclave & in Sixti IV. dicto sacello, junctim cum Cardinalibus, Josepho Phrenphanello, collegii Apostolici secretario, & quinque Ceremoniarum magistris, ex ordine ejusdem sacri Collegii. Omnibus ad silentium compositis, idem secretarius, cum Dominico Bello, & Francisco Maria Phebeo, Clericis Cameræ Apostolicæ, quædam diplomata, electionem novi Pontificis, & Conclave, cui includebantur, ut & alia quædam negotia secreta, altâ & clarâ voce recitare incipit, cum summâ attentione auditur, & ad cellulam suam quisque, propter instantem Cænam discedit.

Finitâ Cænâ omnes ad campanæ pulsum in idem sacellum conveniunt, & sin-

guli coram Collegii Apostolici Decano, principe Savello, Mareschallo Ecclesiæ perpetuo, & portæ conclavis custode, Bonvisio clerico Cameræ, & gubernatore suburbii S. Angeli seu Burgi, juramento & fide firmant, se omnia, quæ in præscriptis literis & diplomatibus continerentur, publicè prælecta, exactissimè & sanctissimè servaturos, digitis ad sacra Evangelia positis. Ita discessum, ut & regum & principum legatis & Commissariis locus esset ea proponendi, quæ in mandatis haberent. Ad tertiam tamen noctis horam auditam, unus Ceremoniarum magister, campanulâ dat signum, tempus adesse, ut Legati sese in urbem reciperent, ne diutius Cardinalibus molesti essent, aut suâ præsentiâ profundas deliberationes interturbarent. Illis discedentibus cæmentarii suo officio probè functi, omnia cæmento lapidibusque, etiam minimas rimas obstruunt: opus Lantius Decanus, & Cameræ Apostolicæ præfectus visitant, ne forinsecus suggeratur, quod partes faciat, & electionem retardet.

Quilibet igitur Cardinalis ad campanæ pul-

pulſum ſe ad ſuam ſibi deſtinatam Celluſam confert, quæ eſt ſolitaria camera clauſa, cum famulis & conclaviſtis. Cuilibet enim Cardinali conclaviſtæ duo, ætate verò provectioribus & infirmis ex gratiâ & votis ſecretis Collegii Apoſtolici, tres conceduntur: qui hîc ultra 140. numerati. Præter iſtos ſunt, Sacrarii pontificii ſeu Apoſtolici Sacriſta unus cum Adjutore; Ceremoniarum magiſtri quinque cum ſuis famulis; Dominicus Bellus ſecretarius cum famulo; Valentinus Mangionius Jeſuita confeſſarius; chirurgus unus, phermacopæus unus, tonſores duo cum duobus famulis; cæmentarius unus; faber lignarius unus; palangarii, ſeu famuli, qui conclave ab immunditie quotidie purgant, ſedecim: omnes votis ſecretis à Confeſſario, in ſacrario Apoſtolico, eo mane ante Cardinalium in Conclave introitum, per dictam miſſam Requiem, eliguntur: quo tempore etiam multa alia pro felici & tranquillo urbis totiuſque ſtatus Eccleſiaſtici regimine, in collegio Apoſtolico aguntur. Sede ita vacante, & ingreſſis Conclave Cardinalibus, omnia tu-

multibus, clandestinis factionibus, conspirationibus, seditionibus, scelere, impietate & quovis flagitiorum genere plena. Trucidabantur per plateas, aquis suffocabantur, manibus, auribus, naribus passim truncabantur homines: furta, raptus, stupra, spolia, & alia primis diebus grassabantur, ut nec in domo, nec in foro tutus esses. Hinc audita incendia, illinc homicidia, rapinæ & vis publica: ita ut occluderentur domus, Cardinalium palatia ferreis munirentur catenis, quo sceleratorum invasiones, & incendiariorum nefarii ausus prohiberentur. Jussæ horis nocturnis faces, candelæ, lucernæ omnes plateas, vicos, fenestras, portas maximè palatiorum illustrare. Post paucos dies, cùm scelera magis magisque accrescerent, tot diplomata & edicta modò ab Urbis Conservatoribus, modò à sedis, Apostolicæ Mareschallo publicarentur; nullus tamen eis locus apud perditissimos.

Itum ad sacram anchoram, *processiones* sacras, easque quotidianas, ab omnium ordinum Monachis & Religiosis, ut verecundiâ religionis, sanctitatis & pietatis

ma-

malignitas hominum refrænaretur, & vitia nuper nata delerentur. Eas auſpicabantur Benedictini, & qui ſub regulâ D. Benedicti vivunt, Cluniacenſes, Vallis Umbroſæ, Ciſtercienſes, Camalducenſes, Humiliati, Cæleſtini: hos ſequebatur Ordo S. Trinitatis, Inde Bernhardini, Dominicani, Auguſtiniani, & eorundem regulæ ſocii, ſcilicet cruciferi, Præmonſtratenſes & Grandimontenſes. Deinde Monachi Mendicantes ex ordine Prædicatorum, Minorum, Carmelitarum & Eremitarum S. Auguſtini. Nec officio deerant Lojolitæ, cum omnium Eccleſiarum prælatis & Canonicis, à primâ diei luce uſque ad ipſam fermè noctem. Addebantur binæ proceſſiones quotidianæ Confraternitatum; viſebantur per plateas variæ etiam cruces, cum omnis generis reliquiis Sanctorum: ad exemplum procul dubio Gregorii IX. P.M. qui cùm populum Romanum inclinare in partes Friderici II. cerneret, Apoſtolorum Petri & Pauli capita manibus ſuis deportans, & lacrymabili voce ſanctorum reliquias populo commendans, ita derepente omnium animos im-

mutavit, ut q antea rebelli in Pontificē animo sævierāt, contra Fridericū arma ultrò caperent apud Fulgosū. q tamē omnia aut parū, aut nihil sceleratorū mētes movêre.

Accessit principis Savelli, Sedis Apostolicæ Mareschalli perpetui, summa industria, qui militem per quatuordecim Urbis partes, maximâ diligentiâ, ad majorem Urbis, Conclavis & Palatiorum Cardinalium securitatem disposuit, ut scelerati comprehenderentur, & coercerentur: sic quatuor cohortes prætoriæ in areâ ante Basilicam Apostolorum, seu templum Vaticanum excubabant: subscalâ Palatii Apostolici, è regione Obelisci Vaticani duæ Helvetiorum, duæ aliæ ad scalas ipsius Basilicæ. Tum patibula per urbem, expiatis sceleribus, fertilia: etiam insignis moneta, tam aurea, quàm argentea cusa, in stipendium, à cujus alterâ facie effigies B. Mariæ cum suo filio & hâc epigraphe Tu nos protege: ab alterâ facie demortui Urbani VIII. insignia obvelata tamen, hisce verbis, sede vacante.

Sed penè gravius tumultuatum, cùm electio protraheretur, adeò ut Cardina-

ele-

lium palatia viderentur diripienda, solo æquanda, idque propter onera, angarias, census & exactiones sævissimas: mos enim invaluit, ut populus Romanus expensas, quæ sedis vacantis tempore fiunt, solvat; patrimonio Petri intacto, unde scutati argentei exiguntur pro exequiis pontificis defuncti 4525. pro Regalibus 18164. pro variis variorum in ipsâ Curiâ laboribus 475. ꝑ Cameræ Apostolicæ præfecti victu. 900. ꝑ annulo piscatorio 115. ꝑ Cõclavi 5539. pro stipẽdio mẽstruo 8625. pro Cameræ Apostolicæ præfecto 16768. ꝑ variis urbis officialib. 5025. ꝑ recognitione 20585. pro milite ad Vaticanũ 80901. pro variis officiis 13550. ita ut sũma unius mẽsis faciat 175172. scutatos argẽteos: (Alexãdri VII. P. M. ultra octuagesimũ diẽ extracta, fuerit 408734. scutatorum argenteorũ) Unde nil mirum, si egestas rabiẽ excitavit, & Conclave istiusmodi minis perursit.

Illud lateribus & gypso clausum vix muscam admittebat: quibusdam tamen fenestella, subtilissimâ telâ obducta, concessâ. Ab unâ atque alterâ parte Conclavis voluebantur septem rotæ, ad simili-

litu-

litudinem Carthuſianorum & Monialium, ut vitæ ſuſtentacula impoſita per revolutionem rotæ Conclave acciperet. Tempus & cænæ & prandii parva Campana indicat: adeſt maximus numerus nobilium, prælatorum & famulorum, qui in parte felicitatis ponunt, id temporis Cardinalibus inſervire, honorem eum aliquando ab Officialibus redimentes. Ad nomen Cardinalis cujuſcunque accedunt præſtolatores, ſecundum ordinem, quo in Conclave introiêre. Præeunt duo Celeres duas Cetras ligneas puniçei coloris, quæ inſignia Cardinalis oſtentant: ſequitur Atrienſis, ſceptrum argenteum ferens, cum quibuſdam nobilibus: inde Dapifer cum mappâ, ſex famulis ſtipatus, qui crateres argenteos deauratos, ſcyphos, cyathos, calicesque; alii qui omnis generis dapes & vina apportarent, omnes punicei. His adjuncti Prælati quidam à Mareſchallo Savellio, ut diligentiſſimè inquirerent, quid per unamquãq; rotã immitteretur, ne fortè ſimulcum cibo literæ ſecretiores per rotæ revolutionem in manus alicujus Cardinalis pervenirent. Finito epulo
adeſt

adeſt Cameræ Apoſtolicæ Curſor cum ſceptro argenteo; cui ſtrenuè mandatum, ut rotas claudat, quas & prælatus viſitat, imò foramen exterius obſignat: eadem cura Ceremoniarum magiſtris intus.

Quamvis olim Cardinales in Pontifice eligendo modis tribus uterentur, per Compromiſſum, Adorationem & Scrutinium, in deſuetudinem abiêre duo priores, ex quo Alexander III. in Concilio Lateranenſi anno C.1269. præſentibus 280. Epiſcopis ſanciret, ut qui tertiâ præſentium Cardinalium parte electus eſſet, pro legitimo Pontifice haberetur. Ipſa verò electio antea in Camerâ Apoſtolicâ ordinariè fiebat, ita ut poſt vota data unicuiq; Cardinali ad ſuum palatium redire integrum eſſet: cùm verò & inde multa orirentur incommoda, Gregorius X. in Cõcilio Lugdunenſi primus Conclave inſtituit, decrevitque ut qui votis prævaleret, non habito reſpectu vel ad tertiam, vel dimidiam Cardinalium præſentium partem, Pontifex audiret maximus.

Secundo igitur Conclavis die, Eccleſiæ Apoſtolicæ Decanus, ſummo manè

missam

missam de Spiritu sancto celebrat, preces quasdam & orationes sacras pro novo Pontifice eligendo, omnibus reliquis Cardinalibus in facello Sixti IV. congregatis prælegit, imò & flexis genubus Deum, S. Mariam, omnesque Sanctos, votis supplicibus sollicitat, ut negotium illud omninò sanctum promovere dignentur: quod exemplum & reliqui Cardinales pio ritu imitantur. Tum ad Cellulas singuli discedunt. Verum enim verò hunc Galli, illum Hispani; alium Germani, alium Itali optabant: modò Sacchettus, modò Crescentius, modò Capponus; illi tria, huic quatuor, ipsi plura, isti pauciora obtingebant vota, idque ad quartum decimum diem, multâ mentium vicissitudine Bontivolii Ferrariensis fama præcellebat, tametsi partibus Hispaniæ plus justo favere crederetur. sic vita & mores multorum in scenam producti: visus tandem Sacchettus, ob vitæ sinceritatem Justus dictus, prævalere: unde diverticula ferè conficta, quòd faveret Portugalliæ rebus, & Massarino Barbarinisque esset conjunctissimus, in detrimentum Imperii & Hi-

ſpaniæ. Ferebant Matthæum Romanum 6000. aureorum accepiſſe, ut Mediceum & Rappacciolum à Sacchetorevocaret, Theſeum, Albernozum, Montaltum, Facchinettum, antea amiciſſimos, perverteret.

Poſt quatriduum Decanus ſedis Apoſtolicæ cum ſecretario denuò inſtituit Scrutinium, & ſuffragia collegit, quibus habitis, ſatis clarè nova conſilii mutatio innotuit. Bentivolius vix erat nominatus, Sacchetto ſuffragia adeò diminuta cernebantur, ut Maculanus & Polus ipſi æquarentur. Decanus turbatur, quid in tantâ conſiliorum varietate faceret dubius. Interim poſt varias cum Cameræ Apoſtolicæ ſecretario habitas deliberationes, tandem coram toto Collegio Apoſtolico proponit, ut unum ex tribus, vel Sacchettum, vel Maculanum vel Polum eligerent. Sed hinc majus quaſi dubium exortum, cuinam illorum dignitas offerretur? Hinc novæ lites & diſcordiæ inter Cardinales, libri famoſi ubique ſparſi. Interea Cardinales Hiſpani Albernotius, Bran-

cac-

caccius, Filomarinus, Lugus & Costagutius id summâ curâ agunt, ut Sacchetti nulla prorsus mentio fieret. Hinc Maculanus, inde Polus vicissim votis superat; sed cùm penè iterum æquarentur suffragia, neuter apicem tulit.

Vigesimus quartus jam agebatur dies, postquam Cardinales Conclave intrâssent, nec quicquam certi adhuc toto illo temporis cursu, vel factum vel conclusum esset, Bentivolius ægrotans Conclavi exit, & postero die in palatio Vaticano moritur. Matthæus & Gabriellus Romani propter adversam valetudinem etiam in sua revertuntur palatia. Illuxit tandem populo Romano optata dies Jovis, 15. sept. quæ finem tumultibus, variisque oneribus imposuit, postquam sedes Mense uno, & diebus 17. vacâsset, ipsique Cardinales diebus 38. Conclavi, suisque Cellulis inclusi degerent. Decanus, post preces Deo oblatas, missâ solenni summo manè habitâ auspicatus est, ut suo exemplo etiam reliquos Cardinales ad pietatem invitaret, quò feliciori successu futurum negotium ornaretur. Nec reliqui Cardina-

les

les in Missæ celebratione suis deerant partibus; certabant fermè, quis illorum primò suam diceret. Inter reliquos etiam Johannes Baptista Pamphilius Romanus ad Cardinalitiam dignitatem, anno 1627. 30. Aug. evectus, & titulo S. Eusebii 19. Nov. 1629. donatus, missam in sacello Paulino Basilicæ S. Petri, in multorum Cardinalium præsentiâ celebravit, quamvis & in eodem sacello quovis manè omnibus reliquis diebus præstitisset.

Cùm Missæ finis esset impositus, omnes Cardinales junctim, sacellum Sixti V. intrant, post mutuas v. salutationes quilibet locum sibi debitum occupant, deinde nova missa, solenni ritu, pro electione Romani Pontificis dicitur, cui Cardinalis Lantius Orationculam hanc subjungit: Tandem perpendite, Eminentissimi viri fratres, quibus vicib. Ecclesia, resque publica quotidiè exponantur, pericula undique, tanquam altissimi fluctus sese efferunt, quæ fidei Catholicæ & publicæ tranquillitati ruinam certissimã minantur. Cavete, ne culpa nostra sit, qui consiliorum diversitate perditum tempus diutius alimus,

mus, ut, quod horâ fieret, mensibus non exequamur. Per Deum igitur vivum, penes quem est corda flectere, perque omnes sanctos vos obtestor, ut animos mentesque operi propius admoveatis & rem seriò sine morâ agatis, ut feliciter cæpta, felicissimo populi Romani, totiusque Orbis applausu finem sortiatur.

Quæ, cùm finita essent quidam Ceremoniarum magister, nomine Decani, totum Collegium monebat, ut quilibet deliberationibus privatis locum daret, & diligentissimè meditaretur, quisnam inter purpuratos Patres ad thronum Petri esset evehendus. Post habitas deliberationes nova vota à Ceremoniarum magistro collecta & Decano, cum assistente Collegii Apostolici secretario offeruntur: apertis schedulis nihil certi adhuc inde colligi potuit, alius enim 6. alius 8. alius 12. aufert suffragia: omnes tamen superat Pamphilius, cujus partibus 15. favebant. Cùm verò negotium æquè dubium maneret, omnes prædictos Cardinales, in eodem sacello, contra suam voluntatem detinet, nec ulli licuit pedem inde movere.

Post

Post sex horarum decursum Decanus cum reliquis Deputatis nova vota denuò extorquet : illis collectis idem Pamphilius alia nova 18. nactus est, ut tandem 33. suffragiis gauderet. Cùm ambo Decani, Secretarius & Ceremoniarum magistri hoc vidissent, schedulis igni commendatis & traditis dictum sacellum intrat. Cardinalis autem Lantius Decanus, primum sequentia hæcce in medio reliquorum Cardinalium profert: Hic est dies, quem fecit Dominus; gaudeamus & exultemus in eo: hic est dies, qui populo solus facta est. hic est Dies, quo Deus Israel, fortis, clemens & misericors, filiæ suæ ploratum audivit. Misertus est justissimus pater gregis sui: vox plorantis Ecclesiæ in altis audita est, respexit Deus filios suos, & clamorem eorum audivit, & propterea omnis gens nomen ejus laudabit. Tibi ergò Triune Deus, gratias ex toto pectore supplices agimus & offerimus, quòd potenti & forti tuo brachio, paternâque clementiâ, nobis toto hoc tempore, in difficillimo illo negotio benignè adesse voluisti, qui nostras mentes, cogi-

gitationes, actiones, deliberationes ita clementer direxisti, ut tandem unanimi & concordi votorum concursu, filii tui Unigeniti Vicarium in terris verumque Apostolorum principis successorem, divini tui spiritus aurâ, illuminati & moti, invenerimus. Tibi igitur æterne pater, cum tuo Filio & S. sancto sit honor & gloria in secula seculorum.

Deinde nomine totius Collegii Apostolici, Cardinalem Johannem Baptistam Pamphilium, summâ reverentiâ & animi demissione sollicitat, ut Pontificis officio præesse, & sedem S. Petri hactenus desolatam occupare vellet, cùm ipse unanimi consensu, & sufficientibus suffragiis, non sine singulari Dei providentiâ & directione sit electus, & confirmatus. Pamphilius, quamvis decrepitus, & annum 71. ætatis excedens, honores oblatos vix respuit, sed gaudio exultans annuit, & ad thronum pontificium se evehi, lubenti animo patitur, sibique more hactenus usitato & inveterato, novum nomen eligit, in posterum dicendus Innocentius Decimus.

Quo

Quo facto, in medio duorum Cardinalium Diaconorum, Barbarini & Ginetti, post altare dicti sacelli Sixti IV. ducunt: ubi ope magistrorũ Ceremoniarũ, vestitu Cardinalitio spoliatur, papali induitur habitu, & omnia illa indumenta, quæ in Pellea, c. Constantinus. dist. 96. descripta legas, adferuntur, cum aliis postea additis. Ita vestitum ante altare in thronum Apostolicum seu pontificiam sedem deductum collocant. Quo sedente primò surgit Cardinalius Lantius Decanus, exemplum reliquis, flexis genibus, multisque ritibus & ceremoniis præmissis, ipsum singulari cultu adorat, pedes dextramque osculatur: & mox jussus surgere orat, & vicissim bis osculo pacis salutatur. Idem iisdem ritibus & ceremoniis, debito ordine, ab omnibus reliquis Cardinalibus præstatur officium. Cantatur tandem summâ vocum dulcedine Ecce sacerdos magnus.

Interea Barbarinus Cardinalis, cum quodam Ceremoniarum magistro, qui crucem papalem ferebât, populo ante ipsam Basilicam stanti, & avidissimè electionem novi pontificis expectanti, nova

hæcce communicat altiſſimâ voce : Annuntio vobis gaudium magnum: habemus papã Eminentiſſimum & Reverendiſſimũ Dominum Johannẽ Baptiſtã Pamphiliũ, qui dici vult Innocentius Decimus. Hæc inter horam 18. & 19. nunciata, omnes novitate rei perculerunt, ut tanquam paleæ, viventorum per omnes urbis partes, curſu velociſſimo amicis referrent, unde nullibi non ſucclamatum Vivat papa Innocentius Decimus, Vivat novus Pontifex, vivat domus Pamphilia. Contonant in rei fidem omnia tormenta bellica ex caſtello S. Angeli, perſtrepunt tympana, tubæ, campanæ omnium monaſteriorum & templorum, cum ſclopetis præſidiariorum.

Novus Pontifex & Cardinales prandent in palatio Vaticano, aperitur Conclave, emundatur. Finito prandio, inter horam 21. & 22. Cardinales denuò in Sixti IV. ſacello conveniunt, Pontificem iterum venerantur, pontificalibus indutum & ante altare ſacelli collocatum. Hinc præit Crucifer, & Muſici, novum Pontificem in baſilicam S. Petri deportandum. Impo-

ponitur altari minori, & tertiũ à Cardinalibus adoratur, Musicis suavissimè modulantibus. Tum decanus aliquot versus & orationes sacras, pro ipso Pontifice recitat, qui immotus ferè considebat, donec ad populum adstantem conversus, benedictionem, multis in aërem signatis Crucibus, largitur. Descendit per gradus, Collegio utrinque salutato, & tunicam cum mitrâ deponit, sellaq; clausâ in suum palatium, prope forum Romanum majus, defertur, insequente infinitâ hominum multitudine. Eâdem vesperâ, ut & duabus sequentibus, disploduntur tormenta bellica, pellucent omnia ignibus, apud Magnates cereis candidis, præter festivos in foro & apud familiariores.

Ferebantur elogia, ubi Sixti Guarini Ferrariensis ita definiebat. Floreat itaq; Innocentius X. Pontifex, inter Optimos Maximus, inter Maximos optimus. qui promissâ pace, fugato bello, revocatis virtutibus imperat gloriosè, Vicarius Christi in terris, cujus potentiam veretur Infernus, veneratur mundus, reveretur paradisus. quem nobilitas morum, splen-

dor literarum, fidei constantia, Justitiæ patrocinium, liberalitatis exercitium, celsitudo animi, Cogitationum sublimitas, sensusque moderamen, omnibus adorandum obtulerunt. Cujus si originem velis, ortus est ex arbore circumdata gloriâ, exculta valore, irrigata fortunâ. ô fortunatum populum natum tempore Magni Innocentii, qui communi applausu æstimatur Tutor pauperum, protector pupillorum, cultor Justitiæ, Culmen literatorum, arbiter ingeniorum, oraculum seculi, miraculum mundi. Certamen inde frequentissimum, eorum qui admitterentur ad osculum pedis, Camillo Pamphilio maximè favente.

Post biduum miles, sede vacante scriptus, accepto stipendio exauctoratur, retentis ordinariis Vaticani excubitoribus. Commutantur varia officia, cùm Ecclesiastica, tum politica: Alderanus Cybus, Caroli Cybi Malaspinæ, principis Massensis filius, magister aulæ pontificiæ dicitur; Camillus Pamphilius, nepos, Ecclesiæ Catholicæ generalis, omnia induunt novam faciem. Restat Coronatio, postquam

quam Pontifex in suo palatio dies 19, moratus illucescit 4. Octob. anni 1644. D. Francisco sacer, & Pontifex missam solennem, non sine infinitis ceremoniis, pro suâ coronatione, in templo Vaticano, omnib. rebus pretiosis, ad summum usque fastum ornato celebrat.

Horâ ejusdem diei 14. Pontificalibus indutus, ex suo palatio se in Basilicam Vaticanum recipit; latus dextrum cubiculario, sinistrum pocillatore claudentibus, quos satellites præibant: sequebantur legatus Imperatoris princeps Savellius & Camillus Pamphilius Ecclesiæ Romanæ generalis, suis stipati famulis. Ab utroque latere Cubicularii & pocillatoris ibant diversi militum præfecti cum Helvetiis, subsequuntur Cardinales punicei suo quisque ordine: qui ad sacellum Sixti IV, coccum induunt, ingressuri sacellum. At Pontifex cum lateralibus & legatis se confert in sacrarium sacelli, ubi cingulum à Magistro Ceremoniarum & cubiculario accipit, 4. digitos latum, bysso, purpurâ & hyacintho contextum, sub tunicam. mutatur pileum in mitram ex rubro serico

 cla-

elaboratam: sic ingreditur sacellum Sixti IV. eum conspectum Cardinales corporibus ad terram inclinatis, summâ cum reverentiâ salutant , vicissim resalutantem. collocatur ad altare , consurgunt Barbarinus & Ginettus, Cardinales Diaconi tunicati, medium recipiunt, adimit Ginettus mitram purpuream, reddit Barbarinus candidissimi coloris tiaram.

Monet Carolus Antonius Vaccarius, Ceremoniarum magister, Cardinales ut capita tegerent: adferuntur stola, cingulum, amictus, thuribula, nolæ, crotala: ornamentorum summum, pretiosissima Mitra acu picta & superbissimè elaborata: Ubi Ceremoniarum magister pronuntiat *Extra*, Cardinalis Diaconus primus, assumtâ cruce pontificiâ surgit, cum omni consessu, ad novam processionem. Ante Crucem ibant scutiferi Apostolici 120. tum Curiales splendidè vestiti , Deinde Clerici Cameræ extra muros, 20. tum alii Curiales, notarii Rotæ, magistri supplicationum, Correctores Pœnitentiariæ, Scriptores Apostolici , Cubicularii Cameræ Apostolicæ , Advocati Consistoriales,

les, Clerici Cameræ, Secretarii Apostolici, Protonotarii, Procuratores pænitentiariæ, Correctores Archivi, registratores bullarum, referendarii Cancellariæ, Pænitentiarii Apostolici, Acolythi, Prælati Episcopi, Abbates, Archiepiscopi, Patriarchæ, cum septem sacrificulis Pontificis, quorum quilibet pretiosissimam mitram, seu Regnũ, uti vocant, in manu gestabat.

Adest Subdiaconus Apostolicus cum dictâ cruce, quem Cardinales Diaconi sequuntur, tum reliqui Cardinales, cum suis Aulæ magistris, Secretariis, Clericis, aliisque. exinde aliquot tribuni & tres Urbis Romæ Conservatores, veteri Romanorum more, togis prætextis, iisque nigris induti: hinc nobiles, barones, Comites, principes, principum & regum legati, magnâ aulicorum catervâ stipati. Pontifex à duobus Cardinalibus Diaconis, suoque Camerario adjutus, occupat sellam gestatoriam, postquam syrma ab altari eo usque sustulissent: Bajuli signo dato subeunt pheretrum: agmen claudunt Helvetii, qui portas palatii potificii custodiunt, & quotidiè ibidem excubant. Sic è sa-

cello Sixti IV. per omnes gradus, conclavia & porticus palatii Vaticani itur, elaboratissimâ thensâ sellam obumbrante, thensam diversis equitibus auratis Ordinis S.S. Petri & Pauli portantibus.

Cum ad porticum Basilicæ S. Petri venisset, juxta portam sanctam, propè majorem Basilicæ januam, solium magnificè ornatum & Sedilia, ad respirationem Pontificis ac Cardinalium stabant: ubi & princeps Cardinalis Mediceus, primus Diaconus cum Legato Christianissimi Galliæ regis adventum Pontificis expectant, cùm pedes processionem negarent. Itaque Pontifex solio exceptus portam prope sanctam, capitulares & Clerum Basilicæ, post acceptas illius claves, ad oscula pedum admittit: & sic tandem è solio descendit, & Basilicam S. Petri per portam majorem summâ majestate, tot ministris & principibus stipatus subit, cui populus undiquaque acclamat. Vivat Innocentius Decimus, vivat summus Pontifex, vivat unicus Christi vicarius. Sic pervenit ad altare, cui Sacramentum impositum: orat ille suo modo flexis genibus, & abit in sacellum

cellum Clementinum, seu Gregorii Magni, ubi itidem thronus Pontificius, sub thensâ, quam gemmæ & lapides pretiosi ornabant. Dextram occupat regis Galliæ legatus & Camillus Pamphilius; sinistram tres Urbis Conservatores, nudatis capitibus. Conscenso throno, offertur obedientia, unde Cardinalibus manus, Prælatis & Episcopis genua devotissimo licuit cultu deosculari. Ipsus jubet ante se statui crucem papalem, & populo præsenti mille crucis signis benedictionem, plenariamque largitur indulgentiam, qui per horæ ferme quadrantem retribuit indesinenter suum illud Vivat Innocentius X.

Considet Pontifex, induuntur Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Prælati, aliiq; amicula lintea candidissima: adstant hinc princeps Cardinalis Tusciæ & Cardinalis Franciscus Barbarinus, inservit loco Diaconi Evangelii Antonius Barbarinus. Symphoniaci sua peragunt, & inprimis *Tertiam*, pontifice preces perlegente ad futuram Missam: decantato & *Benedicamus Domino*, pontifex manus lavat, mini-

ſtrantibus Conſervatore Urbis, Camillo Pamphilio, Legato Imperatoris Savellio, Legato regis Galliæ: Magiſtro Ceremoniarum ubique præeunte. Traduntur à ſex Acolytis Apoſtolicis allata miſſalia indumenta Antonio Barbarino, & commutantur prioribus ſolennibus: Succinctorium, Crux, pectorale, ſuperhumerale, ſtola candida, tunica, chirothecæ, & mitra, tota auro & gemmis fulgens. Tum princeps Cardinalis Tuſciæ primus Diaconus, aſſumto ſceptro, viam ad exitum è ſacello *C*lementino, & introitum in ipſam Baſilicam aperit.

Proceditur prorſus, ut anteà niſi quòd ſacerdotes *regna* ſeptem ferentes candidi incederent, itidem Acolytus ante crucem papalem, cum thuribulo, cui Pontifex ipſe cum ſolitâ benedictione & ſignis *C*rucis thus impoſuerat, quod Lantius exhibuerat, cum Annulo paſtorali in digitum inſerto. Septem candelabra ex puro argento deaurata à totidem Acolytis delata, circa crucem papalem, ſeptem paribus candelabris altare ornantibus, cum *C*ereis deauratis, ad illuſtrandam Miſſam. Medius

dius eſt Dunozettus, Rotæ ſanctæ Decanus, mitræ cuſtos, inter auditorem Cameræ & Dapiferum: ſequuntur protonotarii ſeptem, & infinitus Prælatorum numerus.

Itum denique ad Altare Apoſtolorum, in tranſitu ad D. Gregorii ſacellum, Dominicus Bellius, Ceremoniarum magiſter præit, arundines duas gerens, cui candela ardens impoſita, alteram ſtuppâ coronatam incendit, hiſce verbis, *Pater ſancte, ſic tranſit gloria mundi*: paulò pòſt tertium id repetens. Haud longè ab altari Apoſtolorum DD. Petri & Pauli tres ultimi Cardinales presbyteri Ceva, Giorus & Lugus obviam procedunt, pontificem tanquam nomine Apoſtolorum excepturi, admiſſi ad oſculum vultus & pectoris. Pontifex genua ſuper pulvinar in pavimento inflectit, aperto capite orationes quaſdam recitat, ſurgit & confeſſionem pro Miſsâ dicendâ abſolvit, Lantio dextram, Antonio Barbarino ſiniſtram, tergum Franciſco Barbarino & Ginetto occupantibus.

Finitâ confeſſione, & mitrâ redditâ redit in ſellam geſtatoriam. Lantius, Roma

& Ceva super ipso ex Ceremoniali orationes recitant: ipsus surgens mitram deponit, & princeps Cardinalis Tusciæ, opem ferente Francisco Barbarino, pallium circumdant, hisce verbis: Accipe pallium, sanctam plenitudinem pontificalis officii, ad honorem omnipotentissimi Dei, & gloriosissimæ Virginis Mariæ, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Pallio, quatuor Crucibus, summo artificio & sumtu elaboratis, Antonius Barbarinus addiderat quatuor cimelia, in quibus diversi colores radiant gemmæ; in primâ scilicet Cruce Sardius, Topazus & Smaragdus; in secundâ Carbunculus, Sapphyrus, & Jaspis; in tertiâ Ligurius, Achates & Amethystus; in quartâ Chrysolitus, Onychinus & Berillus. Cruces visebantur anterius, posterius & utrinque. Accedit igitur Pontifex ad altare, quod cum libro Evangeliorum deosculatur: thus ex capsulâ thuribulo imponit, & totum altare aspergit, mox thuribulum reddit: tum recipit mitram, & thus tertiâ vice additum, purificat vestigia, altare & indumenta.

Tum

Tum Antonius Barbarinus cum duobus Cardinalibus Diaconis sinistram oris pontificii partem & pectus osculatur, benedictionemque per Crucis signa aufert. In solio sedentem venerantur sacro amictu induti, Cardinales osculo pedis, manus & oris; Prælati, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, pedis & genu; Abbates, pænitentiarii, & Canonici, pedis tantùm. Sic ille nudo capite introitum ad missam, cum adjuncto *Kyrie* recitat: postea *Gloria in excelsis Deo*, cum oratione Coronationi per Ceremoniale Romanum congruente, jucundâ satis voce canit, sedemque repetit. Tum princeps Cardinalis consurgit, & assumto sceptro, cum subdiaconis Apostolicis, auditoribus Rotæ Clericis Cameræ, Advocatis consistorialibus, secretariis Apostolicis, procuratoribus, Scriptoribus, Correctoribus pænitentiariæ, notariis Cameræ Apostolicæ, aliisque officialibus, in duos ordines divisis, ascendit ad Confessionem B. Petri, & altâ voce infit: *Exaudi Deus*, cui reliqui respondent Domino nostro Innocentio Decimo, à Deo decreto summo Pontifici, & univer-

Papæ, Vita. Iterum ille, *Exaudi Chri-* & hi Domino noſtro Innocentio Decimo, unico Chriſti in terris vicario, Salus. Denique ille, Exaudi Domine; & hi Domino noſtro Innocentio Decimo, univerſalis matris Eccleſiæ ſponſo, à Deo unicè electo, Felicitas. Poſt plurimas intercapedinis alicujus ceremonias, ille denuò *Salvator Mundi* & hi Tu illum adjuva, ſancta Maria: ſancta Maria tu illum adjuva. ſubjuncti & aliquot verſiculi ex Ceremoniali. Prælegitur epiſtola Latina & Græca, ſuffumigationes gratiſſimæ replent totum templum Vaticanum. Celebrat Miſſam Pontifex ex præſcripto: ad elevationem Calicis non duo, aut tria, uti ſolet alias, ſigna Crucis, ſed innumera facta à quovis.

Finitâ Miſsâ redit Pontifex in ſellam geſtatoriam, adeſt Franciſcus Barbarinus, Eccleſiæ Vaticanæ Archipresbyter Cardinalis, cum duobus Canonicis, & offert crumenam, auro & gemmis elaboratiſſimam, cui ex monetâ antiquâ ſummorum Pontificum 25. Julii incluſi, hiſce verbis: ſanctiſſime & beatiſſime Pater, Capitulum

&

& Canonici S. Petri, vestram sanctitatem devotè & sanctè colentes, solitum hocce & debitum presbyterium, pro Missâ benè cantatâ, humillimo animo, in æternæ subjectionis signum offerunt: crumenam Pontifex Antonio Barbarino pro Evangelii recitatione dat. Hinc defertur priori pompâ ad portã benedictionis, sub thensâ, duobus flabellis ex pennis pavonum, quibus insignia Papæ impressa prælatis. In ipsâ porticu, in proscenio quodam Pontifex deserit sellam gestatoriam, & thronum auro gemmisque coruscantem occupat. Lantius oratiunculam dicit votivam ad justè gubernandam Ecclesiam: Barbarinus mitram demit, Mediceus tiaram, triplici coronâ ornatam sic imponit capiti: Accipe tiaram, tribus coronis ornatam, ut scias te esse patrem principum & regum: rectorem orbis: in terrâ Vicarium salvatoris nostri Jesu Christi, cui sit honor & gloria in secula seculorum Amen.

Post Musicam omnimodam semi horæ, Pontifex solennem illum actum Coronationis benedictione, quæ incipit *Sancti Apostoli*, ex Ceremoniali Romano al-

tè recitatâ claudit; & cum pervenisset ad illa verba *Benedictio Dei Patris omnipotentis*, surgit, & populo abs horâ duodecimâ, usque ad vicesimam diei attentissimo, tribus vicibus, crucis signis sæpissimè factis, benedicit, & plenariam peccatorum indulgentiam largitur, quam Mediceus ita exprimit: Hodie salus facta est mundo: hodie vobis omnibus fidelibus Indulgentia plenaria à sanctissimo Domino nostro Papa Innocentio Decimo est concessa, in nomine Dei, Patris & Filii & Spirit' sancti Amen. Exultat populus, & Pontifex benedictionem iterat; tum ad Sacellum Sixti IV. defertur, missatica exuitur, & à Cardinale Cappono nomine Collegii Apostolici salutatur *Ad multos annos*; & benedictione tertiùm in populum repetitâ, defertur in palatium Vaticanum, Pontificum domicilium, tormentis & maximis & minimis contonantibus. Disceditur, manentibus ad Cænam Lantio, Mediceo & Camillo Pamphilio, cum ministris aulæ. Tum omnia apud omnes festiva. Marchio de S. Chamontio, Galliæ legatus, fecerat Romam triumphantem, ante eam quatuor

tuor mundi partes, ubi Europa sola, cæteris paulatim sese consumentibus, cælum petere visa.

Superest possessio palatii Laterani cum adjunctâ Ecclesiâ & occidente capessenda, quam Constantinus Magnus Sylvestro primo contulit: ea rejicitur in 23. Novembris, Interea erecti arcus triumphales cum encomiis & acroamatis; Ubi dicto die ad Capitolium perventum, Horatius Albanus, Senator summus, Attalicâ togâ, eâque longissimâ indutus cum Collegis obviam procedit Pontifici, eũq; totius Senatus, populiq; Romani nomine, in præsentiâ Curialium, consulum aliorumq; officialiũ, summâ animi demissione salutat, ejusque pedes novo adorationis cultu osculatur, ac ipsi, tanquam summo capiti & presidi omnes Capitolii claves tradit. In Basilicâ Lateranâ offeruntur Polubrũ argenteũ, cum cruce aureâ; Malluviũ cum clave aureâ & argenteâ; & thuribulum cum acerrâ. De clavibus ita Cardinalis columna: Sanctissime & beatissime pater, Caput Ecclesiæ, rector Orbis, quem suprema illa majestas suum in terris Vica-

rium,

rium, æterni gaudii diſpenſatorem, & libertatis Chriſtianæ reſtitutorem & vindicem, ſingulari ſuâ & divinâ providentiâ elegit, nobiſque ſuis famulis, totique mūdo ſtitit: cui claves regni cælorum ſunt commiſſæ, cui poteſtas in terris ligandi & ſolvendi eſt conceſſa: Quem angeli in Cælis reverentur, portæ inferorum timent, totusque mundus adorat. Nos quoque te ſolum, noſtrum patronum, ſummum caput, & Epiſcopum, ac ſpiritualem patrem, unicè veneramur, colimus & adoramus; & nos, omniaque noſtra, paternæ & plusquam divinæ tuæ diſpoſitioni ac curæ reverenter ſubmittimus, & ſummè commendamus. Claves etiam ligandi & ſolvendi, quas Chriſtus ipſe S. Petro tradidit, ejusque omnibus ſucceſſoribus reliquit, tuę ſanctitati ſubmiſsè offerimus in nomine Dei, Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. Pontifex claves in malluvium repoſitas dat Cardinali Barbarino, &, cùm dudum crucem eſſet oſculatus, thuribulo benedicit. Viſitat capita Apoſtolorum Petri & Pauli, tertium denudata, orat, deponit auream monetam in altare, & ad ſe redit.

Qui-

Quicunque triumphos Romanorum Imperatorum contulerit cum hac majestate, facilè intelliget, Pontificem Maximum maximoperè excellere: si maximè Jubilæum expendat : quod Bonifacius VIII. anno C.1300. primus celebravit, & centenarium esse voluit; sed Clemens VI. fecit quinquagenarium; Paulus ad 25. annos redegit, & Urbanus VIII. ad viginti. Tum fit indulgentia, quæ est remissio & concessio pænæ, etiam gravissimæ, pro peccatis post mortem in purgatorio luendæ. Plenaria verò indulgentia in nullo deficit. Ideo quando Papa concedit plenariam absolutionem, intelligitur, quòd absolvet tàm à culpâ, quàm à pænâ, quoad omnia peccata, quantumvis enormissima. Absolutio verò seu liberatio ista posita esse dicitur *c. unigenitus*. in manibus solius Pontificis, qui eam vel per semetipsum, vel per delegatos sacrificulos & confessarios exercet. Fieri autem ajunt liberationem illam hoc pacto: Cùm sancti, dum essent in terris, plura præstiterint & passi sint, quàm necessarium fuerit ad salutem eorum; papa per se, vel suos, ne opera &

passio-

passiones sanctorum inutiles sint, de thesauro isto operum superabundantiũ accipit, & Deo insolutionem dat, pro omnibus, qui indulgentias redimunt: qui hoc ipso à pœnis præsentis & futuræ vitæ satisfactoriis liberari, atque mox ad vitam æternam transferri creduntur. Quantus tum fiat concursus gentium Romam, quantâ tum maximè Majestate fulgeat Pontifex Maximus, superat omnem calami fidem. Itaque palmam hanc Roma præripiet Sinæ.

CAPUT. XXII.

VIÆ PUBLICÆ.

Omnibus meritò admirationi sint viæ publicæ apud Sinas ad proficiscentium commoda, quantum humanitus fieri potest, exactæ. Æquatæ primùm, dein lapidibus stratæ in omnibus ferè Australioribus provinciis, in quibus minor equorum & curruum usus: idque in altissimis etiam montibus, ubi datur transitus, rescissis hinc inde rupibus, abruptisque ac solo

ſolo-æquatis montium cacuminibus, impletis vallibus, magno per totam regionem compendio. Ibi certis intervallis, ad ſingulos nimirum lapides, (in cippis illis ſeu arcubus, locorum diſtantia legitur) qui decē ſtadia Sinica continent, ($\frac{2}{3}$. mill. germ.) diſpoſiti Curſores, per quos breviſſimo tempore diplomata, juſſa regia ac præfectorum, celerrimè perferuntur. Inpe nihil ibi rarum, aut admodum novum ſolet contingere, quin intra dies paucos toti regno innoteſcat.

Ad ſingulos octonos lapides, quod ſpatium unius diei iter eſt, erectæ domus regiæ publicæ, ad quas præfecti ac magiſtratus divertunt, regioque ſumptu excipiuntur, tabellâ præmiſsâ, quâ de illorum adventu, dignitateque reddantur certiores, præſcriptis dierum, quibus ad quælibet loca venturi ſunt, numeris. Ubi adeſt è præfectis quiſpiam, omnia in promtu ſunt, non cibi tantùm, ſed & equi, ſellæ geſtatoriæ, bajuli, navesque, ſi opus fuerit: omnia enim, quæ deſiderat, in tabellâ (Pai) præſcribit.

Fluminum etiam ripæ, non ſecus ac

viæ

viæ regiæ, adornatæ ſunt, arbore nullâ, impedimentove alio, niſi ad quinque cubitorum ab aquis diſtantiam, relicto, nec ubi remulco protrahentes naves, illis retardentur. Quin & litora multis in locis, quadratis ab imo jactis lapidibus erecta ſunt, interpoſitis, ſicubi poſtulat neceſſitas, lapideis plurium arcuum pontibus; ut quoad hæc non tantùm cum Romanâ magnitudine, ſed quarumvis etiam aliarum gentium, Sinæ jure merito videantur poſſe contendere.

De viâ publicâ trans montes & valles vide Pontes in Xenſi.

In Fokien, ad Hinghoa, viæ omnes ita quadrato ſunt ubique lapide ſtratæ, ut per ſexaginta & amplius ſtadiorum longitudinem (4. mill. germ.) unius etiam perticæ latitudinem ſervent, quibus nihil per totam Sinam nitidius.

In Quangtung, Plurimi ſunt montes ad Nanhiung, ubi bajuli unius diei iter conficiunt. erat autem Muilin mons arduus ac præruptus, donec à præfecto Changkieulingo, ſuis id ſumptibus procurante, tandem ſublatus eſt, itinere ita complana-

to,

to, sectoque lapide strato, ut non modò pedites, sed & equites, iique qui sellas gestant, commodissimè conficiant, pertranseantque ipsum montis verticem. In cujus summitate, ad æternam tanti facinoris beneficiiq; memoriam erectum est fanum, Junfung, illique præfecto dicatum: in quo grata posteritas illi suffitum facit, pretiosis accensis pastillis, odoribusque gratissimis excitatis; non tamen idcircò eum ut Numen venerantur, sed tantummodò grati animi mnemosynon exhibēt.

In Queicheu, Ganxun tres habet pontes, quorum tertius Tiensang, naturalis dicitur, supra mille perticas longus; ubi ab utroque latere via ita est excavata, ut pontis arcus imitetur.

Mehi mons ad ortum Picie, saxosus prorsus ac horridus est: in eo patet via, unius equitis capax, ad longissimum spatium extensa, ubi utrinque latera montis, veluti parietes, ad perpendiculum erecti assurgunt.

In Ço monte via est acclivis, centum & sexaginta stadiorum longitudine, quæ efficiunt decem milliaria.

Ad

Ad montem Fangnien per ſcalam lapideam patet aſcenſus.

Hinglang mons per ſcalam lapideam longiſſimam tantum aditur probè cuſtoditam.

Sub Mucheu, prope Kiangxan civitatem, oritur mons Civen, ad trecenta eoque amplius ſtadia excurrens. per hunc ad Fokien iter eſt, ubi multi, iique difficiles ſuperandi montium vertices, maximè autem præruptus ac arduus Sienhoa dictus, quem ad Cochleæ modum gradibus trecentis & ſexaginta, ad faciliorem aſcenſum elaborârunt: totidem enim plana, lapidibus ſtrata, in eo reperiuntur. In vertice magnificum fanum & tabernæ.

In Fokien obvii paſſim ſunt montes, quos haud immeritò viridia theatra dixeris: ad cochleæ modum aptati ſunt plures gradus, velut ſcalæ, quibus à planicie unâ ad alteram patet aditus. Oryza enim cùm non niſi in aquis naſcatur, planos omninò requirit campos, quod viſu jucundum ac rarum eſt. Sæpè etiam de monte in montem, per canales deducunt aquas, ad irrigationem neceſſarias: hos autem ca-

canales in ipsis montibus natos, arundines videlicet majores illas ac cannas adhibent. Ejusmodi montium cultura per totam ferè Sinam usitata est, at nusquam frequentius, quàm in hâc provinciâ, propter montium multitudinem.

Prope Hoating est vallis profunda & angusta, ut non nisi tenue admittat lumen, per quam via regia quadrato lapide est strata ad duo milliaria.

His jam apponamus alia, & quidem, quæ dilectissima præbuit olim Palæstina: Via *Bethlehem*, amæna est valdè, vineis, rosis, herbis odoriferis, & aromatibus consita: hanc, ut & alias Emauntem, Gazam & Joppen ducentes, Salomon rex, & undecunque Hierosolyma esset adeunda, silice stravit, tum ut ultrò citroque commeantibus essent faciles, tum ad ostentandam hac quoque parte principatus sui magnificentiam. cùm autem de his & aliis Salomonis sapientissimi juxta & potentissimi regis operibus nihil ferè extet, memoriæ posterorum relictum, Romã nos convertimus: Dionysius, qui sub Augusto vel vicenos Romæ annos vixit, ista: Ego

ſanè in tribus magnificentiſsimis operi-bus Romæ, & è quibus maximè apparent illius imperii opes, pono aquæ ductus, viarum munitiones, cloacarum ſtructuras. neque id ſolùm ad utilitatem ejuſmodi operum reſpiciens, ſed etiam ad impendii ſumtuumque modum. Vias illi non in Urbe ſolùm, ſed extra eam, ad longiſſima ſpatia, plurimas, & plurimo opere muniverunt. De viâ Appiâ ſic Procopius: Beliſarius viâ Latinâ exercitum duxit, Appiâ ad lævam dimiſsâ. Hanc Appius Romanorum Cenſor, ante annos nongentos ſtruxerat, & à ſe dederat nomen; longitudinem ejus quinque dierum ſpatio vir expeditus poſſit emetiri. Ab Urbe Româ Capuam pertinet, eâ latitudine, ut duo currus ex adverſo obvii, liberè queant pervadere, & commeare. Et eſt ſanè hæc via, præter cæteras ſpectabilis. ſiquidem Appius ex aliâ & longinquâ tunc, ut rear, regione exciſos lapides, & hos quidem Siliceos, ac ſuopte ingenio duriſſimos, in hanc viam vehendos curavit. quos planos deinde ac lævos redditos, & quadratos inciſione factos, junxit & in ordine loca-

locavit, metalli nihil vel alterius rei inferendo. Sunt tamen ita connexi, & validè inter se hærent, ut speciem visentibus præbeant, non conjunctos ita, sed congenitos esse. Est quamvis tot jam seculis alterantur, assiduis plaustris jumentisque, tamen neque serie suâ vel minimum exeunt & dimoventur, neque franguntur, aut lævorem suum amittunt.

Livius tamen refert, Q. Fulvium Flaccum & A. Postumium Albinum Censores, vias sternendas silice in Urbe, & extra urbem glareâ substruendas, marginandasque primos omnium locavisse. præcesserat autem aliquot ætatibus Appius, in cujus viâ nihil de glareâ, nihil de marginatione, quod caput sanè erat, & agger ille viæ cùm altiusculus, & instar pulvilli esset, firmiter arctari, & stringi lapidibus grandioribus ad oras debebat, ne difflueret & spargeretur: hoc marginari, & ibidem etiam alii lapides duplices, & ad usum duplicem. Priores, cippi quidam eminentes, in quibus insidere fessis, onera reclinare, aut & ascendere ex iis in equum fas esset. Ii crebriores dispositi per totam

viam: alteri autem rariores, qui ut columellæ extabant, & notis numerorum incisi, milliaria notabant. Utrumque hoc G. Gracchus instituit, Plutarcho notante: & gratum in vulgus fuit. Experiuntur id peregrinantes, nihil magis ad tædium & fatigationem esse, quàm ignaros spatiorum oberrare; & contra, refici animum ac vires eâ signatione. Quinctilianus benè: Partitio reficit audientem, non aliter, quàm facientibus iter, multum detrahunt fatigationis notata inscriptis lapidibus spatia. Hinc ille mos per lapides computandi.

De eâdem viâ Frontinus: Appia aqua inducta est ab Appio Claudio Censore, qui & viam Appiam à portâ Capenâ usque ad urbem Capuam muniendam curavit. neque verò ulterius ille potuit, quòd nec ulteriores tunc Romani fines. Quis autem longius, & Brundisium usque munierit, in obscuro est: munitam tamen constat. Ecce, Strabo ait, Viam Appiam Tarracinæ mare primum attingere, & Brundisium usque stratam esse. Tacitus Libonem consultavisse, Utrum habiturus

rus esset opes, quîs viam Appiam Brundisium usque pecuniâ operiret. Producta igitur: an à Julio Cæsare, quem Plutarchus scripsit Appiæ Curatorem factum, plurimum pecuniæ in eam impendisse: an ab Augusto, qui plerasque omnes vias per Italiam ipse, aut per alios, munivit. Nam errat Plinius, sive is Nepos est, de viris illustribus, qui Appiam viam Brundisium usque lapidibus stravisse scribit, unde illa Appia dicta. nam hoc sanè certum, loca ea id ævi hostilia aut aliena Romanis fuisse. Tota autem hæc longitudo est milliarium circiter 350. (87½. germ. in singulos dies 17. quod prorsus immane: itaque Procopii dictum saltem Capuam pertingit, quousque numerantur 124. milliaria, quę germanica reddunt 31. & ita conferentur sex milliaria germanica in diem rectissimè.)

Silicem autem intellige durum asperumque lapidem, & è rupibus; non illum minutum, & tenuem, quem vulgò vocamus, & qui in glaream potius venit. Illo modo Plinius, Livius, atque alii locuti. Sed quæres è quâ regione; in viciniâ tales non

 esse

esse jam Procopius indicavit : Onufrius Panuinus ait Montes ostendi duos, ad Sinuessam unum, alterum inter Puteolos & Neapolim, è quibus saxa ea, colore & duritie ferrum referentia, videantur excisa. At Leander, specus & fodinas in Bruttiis extare, ad Seminariam, è quibus lapides ad vias eruti, præsertim ad Appiam. Quicquid sit, opus mirum & laboriosum fuit. Conspiciuntur & hodie lapides plani quadratique, trium, quatuor, quinque etiam pedum quaquaversus : hinc poëta: *Appia longarum teritur Regina viarum*, nam à Româ in Græciam, Asiam, & trans mare ducebat. Flaminia Româ Ariminum usque & inde porrò Aquileiam ducebat; nihilo brevior, pari munitione. Nec in Italiâ solum plurimæ, sed in provinciis ipsis.

Isidorus scriptum reliquit, Pænos primos lapidibus vias stravisse, quas postea Romani penè per totum Orbem disposuerunt, excisis montibus, complanatis vallibus, ut currus vehere possent & suscipere navium onera. Ornatum faciebant monumenta & sepulcra passim ad viam assita,

assita, & latus utrumque prætexentia. Illîc illustrium ingeniorum aut clarorum virorum memoria & inscriptio: alibi libertorum, servorum, scortorum, superba monumenta. Unde Varro: monimenta secundum viam, quò prætereuntes admoneant, & se fuisse, & illos esse mortales. Omnium scilicet illorum, qui disparibus monumentis teguntur, parem in exitu sortem fuisse. Æquat enim apud Senecam omnes cinis. impares nascimur, pares morimur.

Sibyllæ caverna in agro Cumano ita describitur à Leandro: Primùm in eam partem Montis circa lacum egressi, quæ inter septentrionem & occasum jacet, de quâ Virgilius: *facilis descensus Averni*, ad medium Vepreti, quod ibi est, aut paulò inferius inter dumos & urticas, antrum exiguum, instar aditus sepulchri collapsi reperimus. In id ingressi per ruinas operum aliquamdiu procedentes, viam elegantem in saxum excavatam, latitudine pedum decem, altam viginti, in longum quingentos extentam, vidimus: &, quantum conjecturâ licet adsequi, cùm obstru-

cta muro ſit, ulterius olim ad Bajas procedebat. Hanc eſſe crediderim, quam Strabo ſcribit Cocceium feciſſe, quâ Cumis & ab Averno Bajas commeabatur. Ad 450. pedem Oſtiolum in eâ cernitur, altum pedes quinque, latum tres, per quod ejuſdem menſuræ via, in ſaxum exciſa, longitudinis pedum 80. proceditur. Ad ejus finem, dextera, perbellum eſt conclave, longum pedes 14, altum 12. latum 8. Intus exadverſum ingreſſui juxta parietem ſaxum à pavimento elevatum, inſtar exigui eſt tori. Penetrale hoc olim, uti etiamnum ex parte cernitur, magnificentiſſimè perfectum ornatumque fuit: ſumma teſtudo ſile attico cum auri nonotis depicta: parietes Zophoris diſtincti, ex margaritarum conchis, & coralio compoſitis: infra Zophoros uſque ad imum ſolum opere theſſalato ex gemmis itemque coralio & margaritarum conchis inducti erant; cujus operis etiamnum aliqua ſigna conſpiciuntur, non minore ſumtu, quàm artificio olim facti. Vulgò fama eſt, hanc Sibyllæ Cumææ habitationem fuiſſe.

Ad lævam introitus ejus conclavis, eodem

eodem in pariete, quædam alia portula cernitur, paulò latior altiorq; per quã ad Cryptam aliam latitudinis pedum 6. longitudinis 25. via lata pedum 4. alta totidem, sed longa quadraginta ducit. Inde tum viâ brevi & perangustâ, sed altitudinis pedum 4. in quandam porticum, altam pedes 8. latam 10. longã 24. devenitur, quæ directo ꝓpemodũ in alterius medium desinit, altæ pedes 20. latæ 6. longæ 42. Contra ejus introitum angustum item in saxo excavatum sacellum est, latitudine pedum 10. longitudine 6. altitudine totidem: ad cujus ingressum in eodem pariete dextra alterum conspicitur, latum pedes 9. longum & altum, ut superius. Hujus in medio lacusculus aquæ est, locusque tantâ vi caloris æstuat, ut sudorem nemini non excutiat intranti. Qui recessus hos tenent, ajunt, Sibyllam inibi votis operam dare consuevisse: mihi tamen Sudatorium verius fuisse videtur.

Hucusque à primo ingressu qui lacum Avernum spectat, nullum omninò spiraculum est, sed obscuræ cavernæ perpetuæ in saxum excisæ, per quas absque lucernâ

commeari nequit; & si quis ingrederetur aliter, evadere profectò haud posset: uti cuidam accidisse constat, per cujus ossa nobis in iis angustiis necessariò fuit incedendum. Prius etiam exitus in fine nullus patebat, sed ad ostiũ, quo introibatur, retro erat commeandum, quod & primâ vice nobis usu venit; nunc autem avulsâ montis parte versus Bajas antrum apertum est angustum, per q; non tamen sine difficultate egredi licet, ut manifestò appareat, hac olim viâ subterraneâ Bajas ab Averno commeari solitum. Res est equidem admirationis plena, quâ ratione tot cuniculi cryptæque ferro potuerint excidi, silexque cæsus egeri, cùm præter ullum spiraculum in tenebris opus omne patratum sit, certè res est, cùm arte sumtuque, tum raritate mirabilis.

Quæ fuerint viæ Romanorum per Alpes, docebit Strabo: Primos omnium transalpinorum Gallorum Gallo Ligures domuerunt Romani, gesto contra eos & Ligures diuturno bello, quòd hi illis aditum per maris oram in Hispaniam interclusissent. Etenim Ligures isti terrâ ma-

rique

rique latrocinia exercebant, tantâ potentiâ præditi, ut iter vix magnis exercitibus facere liceret. Et Romani bello per 80. annos tracto vix obtinuerunt, ut duodecim stadiorum amplitudine publica via pateret. Posterioribus autem temporibus universos Ligures subegerunt Romani, & formam reipublicæ iis præscripserunt imposito stipendio. Sunt Rheni fontes & Adula mons. Supra Comum, quod est ad radices Alpium situm, habitant versus orientem Rhæti & Vennones; ad alteram partem Lepõtii, Tridentini, Stoni, & aliæ complures exiguæ gentes, quæ superiorib. temporib. Italiã tenuerunt, latrociniis deditæ, & pauperes. Eę nunc partim excisæ sunt, partim domitæ, ut iter supra montes pillos, ꝙ olim erat angustũ, & superatu difficile, multis nunc locis pateat, tutumque sit ab injuriâ hominum, & expeditum: quod ipsum opere est confectum. Nam Augustus Cæsar latronum excidio viarum structuram adjecit, quantam omninò licuit perfici. neque enim potuit ubique vi perrumpere naturam saxorum, & ingentium præruptarum ru-

 pium,

pium, aliàs viæ impendentium, aliàs subjacentium, ita ut vel leviter è viâ egressi, in periculum venirent inevitabile, cùm in fundo carentes valles esset decidendum. Ibi quidem alicubi ita arcta est via, ut & peditibus, & jumentis non adsuetis vertigo oboriatur: incolarum jumenta facilè illum laborem obeunt. Neque huic incommodo mederi potuit, neque delapsui ingentium glaciei tabularum, quæ integrum etiam comitatum obruere, & in subjectas deturbare valles possunt. Multæ enim una supra aliam jacent glaciei tabulę, subinde uno post alterum gelu concrescente in glaciei formam nive; quarum tabularum quæ in superficie sunt, facilè quovis tempore ab interioribus solvuntur, antequam à Sole planè liquentur.

Salassi plurimum molesti fuêre, quippe & D. Brutum Mutinâ cum suis fugientem, viritim denarium solvere coëgerunt; & Messala in vicinia hyemans, pecuniâ ab iis redemit ligna ad focum, & ulmea hastilia ad exercitationes. Quin & Cæsaris aliquando pecuniam diripuerunt, exercitibusque præcipitia insederunt, simulantes

lantes viam serescere, aut fluminib. pontes imponere. Ad extremum Cæsar eos devicit, & sub hastâ universos vendidit, Eporodiam deductos, quæ colonia Romanorum in hoc fuerat condita, ut præsidio esset contra Salassos: sed parum resisti ab incolis potuit, donec ea gens deleta est: numerata sunt hominum 36. millia, virorum ad pugnam idoneorum octo millia, quos universos sub hastâ vendidit, Terentius Varro, qui dux belli eos devicerat. Augustus autem Cæsar, missis Romanorum tribus millibus, urbem condidit, quo loco Varro castra habuerat. Atque nunc tota vicinia pacata est usque ad summos montis transitus. Sunt quippe diversæ gentes, latrones per Italiam sævissimi, ut non modò puberes omnes mares necent, sed ne infantibus quidem masculis parcant; imò ne hîc quidem subsistere, sed gravidas etiam mulieres occidere, quas eorum vates dicunt virilem fætum utero ferre. Horum omnium crebris incursionibus finem imposuit Tiberius, & ejus frater Drusus unicâ æstate, adeò ut quiescentes tributum legitimè persolvant.

Porrò montanorum ex Italiâ in Galliam ulteriorem & Septentrionalem trajectuum, qui per Salassos est, Lugdunum ducit: est autem duplex, alter curribus etiam pervius, itinere longiore per Centrones; alter per Pæninas fauces brevior, sed idem acclivis & angustus. Lugdunum in medio Galliæ situm est, instar arcis, cùm ob fluminum confluentes, tùm quod omnibus partibus est propinquum: itaque etiam Aggripa, hinc vias aperuit, unam per Cemmones montes in Aquitaniam, & ad Santones usque; alteram ad Rhenum; tertiam ad Oceanum per Bellovacos & Ambianos; quartam in Narbonensem Galliam & ad littus Massiliense. Potest etiam ad sinistram relinquens aliquis Lugdunum, & superjacentem regionem in ipso Pænino jugo divertere, Rhodano trajecto, aut lacu Lemanno, & per Helvetiorum plana; superato dehinc monte Jura, ad Sequanos, indeque ad Lingonas pervenire. hinc bivium est ad Rhenum & ad Oceanum. Putat Polybius, altissimorum per Græciam montium quemque unius diei spatio, ab expedito viatore con-

scen-

ſcendi, tantoq; ſpatio ambiri poſſe; at Alpes ne intra quintum quidem diẽ. quatuor tantummodo earum tranſitus nominat. per Ligures proximè Etruſcum mare: per Taurinos, quo Annibal uſus: per Salaſſos, & per Rhætos.

Jura mons Galliæ, an Germaniæ? olim ferè totus Galliæ cùm Helvetia Belgicę adcenſeretur; hodie magnâ etiam parte Germaniæ. Ubicunque volueris trajicere, opus eſt altâ ſcanſione. Inter Ararim porrò & Farſpurgum dicitur Schafmat, Latinis Ovium pratum: inter oppidum Olten & Humburgenſem Præfecturam Niderhawenſtein, inferior ſectus lapis, per ſaxa enim factum eſt iter: inter Walnburgum & Balſtallium OberHawenſtein, ſuperior ſectus lapis, ubi currus onuſti grandibus funibus per montis declivitatem demittuntur. Occaſum verſus procedendo Waſſerfal nuncupatur, aquæ ruina. Uterius eundo Jurten à Sabaudis, priſco ferè nomine appellatur. Brachium quod ſe extendit Baſileam verſus, uno ab urbe milliario juxta Byrſam fluvium, Blouwen dicitur; creſcitque non

parum

parum in altitudine & asperitate, quousq; Delspergum veneris, ubi rursus in planiciem deducitur. Ulterius, versus Bellele Monasterium Gallicum procedendo, rursum crescit : at deinde iterum evanescit spatio unius milliaris ; hinc iterum saxosum, horrendumque montis jugum ab Oriente in Occasum extenditur, quod perviam fecisse scribitur Julius Cæsar, perforato in formæ portam saxo, quam nominant Petræ portam, vel Petram pertusam. Inscriptio, aliquantulum detrita, sic habet N......

Angusti via ducta per ardua montis,
Fecit iter petrã scindẽs in margine fontis.
an antiquitatem sapiat, non disputatur.

Negat Olaus Magnus, celsitudinis laudem Alpibus competere, eandem mõtibus Scars & Saula, inter Suetiam & Norvegiam tribuens. Est enim, inquit, per excelsissimos illos montes non minus terribile, quàm periculosum iter æstivo tempore, tàm incolis terrarum quàm peregrinis viatoribus: qui aliàs hyeme per congelatas paludes, stagna & amnes, brevioribus compendiis & semitis, quocunque

pla-

placuerit, proficiſcuntur. Montes enim illi vaſtiſſimi, quales in Europâ vix ſunt, orientali parte, ſub pedis ingreſſu, portas ſeu aperturas habent, duriſſimo ſilice, partim naturali ſciſſurâ, partim antiquorum principũ ſumptu, ꝓ publicâ utilitate exciſas aut perforatas. Poſt quas inter montiũ latera tantum etiam in mediâ æſtate ſentitur frigus, ut niſi viatores, more hyemis multiplicato veſtitu ſeſe munierint, ferè irremediabile periculum ſubitâ aëris mutatione incurrant, donec ea mõtana viſcera, valleſque frigidas exire contingat.
Deinde à montibus, plurium dierum itinere deſcenſuris, majus quandoque periculum imminet, ubi penduli pontes ligneis montium fulcimentis, lateribus affixi, propter caſum nivium, ac tempeſtatem arborum evulſarum, aut cadentia ſaxa confracti, vel ſemirupti videntur. Nec alia perplexis ſpes ſuffragatur, quàm ut pontiũ reparationem communi operâ incolarum expectent, cùm nullus per altiſſimas valles viarum circuitus inveniatur. Hæc & ſimilia cùm viatores providerint imminere, expenſas ſecum afferunt ſuffi-
cien-

cientes, ac si castrensem aliquam obsidionem illicò subituri ac servaturi essent : jumentorum alioquin paucam curam , ob herbarum copiam, & aquarum commoditatem habentes. Scaturiunt enim toto viarum transitu, ex brachiis montium, abundantissimi fontes , satis grato sapore ab omnibus commendati. Quòd verò tantam difficultatem illîc patiuntur itinerantes, mirum non est ; quia propter excelsa rupium præcipitia, quæ difficillimè evitari, vel reparari possunt, omnia sagacissimo ingenio penetranda videntur, & maximè cùm in uno situs sit invius , & in altero ruinis & saxis oppletus. Præterea limites adeò angusti, ut viatoribus ac jumentis, præsertim insuetis , vertiginem capitis, & oculorum caliginem afferant, & plerunque irreparabilem lapsum.

Tanta sanè est plerunque in Aquilonaribus terris vis pruinæ & cæsus nivium, tamque dira tempestas , vehementesque caligines aërem obscurantes, ut viatores proximum quemq; obvium, etiamsi amicus, vel inimicus sit, agnoscere vel evitare non possint. quod omnimodam parit diffi-

difficultatem, eò quòd in utroquè latere, vel alta præcipitia imminent, vel condensatæ nives jam elevatæ sint, ut ferentes sarcinas dextrorsum vel sinistrorsum vix sese extricare possint. Attamen quia contra præcipitia raro conceditur optabile remedium; pro statione jumentorum mutuo labore nives evolvunt, plaustraque super eas evertunt, ut institutum iter absolvant: hocque eâ celeritate faciunt, quasi rapido incendio, molestissimoque periculo celerrimè avertendo urgerentur, ne longiore interveniente morâ, ex subito casu nivium & pruinarum, repletio fiat itinerum & sylvarum, ut quæ sit via, vel campus, difficilius agnosci possit.

In glacie verò nulla, vel rara difficultas occurrit, eò quòd omnia placabili æqualitate itinerantibus offeruntur, salvo, quo caveant à rupturâ glacierum per opposita signa ad os rupturæ. Quæ signa vel crustatis glaciei particulis, vados aperturæ relictis vel virentibus abjetum seu juniperorum ramis, in glacie congelatis & eminentib. ostenduntur; idq; longo ordine, & milliarib. multis, sumtu & diligentiâ piscatorum,

ſcatorum, ne viatores aberrare contingat, fideliter obſervatur. In Sylvis autem non levia quandoque mutuò ſibi obviantibus obſtacula è rupturâ, ſeu motione arborum occurrunt. Stant enim, præſertim populeæ arbores, ob denſitatem nivium, veluti arcus extenti, nivibus oneratæ, quarum leviſſimo motu maxima nivium moles in viatores deſcendens, eos non parum retardat: imò & ipſæ arbores, cancellato caſu, gravitate nivis, abruptæ, viam omninò immeabilem faciunt, ut non niſi ſecuribus in eum uſum comportatis, ſibi exitum parare poſſint, idque ex quotidiano relatu peregrinantium de illis regionibus diſcimus. Sed qui hîc ædiles, viarum curatores: una eſt cura commeandi trans valles publica; cætera ſunt privata.

Pauſilypus mons, hodie Poſilipo, Româ Neapolim tendentibus occurrit, inſtar promontorii in mare vergens. Cæſarem haud procul eo piſcinam habuiſſe ſcribit Columella, in quâ piſcis ſexaginta annos vixerit. Viam quà Puteolis Neapolim itur, interſecat & præcludit; &, niſi

per-

perfossus esset, aut ambitu longissimo circumeundus foret, aut arduus jugorum, abruptusque ejus Vertex superandus. Pertusus est ad passus plus minus mille, viaque patet lata 12. pedes totidemque alta, quâ, sicut Strabo testatur, duo contraria plaustra simul commeare & transire possunt. Speluncam appellat ipse, Seneca cryptam Neapolitanam, ubi sortem athletarum omnem se perpessum scribit ad Lucilium, qui carcerem longum & obscurum vocans, satis indicat, Neronis temporibus nullas habuisse fenestras, vel aëris spiracula, præterquam in utrisque faucibus. Adserit tamen Strabo, per montis crepidinem olim fenestras plures, variis locis, ex alto lumen infudisse, quæ lapsu temporis sunt obturatæ: sicque diu manserunt, donec Alfonsus I. Aragonum rex, provinciâ in potestatem redactâ, viâ faucibusque dilatatis perforari montis dorsum jusserit, duasque fieri fenestras, quæ lumen obliquum in mediam speluncam ex adverso nunc infundunt. Ampliavit restauravitque id opus Petrus Toletanus, cùm Caroli V. Imperatoris nomine re-

gnum

gnum Neapolitanum administraret. Exordium operis L. Lucullo, Basso, etiam Cocceio tribuitur.

Est quidam mons, uno milliari, ab urbe Genevâ distans, quem nonnulli non sine horrore conscendunt, per gradus arte plus quàm humanâ è rupe scissos, structos, & ferè innumeros. Sunt qui supremo gradui pedem apponentes, identidem à conspectu horrendi præcipitii regressi sunt. Viarum sternendarum Romani maximè curam gesserunt, inquit Strabo. Scaurus viam Æmiliam stravit, quæ per Pisas & Lunam usque ad Sabbatos, indeque Derthonē ducit: alia est Flaminia, Æmiliam excipiens: nam collegæ in Consulatu fuerunt M. Lepidus & C. Flaminius, qui devictis Liguribus, hic Flaminiam viam stravit à Româ per Etruriam & Umbriam usque ad Ariminum; ille deinceps ad Bononiam usque & inde usq; ad Aquileiam, juxta radices Alpium, paludibus in gyrum circumventis. Strata est per Sabinos via Salaria non longa, in quam Nomentana incidit apud Eretum. Sabinorum vicum, supra Tiberim, ab eadem portâ

tâ incipiens Collinâ. Nobilissimæ viarum sunt Appia, Latina & Valeria: de his Appia Latii partes maritimas pertransit usque ad Sinuessam: Valeria est, quæ ad Sabinos pertinet, usque ad Marsos: media est Latina, quæ in Appiam incidit ad Casinum urbem, distantem à Capuâ 19. stadiis. Incipit Latina à viâ Appiâ ad sinistram, ab eâ prope Romam deflectens, ac supra montem Tusculanum transit inter Tusculum urbem, ac montem Albanum, descenditque ad Algidum oppidum, & Pictas diversorium. Incidit deinde Lavicana, incipiens à portâ Exquilinâ, unde & Prænestina: relinqueus autem ad lævam & campum Exquilinum, procedit ad 120. & amplius stadia, appropinquans veteri Lavico, nunc diruto; quod & Tusculum ad dextram relinquit, & ad Pictas in Latinam viam desinit: abest is locus Româ 210. stadiis. Via Valeria à Tibure incipit, ducitque in Marsos & Corfinium, Pelignorum urbem primariam. In illis viis, & juxta illas multæ sunt villæ, multæ urbes & civitates.

CAPUT XXIII.

CANALES.

In Xantung eſt fluvius Jun, cujus alveus eſt arte excavatus. Incipit ingens hæc foſſa ad Boream Socien Civitatis, in ipsâ ripâ Crocei fluvii, ex quo undiquaq; advenientes naves in Jun fluvium deducuntur: Inde ad Cining uſque pertingit, mox ad Lincing civitatem, ubi in Guei fluvium aquas effundit. In eo canali, quia multis locis aqua pro majoribus navigiis tranſmittendis humilior eſt, ſupra viginti numerantur cataractæ, quadrato ſectoq; lapide ac egregio firmoque opere ſtructæ, relictâ portâ, navium capace, quam magnis craſſioribuſque aſſeribus claudunt, ac aquas detinent; mox illis, rotæ beneficio, ac machinâ, facili negotio ſublatis, & aquæ & navibus tranſitum dant, donec ad ſecundam cataractam, eodem ferè ordine ac methodo, atque ita porrò deinceps per reliquas tranſmittantur. In medio autẽ itinere, priuſquam ad Cining veniatur,

tur, ex lacu Cang, per cataractam omninò magnam, aquæ quantum volunt immittunt, ſimulque lacum, ne nimium effluat, aut fundum aqua deſtituat, in tempore claudunt: perpendiculum enim aquæ, in lacu, vicinâ adjacente regione altius eſt, quare intra exiguum terrarum ſpatium octo ut minimum Cataractæ ſunt, Tung Pa vulgò dictæ, quia nimium aquæ, ex lacu profluentis, prementiſque impetum ac pondus comprimunt ac ſuſtinent. Cùm autem naves ad lacum ipſum perveniunt, ne ipſum lacum enavigare cogantur, ad ripam ipſius lacus foſſam, ſeu canalem, utrinque aggeribus egregiè munitum duxêre, quò faciliter naves omnes tranſeunt. Sanè ſi hæc coram ſpectarent Aquileges, Architectique Europæi, viderentque, aut hujus aquæ ductus longitudinem, aut aggerum ſæpè denſitatem atque altitudinem, aut cataractarum ex mero ſecto lapide ornatum, ac firmitatem operis, haberent quo Sinicam mirarentur induſtriam, vixque ab aliâ natione tam naviter exanthlandos labores. Adſunt ad ſingulas Cataractas viri, quibus publico ære para-

tâ ſolutione, incumbit remulco alligatas naves protrahere, donec cataractas tranſierint. Intra ipſam metropolin Cinan lacus eſt Taming, ex quo canalis exiens, ad Choyng lacum tendit, qui etiam intra mænia eſt: Ex utroque hoc lacu, per totam urbem, egregio opere ducti canales, eam ubique navigabilem reddunt, imò & ad lacum Cioxan patet exitus, qui extra urbem. Peyun lacus ad Changkieu eſt maximus, piſcium copiâ, fructu Linkio, & Lien floribus abundans, de quibus ſuo loco.

In Suchuen, eſt To flumen ad Sifan, ramus ex Kiang quaſi derivatus, abſciſſusque; quem effodi juſſit Yuo Imperator, ut Kiang exundationes eluvioneſque impediret.

In Nanking, ad Sucheu, Ne naves per Tai lacum periculum ſubeant, aggeribus ſtructis ita eum coërcuerunt, ut foſſam, ſeu canalem effecerint, ex hac urbe ad Chingkiang uſque, ubi in ipſum Kiang prono alveo deſcenditur, ibique ingenti cataractâ hujus foſſæ aquæ ſuſtinentur, quam aperiunt clauduntque, prout uſus

aut

aut necessitas postulat. Bona hujus fossæ pars quadrato ac secto lapide strata est ad utramque ripam; ubi verò Ukiang versus ab hâc urbe patet iter, pons est lapideus trecentorum, aut plurium arcuum, per quem navium iter à Tai lacu separatur, & per eum, remulco trahentes navem, commodissimè ambulant: ideò enim extructus est, ne, si ventus cessârit, cogantur naves subsistere.

In Nanking, sub Sungkiang est ingens, ac undarum assurgentium mole spectandus. Canalis, arte, manuque excavatus.

Chingkiang urbs jacet ad ripam Kiang fluminis, ad ortivam partem canalis arte facti, qui in Kiang fluvium deducitur. Ex alterâ parte canalis, quà occidentem spectat, in ipsâ ripâ suburbium habet, nihilo ipsâ urbe aut infrequentius, aut minus. Lapidei pontes quidam urbem ipsam cum suburbio nectunt: superatis pontib. ac cataractâ, canalis in magnam sese latitudinem diffundit, & ex Kiang fluvio aquas, simulque æstum maris admittit.

Superato Kiang fluvio, ingens Catar-

acta occurrit ad castrum Quacheu, quæ canalis manu facti initium eſt, per quem ad nobiliſſimam urbem Yangcheu pervenitur.

Yangcheu urbem ſecant plurimis in locis Canales, aquâ dulci conſtantes, qui quatuor & viginti lapideis, ac plurium arcuum pontibus coronantur, quibus tamen minores magno numero non accenſentur. Extra urbem canalis arte factus, eam à ſuburbio ſeparat, quod ad integrum milliare Germanicum extenditur.

Piexe lacus eſt, ad cujus principium Caoyeu civitas ſita, ubi & arte factus canalis lacum ſubit, ex quo & ſuas haurit aquas: & ne naves lacum ipſum trajicere cogantur, ad illius ripam, ex quadrato lapide ſectoque canalis ſtructus eſt, ad ſexaginta ſtadia, opere ſanè magnifico, planèque admirando, cùm difficillimum ibi ſit vel conjicere, unde tot, tàmque ingentes lapides albi adducti ſint, quòd tota circumquaque regio montibus careat.

Catadupæ in canali urbis Hoaigan tres ſunt, at prima, Hoai fluvio proxima, difficillima omninò eſt. Ex eâ enim aqua,

qua, ingenti vi ac impetu decidit, ex altiori Hoai fluvio prorumpens, quem, ne totam subinde regionem circumjacentem obruat, magnis congestis aggeribus coërcent, Catadupâ insuper structä, quam Tiensi vocant, hoc est, è cælo volantem: quibus verbis ingentem illam aquarum vim, atque ex editiori loco præcipitem lapsum explicant. Ut naves hæc loca superent, maximæ sæpè sunt difficultates. Hinc aliquot centena virorum capita, regio stipendio ibi aluntur, qui in tempore præstò sint, ut remulco, rotarumque auxilio navem adducere possint: quamvis neque ita sine magnâ difficultate aquæ impetus vinceretur, nisi adductu sequentis aquæ, quoad fieri potest, detineretur, aliâ ibi extructâ Catadupâ.

In Chekiang, plerosque fluviorum alveos, à Boreali parte emanantes, ita ars humanis usibus accommodavit, ac si ab ipsâ naturâ ad id essent elaborati: difficulter intelligi potest, ac credi, quomodo ad id perficiendum vires humanæ sufficere potuerint. Viderē est, ut plurimum latissimas profundissimasque fossas, ad lon-

gissima terrarum spatia deductas, in utraq; ripâ quadrato sectoque lapide ab imo fundo munitas: pontes altiores, plurimis arcubus, sibi incumbens onus egregiè sustinentibus, adeòque per totam omninò provinciam, quà pedibus, quà navigio patet iter, quamvis tota innumeris propemodum minoribus insulis intersecta sit & divisa.

In Ningpo, ripæ secto lapide ad viginti stadia sunt septæ, ubi sub exitum, ne aqua in fluvium effluat, obex, per quem naviculæ in fluvium adducuntur.

In Jenping urbe hoc est singulare, quòd ad singulas ferè domos per canales ex montibus deductæ sint aquæ.

In Xaohing per canalem navigatur ad triduum versus ortum, ubi ripæ utrinque quadrato lapide firmatæ & ornatæ sunt. Exitus illius aggere lapideo obstructus, ne aqua omnino effluat, atque alveum deserat: ibidem ad adductum constituti, qui naves attollant, ac in canalem sequentem promoveant: per hunc ultimum parvis navigiis ad Ningpo urbem patet iter, dum majores naves mare trajiciunt.

Sinen-

Sinensibus opus, qui ex Mæno Canalem ducant supra Bibricium, ut monte ultra thermas perfosso, navigia reddantur infra acidulas Sualbacenses.

Istis opponamus Aquæductus Romanos, & quicquid istiusmodi nobis suppeditabit Europa. Frontinus ita: Diu Roma sine Aquæductibus fuit; ubi Tiberis, ac si qui fontes nativi erant, sufficiebant populo, sed nondum sic aucto. Urbe dein magnâ, plenâ; & cùm in collibus, procul à flumine, degerent, optimum rerum aqua, Pindaro, quæsita, & per tubos ac canales, in fornicibus lateritiis, Romam advecta. Id factum primò, anno Urbis 441. cùm Appius Claudius Censor, idem qui vias sternere instituit, hoc quoque bonum invênit. Ab eo est aqua Appia, per millaria circiter undecim deducta: Hoc initium: sed, Deus bone, quæ mox incrementa! Nam egebat sanè ille populus aquis; non solùm ad potum, sed ad balnea, ad fullonicas, ad naumachias & Circos. Atque ita ubertim inducta fuit, ut quisque domi, aut in vicino haberet copiam: scribitque Strabo, Flumina per ur-

bem & cloacas videri fluere, atque unamquamque domum propemodum habere fistulas, & canales, quibus aquam inducat. Et Plinius: Si quis diligentius æstimaverit aquarum abundantiam in publico, Balneis, Piscinis, Domibus, Euripis, Hortis, Suburbanis villis, spatioque advenientium extructos arcus, montes perfossos, convalles æquatas, fatebitur, nihil magis mirandum fuisse in toto orbe terrarum.

Jurisconsulti & inferior ætas, imò ipse Cassiodorus hos ductus vocant Formas: in formis Romanis, inquit, utrumq; præcipuum est, ut & fabrica sit mirabilis, & aquarum salubritas singularis. Quot enim illîc flumina, quasi constructis montibus perducuntur? naturales credas alveos, soliditates saxorum: quando tantus impetus fluminis tot seculis potuit sustineri. Hinc ipse Frontinus: magnitudinis Romani Imperii id præcipuum esse indicium. Si Procopio fides, quatuordecim fuêre in Urbem perducti, coctili laterculo, per priscos illos ædificati, eâ latitudine ac simul altitudine, ut vir eques

com-

commodè per eos possit incedere. Vide, an non verè alvei quidam fluminum dicantur, cùm tàm magnis, amplisque canalibus aquas vehant. Sed hæc altitudo, de ipsis modo est: quid arcus & fornices arbitraris? quos in quibusdam locis sublevatos centum novem pedes Julius Frõtinus observat. ô rem stupendam! & magis, quòd à tot milliaribus continuo opere, etsi non ubique sic alto, perducebant. Reperiuntur quidam à quadragesimo milliari perducti: & nempè per valles, per montes, per tot inæqualia, supra, infra terram. Hinc Rutilius:

Quid loquar aëreo pendentes fornice rivos?
Quâ vix imbriferas tolleret Iris aquas.
Hos potius dicas crevisse in sidera montes.
Tale Gigantæum Græcia laudat opus.

Sunt certè, aut videantur, opera Gigantum, an Geniorum aliquis dicat? & mens obnubilat architectis modernis, cùm vel reliquias paucas & ruinas vident. Extant juxta Sublaqueum Aquæductus Claudiani fornices, & ingentes pilæ sustentantes, quas Albertus Leander sedulò vidit, & scrutatus est. erumpit deinde in

hæc verba: Fieri profectò non posse scio, quin omninò incredibilis sit, nisi oculis usurpetur, operis hujus ratio admiranda. Nec enim majus quicquam excogitari posse humano ingenio arbitror, quàm quòd hîc Romani, effossis tanto spatio montium intimis visceribus, fecerunt. Ad quæ opera patranda nunc totus Orbis infirmus futurus videatur. Si quis Veterum hæc dixisset, inquit Lipsius, blanditus scilicet ævo suo aut suis fuisset: quid iste vir novitius? quid in talibus & curiosus unicè, & peritus? Loquitur autem de Claudii Aquæductu, cui Plinius hoc testimonii perhibet: Vicit antecedentes aquarum ductus novissimum impendium operis, inchoati à Cajo Cæsare scilicet Caligulâ, & peracti à Claudio: quippe à quadragesimo lapide, ad eam excelsitatem, ut in omnes urbis montes levarentur, influxêre Curtius atque Cæruleus montes. Erogatum in id opus sestertium ter millies.

Notabile valdè & utile, quòd in summos Urbis colles aqua inde & derivari, & dispensari posset, adeò in altum educta. Hoc ipsum Cassiodorus sic notat, Claudiam,

am, per tantam fastigii molem, sic ad Aventini caput esse perductam, ut cùm ibi ex alto lapsu ceciderit, cacumen illud excelsum, quasi imam vallem, irrigare videatur. De pecuniâ autem in id opus imputatâ, quæ Plinio facit septem Philippæorum milliones & semis, valdè miratur Lipsius, Budæum nutare & penè mutare. Per fidem, quæ causa est, inquit? imò augendi causa, si quis benè examinet: & planè, nisi aliqua militaris, aut servilis manus, ad opera damnatorum, ut Romanis mos, accessisset. Jure igitur exclamare ipsi videtur Frontinus: Tot aquarum, tam multis necessariis molibus, pyramides videlicet otiosas comparem, aut cætera inertia, sed famâ celebrata opera? quæ Plinius vera æstimatione invicta miracula, & quib. alius Orbis tàm æquo animo victum se à Romanis, quàm armis, fateri debet.

Numeravit Procopius aquæduct⁹ 14. P. Victor 20. Plini⁹ lac⁹ ait additos: Agrippa in ædilitate suâ, adjectâ Virgine aquâ, cæteris corrivatis atq; emẽdatis, lacus septingentos fecit, præterea salientes centũ quinq; castella centum triginta, complura etiam

cultu magnifica. Operibus iis signa trecenta ærea aut marmorea imposuit, columnas ex marmore quadringentas; eaque omnia annuo spatio. Omni laude dignum, principes opibus auctos, eas in publicum refundere, & gratiam gloriamque simul, operib. suis apud posteros, imperii sui propagare. At Plinius scripsit lacus septingentos ab eo factos: recte ab eo, q͡a plures longè fuêre in universum, nã 1352. Notitia Imperii colligit. Isti non aliud, q̃ aquarum, in publico receptacula, è quibus petere omnibus fas esset: etsi gratior, æstimatiorque è salientibus ipsis sumpta. Notat autem in Plinio Lipsius tot signa, tot columnas, ad ornatum lacuum, Salientium, Castellorum, atque ea ab uno Agrippâ, cùm alii priores & secuti eâdem ambitione ducti, eodem studio in populum flagrârint, quamvis non credat, benignius, & publicè utilius ingenium, non item modestius, & principe dignius, extitisse, exclamans ô virum Augusto Principe dignum! ô virum vel principatu dignum.

Atque alia etiam assidua multa impendia circa has aquas, quarum Curatores ab Au-

Augusto instituti, cum lictoribus, servis, scribis, librariis, accensis, praeconibus. Sed praecipuum, quòd familiae & homines certi ad tuenda haec opera, sumtu publico tolerati: Quod idem Frontinus ita prodidit. & Agrippam primò per servos privatos suos haec fecisse, eamque familiam Augusto morientem legâsse, Augustum deinde publicâsse, & deinceps mansisse: atque habuisse homines circiter 240. Erat autem & altera, inquit, familia Caesaris dicta, & numerus ejus 360. quam Claudius, cùm aquam in Urbem perduceret, instituit: addit, in utrâque varia ministeria fuisse, Villicos, Castellarios, Curatores, Silicarios, Tectores, aliosque opifices. adeò ut vel hinc perpetui homines sexcenti, ad Aquarum tuitionem inveniantur.

Ne scio, an Batavorum, in coërcendo mari minor sit perhibenda industria: Hollandiae, inquit Hadrianus Junius, & suae syrtes, quàm Caninam sylvam accolae nominârunt, quòd murmurantis maris fremitus, & undarum fragor perpetuis latratibus eum locum circumsonet & continuatis nocte dieque assultib. tundat, con-

vellat, dissipet. Cujus furori opposita surgit moles immanis, mortalium manibus laborata, quam verè Cyclopeam dicas, ardui montis caput superans, propugnaculum infirmum futurum adversum amnes illos, nisi assiduis operis confirmaretur, & cresceret semper decrescendo: quando mare illud prodigum, quod ludit, sub mole illâ depressum amplius, quàm quò telum, robusto lacerto excussum, adjici possit, cuncta aut haurit, aut absumit, aut in tempestate ejectat. Vidi namque ducenaria marmora pilarum instar fuisse evibrata, decumanis fluctibus in planiciem, moli subjectam.

Eam verò molem ordines palorum, inter se validè confibulatorum, altè depacti, & fistucis adacti, dissepiunt; spatia intermedia farcturis opplentur acervanturque; quæ constant immensi ponderis saxis aggestis. Anniversariæ fabrorum atque opificum operę assiduè illam communiunt, delectis viris ex optimatum numero, pro magistratu illîc agentibus: quæ trabes convehunt, saxa comportant, marmorum pondera moliuntur. Moles au-

tem illâ ad tria passuum millia, secundum mare, littoris loco exporrigitur, Cauri furori inprimis obnoxia, desinitque apud Pettemum, tribus milliaribus Almeriâ dissitum.

De firmissimis omnium aggeribus Medemblici, qui obices suo oppositu septentrionalis maris furiam excipiunt, nihil attinent dicere. Eos algâ, quæ maris ejectamentum est in proximo prætexunt: materiâ, ubi spissata consederit, tàm firmâ & solidâ, ut moles saxeæ vix densius firmamentum coagmentumve prębere possint; tantoperè illa sævientis maris proterviam respuit. Videre operæ pretium fuerit Delphorum portum, ubi perpetuus fossæ alveus, immensâ operâ ac labore, ne dicam nunc impensâ, ceu ad perpendiculum & lineam rectam ductus, qui viam navibus aperit ad portum; Opus esse Gotefridi Lotharingi, cui dorsi Nemesis nobile Gibberosi cognomen impressit; extra controversiam est, qui, non absque manifestâ tyrannidis repræsentatione, Hollandiâ totum fermè quadriennium possessâ, navali demum prælio à Theuderico, legitimo

timo principe ſuperatus, imperium inju-ſto titulo occupatum, amiſit. Is verò ut erat ſtrenuus bellator, & conſilii maturus, perſpectâ loci Naturâ, quam ſtabiliendis rebus ſuis peraccommodam cernebat, jaciendis eo loco urbis fundamentis animum adjecit, & metatis finibus condidit ante annos fermè ſexcentos.

Porrò Domitius Corbulo, principatu Claudii Cæſaris, ne miles otium exueret, inter Moſam & Rhenum foſſam perduxiſſe legitur, trium & viginti millium ſpatio, quâ incerta Oceani vitarentur, quod extat apud Tacitum libro undecimo; cùm ad Veſtmoſam alveus adhuc viſatur, abruptus aut interclusus, ut, quam in partem deflexerit, ignorationem ſpectantibus adferat. Sed eſt & oſtium Rheni, quod Druſo Neroni acceptum ferri debet, ſive illud in beneficii loco ponendum, ſive publicis inde rebus importatum detrimentum cauſabimur: quod utram in partem verè accipi debeat, in difficili affirmatio verſatur, quòd ignoremus, quæ eum cauſa præcipuè impulerit, cur foſſam deduxerit, quæ item locorum

eâ

eâ tempeſtate conditio fuerit. Quòd ſi conjectura adhibenda eſt, eam ad tres cauſas interpretatione licebit revocare, vel ad inſulæ munitionem, vel ad aquarum ſtantium derivationem, vel ad commoditatem bellici apparatus in externos hoſtes. Si igitur objectu novi alvei hoſtilem furorem paravit excludere, ut aliqui opinantur, næ ille ficulnum auxilium & invalidum comparare aggreſſus eſt, quaſi defutura fuerit hoſti materia in compingendis ratibus: ſin foſſam duxit, ut breviore viæ compendio, claſſem Oceano inferret adverſus hoſtes, utque auxilia, commeatus, impedimenta è Galliis, Rhenoque adjacentibus oris ſecundo amne defluerent facilius, Romanorum commodis, q̃ provinciæ quàm ſociorum rebus ſervivit magis, dum Bataviã, antea peninſulam, reſcindit, & à continente diripit.

At ſi paluſtri ac humili regioni, ſemper in ſtagni modum natanti, laborantique à gurgite & inundatione Rheni, quo minus exonerare aquas & liberare poſſet, conſulere voluit & mediri; jam certè dignus erat, qui in Olympiâ aureus ſtaret,

jam

jam eum iisdem eum Hercule augendum honoribus censerem, quòd, ut ille Acheloi, fluminis per Ætoliam, lævum cornu, sinuosis anfractib. regionem lancinans, ad moderationem revocavit, ductis fossis incilibus, atque eâ re Ætolos immortali beneficio cumulavit; ita & Drusus, modò is fuerit illi propositus scopus; aut si poscente necessitate, communem quæsivit utilitatem, in cælum nobis vehendus est. Sed vereor, ne dictura sit aliud Transiselana & Cisrhenana: Frisia, quarum fines adesi & consumti, hinc Rheno, illinc Oceano, in mare conversi sunt.

Antequam Arenacum (Arnheymum) usque descendat Rhenus ad duo passuum millia, fossa novi & immensi operis incipit, continuâ militari operâ, ne virtus otio relanguesceret, per Drusum facta, cui Drusianæ nomen fuit, teste Tacito: Eum Germanicus Cæsar ingressus cum classe mille navium post vota, Druso patri facta, lacus inde Rheni & Oceanum ad Amisiam usque flumen, præcipiti alveo & secundâ navigatione usus, perrectus fuit, ut ille scribit. Eandem aggere quoque munivit

vit anno à C.V. 746. sed inchoatum illud opus sexagesimo tertio pòst anno absolvit Paulinus Pompeius, qui exercitibus Neronis Principatu in Belgio præfuit. Scribit & Tacitus, Civilem cùm in Bataviam se recepisset, diruisse molem à Druso Germanico factam, & Rhenum, prono alveo in Galliam ruentem, disjectis quæ morabantur effudisse. Ea fossa continuat ad duo vel tria milliaria, Rhenumque, novi Iselæ nomine donatum, deducit præter Doesburgum oppidulum, fortasse à Drusi nomine dictum, quasi Drusoburgum. Monstratur enim Duisburgo vicinum Asciburgium, quà olim Rheni alveus fluxerit.

Haud procul Metis, prope pagum Xouy, in Mosella antiqui aquæductus sunt vestigia, ubi quantacunque est inter montes utrosque, qui ripas ambiunt, distantia, olim connexa fuerit, cùm arcuum adhuc restent multi, in medio flumine, ad ripam dextram, & in pago, nonnulli in domicilia versi sunt ex albo lapide, in laterum formam dissecto, (quin potius cæmento, quod tenacissimum Europæ laudat Erardus

dus Barloducensis, lateres compingente) Pontem vulgò vocant, sed latitudo exilis id negat: aquæductus etiam ex vineis eruuntur solidissimæ quandoque partes, sed neque lati, neque alti ultra tres pedes. Cùm autem altitudo juxta ripam pedum sit circiter 60. conjici potest operis moles, & arcuum altitudo in ipso fluminis alveo. Si quæ funduntur tormenta bellica, hîc periculum fit & artificis & machinæ. Sagaciores nobis persuasum eunt, Naumachiam celebratam haud longè ab ipsâ urbe, cui isti aquæductus inservierint, ex ulterioribus montibus præcipites hûc coacti: vicinis dicitur fossa serpentum.

Caput XXIV.

LACUS ET STAGNA.

Ad Nanyang urbem est mons Yu, qui inde celebratur, quòd habeat, sex supra triginta stagna.

Prope Kiun civitatem, est mons Vutang, qui præbet 24. stagna seu lacus.

In Quangsi, ad Queilìn, est lacus Si, qui

qui 70. occupat jugera, habetque collem In, ad insulæ modum efformatum.

Tai lacus, sub Sucheu, occupat 36000. jugerum terræ.

Sub Xincheu, in monte Locung, est lacus ingens, quem ad 100000. terræ jugera occupare scribunt.

Ad Chinkiang urbem lacus est Fusien, qui centies mille jugera occupat.

Yo fluvius descendit ex lacu Si, montis Jociven; cujus làcus magnitudo decem conficit stadia.

Ad Chaocheu est lacus Tung, & alter Si; uterque decem plus minus stadia occupant, sylvis, collibus, ædificiis amænissimi, ut à spectatoribus pictura potius, aliquâ arte facta esse dicantur, quàm temerè à naturâ efformati montes.

In Kiangsi, ad Nankang, est lacus Poyang, cujus latitudo circiter stadiorum quadraginta, longitudo trecentorum.

Sub Kingyang urbe est Hoama lacus; quinque ille & quadraginta occupat stadia.

Ad Siucheu lacus est, quinquaginta stadiorū longitudine, non ita multū latus.

Sub

Sub Cioking, ad Kien lacus eſt, qui habet in ambitu 60. ſtadia.

Ylung lacus, prope Xeping Civitatem, ſub Lingan, habet octoginta quadrata ſtadia.

Ad Ju civitatem lacus eſt centum ſtadiorum.

Cingyven lacus, ſub Queicheu urbe, continet centum ſtadia quadrata.

Tien lacus, haud procul Cin civitate, ad Ven civitatem, eſt centum viginti ſtadiorum.

Sub Lingan, prope Xeping Civitatem, lacus eſt Ylung, cujus circuitus centum quinquaginta ſtadia ſuperat: in quo tres parvæ inſulæ.

Ad Socheu ponunt Sinæ mare, ſeu lacum Cing, hoc eſt mare nigrum, idque centum & quinquaginta ſtadiorum.

Taipe lacus ad Hanyang urbem, ducenta habet ſtadia.

Sub Taiping eſt lacus Tanyang, trecentorum ſtadiorum.

In Junan eſt lacus Tien quingentorum ſtadiorum.

Jun-

Junmung lacus magnus nongentorum stadiorum, ad Tegan urbem.

In Nanking est lacus Cienli, mille stadiorum, cum lacu Tai continuus.

Ad Lieuyang est mons Taihu, qui in medio trium ingentium verticum habet lacum amplum, immensæ *profunditatis*.

Sub Tali est Tiençang urbs, ubi stagnum tantæ profunditatis, ut fundus in eo nunquam sit repertus.

Prope So civitatem, in monte Yeuking, lacus est immensæ profunditatis, qui suo ambitu stadium continet.

Sub Yenchi sunt duo lacus *salsi*, unde illis nomen: & ex iis plurimum conficitur salis.

Ad Ninghia duo lacus sunt, major unus, alter minor; in quibus, naturâ ipsâ obstetricante, sal producitur, nullo hominum accedente labore.

In Xansi est lacus Jeu, salsus & re & nomine, prope Civitatem Kiang majorem totus sallus, ut aqua marina ex eo in sal conficitur: ejus circuitus 140. stadia occupat.

Ad Xancheu est lacus Hungyen,

ita

ita dictus, quod sal rufus hîc conficitur.

Inter alios lacus minores est Tungmuen, ab aquæ pelluciditate dictus; quòdque nullus in eo nascatur muscus aut herba.

Sub Xaohing, prope Xing Civitatem, mons est Tanchi, ideo sic dictus, quòd lacus illius aqua, ad instar sanguinis rubeat.

In Peking, sub Paoting, profundissimus est lacus Vo, cujus aqua, injecto lapide, tota ut sanguis erubescit.

Ad Hengcheu urbem est lacus, aquâ profundissimâ plenus, sed viridi colore imbutâ: hanc ad Sinicum potum, seu vinum ex oryzâ conficiendum, aptissimam ajunt.

Prope Vuping est lacus Loxui, sive viridis aquæ, à colore viridi, quòd omnia, quæ illâ lavantur, eodem inficiat colore.

In Vucheu, urbis gymnasio est lacus He, hoc est, niger, ob aquæ colorem nigerrimum.

In Huquang, sub Vuchang metropoli, est mons Chung, ad civitatem Hinque, in quo

in quo lacûs nigerrima aqua, atramento similis visitur.

Ulum mons sub Niencheu, duos inter se vicinos lacus continet: unius aqua pellucida est, alterius semper turbida.

Ad Jensu civitatem, sub Honan urbe, lacus est, æstate frigidus, hyeme calidissimus.

Yen. lacus parvus, sub Chincheu civitate majore, hyeme totâ est in vertice calidissimus: huc advolant bis quotannis sylvestres anseres, cùm austrum & Boream petunt, idcirco lacus anserum dictus.

Sub Queite urbe est lacus exilis Chokin, qui inde laudem meretur, quòd circa eum plurimi serici panni textores habitant, aquæ illius pręstantiâ allecti, quâ sericum, filumque bombycinum lota hîc mirum acquirunt splendorem; inde lacui factum nomen, scilicet lotio pannorum Damascenorum.

In Suchuen, sub Chingtu metropoli, est mons Tienchi, prope Mien, in quo lacus, qui nec pluviâ crescere, nec siccitate animadvertitur pati decrementum.

Sub Linkiang, eſt lacus Funghoang, non admodum magnus, ejuſdem prorſus naturæ.

Ad Cin Civitatem lacus eſt Tienxui, ſive cæleſtis aquæ, quia ejus aqua multis medetur morbis.

Lacus in monte Tiencheu, ad Nanyang mirè morbis cardiacis medetur.

Mons Cingnien habet cavernam in Honan, in quâ ſtagnat aqua, quâ ſi piloſa pars quæcunque corporis lavetur, continuò glabreſcit.

Ad Chaoking, prope Sinhing, mons eſt Tienlu, cavernoſus atque horridus aſpectu: in eo ſtagnum eſſe ſcribunt, inacceſſum, cui ſi ex alto vel lapillus injiciatur, boâtus ac ſtrepitus auditur ad inſtar tonitrui; ac quàm mox turbidum fit cælum, ac pluvia decidit: inde Draconis ſtagnum dicitur.

Sub Tingcheu eſt mons Kin, qui habet tria parva ſtagna, quibus ſi crudum ferrum mergatur, mutatur in cuprum.

Chinchu ſtagnum, intra idolorum fanum, ad Nanchang, unionum lacus dictum: nam ſi ambulantes per illius ripam, durius

durius terram percutiant, quamprimum undique aquæ consurgunt ad instar unionum: quod an arte, an à naturâ proveniat, haud facilè dictu.

Jangco significat equi lacum; scribunt n. in lacu visum esse equum, Draconis formâ: unde lacui, urbi & fluvio nomen.

In Tungting est insula natans, in quâ etiam monasterium ædificatum: ita enim implicatæ, atque implexæ sibi mutuò arundinum & arborum radices terram sustinent, continuòque succrescentes retinent, nullum ut immineat solutionis periculum. Dicitur hic lacus ingens ad urbem Yocheu incipiens, ex inundatione factus; unde in eo adhuc non paucæ sunt insulæ, habitatoribus frequentes, in quibus etiam magnifica idolorum templa ac monasteria, cum ingenti sacrificulorum numero.

Tung lacus, ex ruinâ ingentis oppidi, & terræ hiatu productus dicitur.

Sub Kaocheu, ex vicino mari, uniones hauriunt incolæ, quæ piscatio hîc antiquissima est inter hanc provinciam, & Hainan insulam.

Sub Kiuncheu mare, quod Kiun Civitatem alluit, maris æstum, quod tamen in aliis vicinis locis commune est, non sentit; sed per dimidiam mensis partem versus ortum, per alteram dimidiam partem versus occasum fluit.

Ad Gucheu urbem est lacus parvus Go, in quo olim rex Pegao decem aluit crocodilos.

In Ningpo duo sunt lacus, alter Lunæ, alter Solis, & longissimis pontibus superantur.

In Xensi, ad Hungquan Civitatem, est lacus arte factus, deductis ex Guei fluvio canalibus, quem ad honestam animi relaxationem formavit, ornavitque Hiaovo Imperator, adjectis insigni palatio, sylvis, cultissimisque floribus; quo in loco, animi gratiâ, sæpè suis convivia, sæpè etiam Comœdias, aliaque spectacula exhibere consueverat.

Quenming, alius est lacus ab eodem factus, in quo milites suos subinde ludicrâ pugnâ, tanquam in Naumachiâ, pugiles instituebat, quò paulatim præliis navalibus adsuescerent. Cùm enim bellum in austra-

auſtraliores provincias meditaretur, ubi omnia navibus atque aquis abundant, ſuos ad certamina futura ludicris hiſce exercitationibus informabat, ut ibi non ſecus, atque apud Romanos militiæ ponerent tyrocinium.

Lacum ingentem alium ad auſtrum, ad amæniſſimum viridarium conſtituit, Silen vocant, quò poſt ludicra naumachiæ ſpectacula diverteret ad quietem: in eodem lacu ingentem ſtatuit piſcem lapideum, eumque ad inſtar ſcopuli ſub aquis erexit, firmavitque, ut cum ſuſque deque præternavigantes nautæ, ſcopulos ac brevia vitare diſcerent.

In Xantung, ſub Yencheu, ad Cao civitatem, lacus eſt Lui, id eſt, tonitrui: in medio illius eſt lapis, cujus corpus Draconem, caput hominem refert, quem ſpiritum tonitrui Sinæ vocant, ſcribuntque, pulſato illius ventre, vocem tonitrui emitti.

In Honan, ſub Caifung metropoli, ad occaſum, eſt lacus, ſeu naumachia Kinming, quam Sunga Imperatoria familia extruxit, ad navalium præliorum exerci-

tationem : in quâ Taiçungus milites egregiè probare fuit solitus. Lacus est planè amænissimus, multis palatiis & idolorum fanis spectandus. Ibi ubique erecta videntur marmora, poëtarum carminibus inscripta, in lacus laudem.

Ad Chingtu metropolin provinciæ Suchuen est lacus Naumachiæ, seu stagnum Yolung, quod Suio rex adornavit, pro militum exercitatione, cùm Chin regi bellum inferre constituisset.

Vanking lacus magnus ad civitatem Ta, habet ripas, sylvis, agris, floribus ac frugiferis arboribus plenas, pagis frequentes.

Prope montem Chepie insula est Sanhoa, Taye vicina; in quâ Cheuyvo, obtentâ à Çaocao victoriâ, convivia militibus instituit, mensas omnes floribus ornavit: inde nomen, sparsio florum.

Sub Chekiang, ad Hangcheu est lacus Si, inter quem & mænia via est strata lapidibus, septem stadiorum, deambulationi commodissima. Lacus quadraginta stadia suo ambitu complectitur, undique vel mænibus, vel montibus cinctus, in-

star

ſtar amænissimi theatri, ex quibus rivuli quidam ignobiles, ſuo quiſque alveo diſtincti, delabuntur. Circum ipſos montes fana, palatia, cænobia, Muſæa, ſylvæ, ſepulcra, hortique amænissimi ſpectantur. Ripæ lacus latissimis viis ſtratæ, quadratis lapidibus, atque intra ipſum lacum viæ ex eodem eductæ ſunt, relictis pontibus ad tranſitum navium, ita ut totus lacus etiam pedeſtri itinere luſtrari poſſit. Vias haſce utrinque arbores, ad lineam collocatæ inumbrant, perſicorum pomorum vel ſalicum ſunt, ubique podia, meniana, ſimiliaque pro deambulantium continent commodo. Neſcias ſanè, quid prius in illo laudes, naturæ ne, an artis, quæ naturæ opus auxit, aut ſuperavit potius, miram elegantiam. Aqua tota criſtallina omninò, ac pellucida eſt, ut in ipſo fundo etiam minutissimi appareant ſcrupuli: ubi circa ripas humilior eſt, Lien floribus contegitur. Ex lacu navibus non patet exitus, quòd per parvulos tantùm rivos aqua emittatur, quâ foſsâ ac canales replentur: in eo tamen quamplurimæ fabrefiunt naves delitioſæ.

In Quangtung ad Hoeicheu est lacus Fung, qui habet pontem lapideum, & circumquaque aggere lapideo clausus est, ne aqua effluat, relictis cataractis, quibus tantum aquæ emittunt, admittuntque, quantum necessitas, aut usus ad oryzæ campos irrigandos postulat. Decem habet stadia in circuitu, intus duas insulas, in quibus ædificia aliqua ad animi voluptatem extructa pro incolis, ad convivia & symposia celebranda: ripa omnis pulcherrimis arboribus, viridariis ac Musæis consita est ac conspicua: pons medium dividit, ab insula ad iusulam, & ad utramque ripam extensus.

Ad Paoking est lacus in monte Lung, inter quatuor æqualissimos vertices, ex quo duo rivi fluunt.

Sub Jungning lacus Lucu est ingens, in quo tres insulæ omninò æquales: earum quælibet collem habet, centum perticas altum.

Juencheu urbi lacus Mingyo veluti pro fossâ est, & intra ipsam urbem, per plateas, ubique navium patiens est.

Vansui lacus quadraginta stadiorum,

tan-

tanquam pro Urbis fossâ ductus efformatusque, cùm terra educta est pro urbis mœnibus replendis.

In Xensi, ad Sigan metropolin, septum est aqueum, seu vivarium, Viyang, undiq; muro clausum, suoque ambitu viginti complectens stadia, partem Lungxeu montis intercipit, & ad fluvium usque Guei pertingit, ex quo deducti canales, lacus, stagna, ludicrisque naumachiis exhibendis fluida theatra constituunt. Intra muros septem numerantur superba palatia, & septendecim aulæ seu theatra, tholo cooperta, ad variam animi voluptatem, remissionemque, per totum septi spatium structa: inter quæ septem reliqua & magnitudine & ornatu antecellunt.

Neque verò Europam suorum lacuum pænitet, quos innumeros nemo facilè descripserit; itaque potiores, adeòque singulariter nobiles indicamus. Refert Olaus plurimos insignes lacus esse in Aquilonaribus terris, magnitudine & situ mirabiles, quorum præcipuus fit in regione Vestro Gothorum Vener dictus, 130. milliaria Italica in longitudine, & totidem

ferè in latitudine habentem : qui in multas variasque divisus insulas, & vastis illabentibus fluviis, iisque maximis oneratus ultra 24. unum solummodò exitum contineat. In hoc lacu & circa hunc plures sunt magnificæ ædes nobilium : quarum præcipua est arx Leckio, in altâ rupe, operâ Episcoporum Scarensium fabricata; puteum habens saxo durissimo incisum, super altitudinem ducentorum pedum. Incisio hæc facta non ferro tantùm, sed & flammâ trecentis porcorum pinguissimis lateribus, igne per successivos dies immisso & extracto enutrita. nil enim celerius petrarum duritiem gentibus illis penetrare compertum, quàm laridum, vel axungiam porcellorum. Est præterea lacus alius Vether dictus, adeò claras & perspicuas aquas habens, licet virenti colore conformes, ut obolus in profundo situ videri possit. Sunt & lacus recentis aquæ in montibus Lapponiæ, longitudine 300. milliarium Italicorum, 120. latitudine; præterea alia multa collateralia stagna, & lacus paulò breviores ac latiores, adeò piscosi,

ſcoſi, ut in totâ Europâ, ne dicam orbe integro, vix habeant pares.

Prope oppidum Bejaram in Hiſpaniâ lacus eſt, non minus utilis, quàm admirabilis, qui & turtures, piſces ſubnigros & excellentes gignit, & futuram pluviam turbinemque magno aëris ſonitu prænuntiat; adeò ut ejus murmur, quaſi tauri mugitus, ſæpenumerò ad duodeviginti millia paſſuum fuerit auditum.

In ſummo montis Stellæ cacumine lacus eſt quidam, in quo fragmenta navium ſubinde reperiuntur, cùm tamen à mari plus 12. leucis abſit: exæſtuat etiam, & tempeſtates ibi audiuntur, quoties intumeſcit mare.

Lacus Lemanus habet hoc proprium & peculiare, quòd flante nullo in ſuperficie vento, facilè idque admodum ſubitò turbetur, ſæpè non ſine navigantium periculo, motus ab interiore aliquo, quique in imo lacus fundo latere perhibetur, vento. Hunc lacum apud pagum Novam Villam ingreſſus Rodanus, ſervato ferè colore, aqua autem fluvii limpidâ pellucidaque eſt, cùm illa lacus ſit craſſior & à

terrenâ fæce impurior, colorisq; cinerei, utique viridiore permeat, & ad Genevensium oppidum egressus, rapido cursu pergens in mare Mediterraneum erumpit septem ostiis. Agit autem se per medium integer, quantus venit, nusquam aquis miscetur externis. Arva fluvius est, qui Rodanum ingreditur, centum circiter passus emensum, postquam è Lacu Genevensi exiit: est autem tanta ejus fluvii, seu verius Torrentis vehementia, tantaque rapiditas, ut Rodani alveum ingressus, multos fluat passus antè, quàm ei misceatur; ita ut duo flumina juncta quidem, sed nullo modo mixta, eodem labantur alveo: quin non rarò contingit, ut nivibus liquefactis auctus ille fluviolus, Rodani cursum impediat, qui tum cogitur ad lacum regredi. Id maximâ cum omnium admiratione contigit famoso anno 1572. adeò ut pistrina Genevensia, Rodano inter lacum & Arvæ confluentem imposita, horarum aliquot spatio contrario motu moverentur, ac molerent.

Miraculi loco memoratur *lacus Pilati*, in monte, quem fractum vocant, haud

pro-

procul Lucernâ Helvetiæ, penè in summo montis jugo, palodinoso solitarioque situs, sylvis undique circumdatur, ne scilicet à quoquam irritetur. Ferunt enim, quæ in eum de industriâ injiciuntur, maximas ciere tempestates, omniaque undis opplere, qui sæpè tentârunt & experti sunt: quæ verò casu incidunt, nihil adferre periculi. Locus est visu horrendus, aqua suo alveo inclusa, nec exitum habet, nec flumen in se recipit aliquod, nec nivibus, nec pluviis augetur: Vento etiam minimè agitatum, quin semper sui similis suas tuetur undas nigras; nec fas est peregrinis eum adire locum, ne temerè quid injiciant, unde vicina periclitetur regio.

Trasumenus lacus Campano teste, in suo ambitu complectitur circiter triginta passuum millia: lucidus est & perspicuus, nec alienas recipit aquas, nec refundit suas. Insignis aquæ est suavitas, adeò ut vivo manare fonte videatur. tribus insulis adornatur: earum duæ sibi ferè contiguæ ad septentrionem vergunt, & Major & Minor dictæ: hæc inculta & deserta, templũ tantum fert in acumine; illam ducentæ

propè familiæ inhabitant. Incolæ solis ferè piscationibus indulgent, frumentum vix serunt, vinetorum plantatione & curâ non neglectâ, lignatum pabulatumque in finitimos Campos sylvasque egrediuntur. Piscium genera in lacu non multa, copia tamen inaudita, præ cæteris Italiæ lacubus: Piscatio fit toto anno, etiam ipso Brumæ tempore, quod nullus alius admittit in Italiâ lacus. Lucius ibi capitur vario colore, & q; viridibus aspersus maculis, unde fama, eum coire cum serpentibus.

Uno à Tibure milliario lacus est, cujus aquæ sulphureæ, in quo insulæ natantes hodie spectantur cum capris & vaccis ibidem pascentibus. mirantur insolentiam Adcolæ, non Batavi, quibus magna patriæ natat pars cum oppidis, pagis, vicis, incolis, viatoribus, animalibus, arboribus, frugibus, & quibus non?

Velinus lacus, modicus est, præcelsis cinctus montibus: nam collibus editiorib. undiq; munitur, quanquam in præcelso montium jaceat jugo: aquas habet claras, saxum tamen, per quod exoneratur, ita quandoq; excrescit, ut id ferro expurgari

fit-

sit necesse, quo semper exitus illi pateat, neve per vicina loca super stagnet. Ligna circum eum in agris lapideo cernuntur obducta cortice: adfirmant, qui adhabitant, lignum in eo defixum intra paucos dies lapide circumdari.

Duo in sinu Bajano Campaniæ contra Puteolos sunt lacus, Avernus & Lucrinus: unde propter uberes piscatus amplissimum vectigal percipiebatur: aliquando tamẽ marinis undis, impetu nimio intrantibus, & eâdem celeritate refluentibus, abduci cõtigit piscem, & vectigalia deteriora fieri. Hac de causâ publicanis orantibus, ut provideretur, Julius Cæsar eò mittitur: ab eoq; toto negotio perspecto, brachia duo jactis aggerib. ducuntur, quibus æstus marinorum fluctuum arcerentur: angusto tamen ostio relicto, per quod in Avernum Piscis convenire posset, fluctus ingruere non possent: proinde opus id Julium appellatum.

Ad pedem altæ rupis, quà lacus Aniani cigitur, haud ꝓcul ab ipsis aquis scrobs apparet, in rupem excavata modicè, nec lata profundave multum; posito signo

præ-

præmunita, ne quis eò propius accedat, quòd exanimati repentè concidant ultrà procedentes, uti injectis ſæpè animalibus compertum fuit, & nos etiam (Leander) oculis vidimus. Collapſum tamen intus animal, ſi protinus educatur, aſpergine ex ſtagno aquæ vitales ſpiritus recuperat: ſed auxilium eâ in re vel quavis aliâ nullum, ſi commoretur pluſculum. Accolæ Carolũ VIII. Galliæ regem, cùm Alfonſum Aragonium regno Neapolitano pepuliſſet, aſinum injeciſſe narrant, qui ſtatim expiraverit. Ego puto, vapores noxios & graves hinc ex abditis aut ſulphuris, aut aluminis, aut ſimilis cujuſq; metalli venis, ꝑpetuò ſub orientes, eò vehementiores intentioreſq; eſſe, ꝙ conſpiſſati per anguſtum hîc ſpecũ exhalentur: quapropter cũ vitales animalium ſpiritus ſubitò comprimant atq; ſuffocent, iis in lacum mox immerſis vigorem priſtinum reſtitui exiſtimamus, tanquam alto ſomno obrutis, quem repentina excutiat aquarum adſperſio; mora v. morte prorſus finiat.

Ad finem ruinarum propè Puteolos Sulphuraria eſt, locus à conditione & na-

turâ

turâ sic dictus, unde velut è fornacib. exhalationes cum ingenti fremitu ꝓficiscũtur: Plinius hos ab antiquis Campos Phlegræos ait appellatos. loci naturam planè mirabilem scribunt, qui inspexerunt: primùm aream habere, ovi formâ prælongiorem; extendi n. fermè pedes 1500. sed in latum non amplius 1000. patere: undique perpetuis altisq; collib. ita, tanquam opere, conseptum, ut aditum unum, quà spectat Puteolos, tantùm habeat: solum areæ totum sulphure vestitũ esse, sponte ibi nato; ideoq; & incessu crepitare, cũ sit cavernosum, uti vacua contactu solent omnia. In fine latam fossam, verius rotundam, q̃ formæ cujusquam alterius, adparere, aquę nigræ spissæq; plenam, quæ perpetuò fervet, magnâq; vi fumos ingentes emittit: de eâ non solùm vulgi famam, sed experientiâ quoq; compertũ esse quicquid immergatur, ꝓtinus educi coctum, nunquam tamẽ non aliquâ parte deficiente. Adserit apud Leandrum Hieronymus Linus Bononiẽsis, se, quaternis in eam immissis ovis, tria tantùm eduxisse. Addit Leander, aquam non semper eodem in loco, nec æquali

ma-

magnitudine, consistere: se enim post annos decem, cum iterum illuc proficisceretur, parte fermè tertia minorē, quàm primâ vice conspexisse; ejus rei causam, spissitatem aquæ esse; concrescentibus enim sulphure ripis extremis, imminutionē variationemque contingere.

Albuneus, Albulæ aquæ, Anien, vi quâdam suâ naturali, non solùm consolidant & adglutinant corpora quævis, verùm etiā virgulta, ligna, folia, herbas, aliaq; solidiora, quæ perfluere cōtingit, cortice lapideo sensim obducunt. Quin & in agro Tiburtino, circum Anienem, scopuli cautesque seculorum seculorū successu ex aquis concreverunt; in planicie v. lacus atq; paludes multis in locis, in solidū lapideumq; solū.

Author est Martialis, Anienis aquâ ebur ablutum candorē accipere, similiterq; dentes humanos. Boves Clitumnum amnem potantes, albos enituntur vitulos. Crathis capillum efficit clarum, uti è contra nigrum reddit Busentus. sic serici fila, Crathidis aquis abluta album; si Busenti, fuscum sumunt colorem.

In Tusciâ, prope Vicum Abbatiam,

inter

inter Florentinorum & Senensium fines, bini visuntur lacus, intervallo jactus sagittæ disjuncti: unus habet aquas clarissimas, sed fūdo dicitur carere; alter paulò minor, aqua nigra atramenti instar, pariterq; vado incomperto est, totus priori contrarius, quoniam injectum lignum extemplo in imum rapit, ut porrò non appareat; piscib. omninò carens. Propè Charoneas Scrobes in Campaniâ lacus est, undiq; ripis altissimis, instar amphitheatri, conclusus: fūdum in eo deprehendi non posse etiā Boccatius est testis: Nihil præter ranas quicq̃ generat. Ad septentrionem præcelsam habet rupem, totam saxo vestitam, ex quâ primo vere tot serpentium convoluti globi decidunt, & in aquas magno cum impetu provolvuntur, ut absque vehementi admiratione spectari nequeant: quanquam autem magna pars in lacum delabatur, nullam tamen omninò conspici, ac ne signum quidem aliquod, postquam aquas subierunt, locorum confirmant accolæ.

Amnis in urbe Samnitium Telesia nascitur, tâm frigidus, ut nullum generet piscem. Anienis aquas tradit Pausanias, eâ

est

est naturâ, ut ad primum contactum gelidissimæ, mox paulatim calescere videantur. De Bajanis Plinius: Aquæ nusquam largius, quàm in Bajano sinu, nec pluribus auxiliandi generibus.

Lacus habet Burgundia ingentes & mirabiles: inter eos non postremi loci, cui à voraginib. nomen: mirum ludentis naturæ opus. Super n. aquâ fit limus, qui adeò durescit, ut Continens videatur; super quo tamen Equites currusq; securè non ambulant, sed soli Pedites. Is cælo pluvioso & nebuloso non emergit, nisi serenitas sit futura. tunc per foramina brevi tempore auctus totam Columbanem planiciem rigat. Inter Nozerethum & Ripariam alius est lacus in Bonvalli, lupis, parcis & aliis piscib. abundans; qui septimo quoq; anno in aliquot hebdomadas suffugiens & delitescens, iterum emergit.

Benacus lacus in Italiâ, amænis & dulcibus aquis, fluctib. & fremitu marino, crebrasq; tempestates movet. Alter etiam in Italiâ Fucinus, Marsis vicinus, aliquando usq; ad montana crescit; interdum rursus decrescit, rusticisq; agricolationem reddit,

mer-

mersaq; renudat loca. Sed à naturalib. redeamus ad artificialia, quæ in hoc genere Sinis palmam præripuerint, nempe Naumachiæ & Amphitheatra, quorum operum imitamenta passim fiebant per provincias, uti rudera per Galliam & Hispaniã subinde testantur: ne viderentur Præfecti illi abesse à patriâ, sed in ipsâ versari Româ.

Post triumphum ludi populo exhibebãtur, interq; illos Naumachia, primò sine sãguine, mox per gladiatores acta, cruentatumq; mare. Romani à Græcis, quorum simiæ fuerunt, maritimæ exercitationis modum desumserunt. Achilles n. simulacrum navalis pugnæ cum reliquis Achivorũ ducib. exhibuit, si maritimũ certamen immineret, primum rudimentum. Peninsula est ad Boristhenis fluminis ostium, in Euxinũ Pontum, longo quidem, sed impedito flexu excurrens, circa actæ velis remisq; rates, præmiumq; propositum illi, qui metã primus circumactam tenuisset: mox concurrerunt naves in duas contrarias classes distributæ; ex hoc insulæ nomen mansit Dromos, sive leuce, id est, cursus Achillis; & quia cum Achille cæteri Græcorum Du-

ces

ces concurrerũt, aliâ appellatione, Herorũ peninſula vocata eſt. De ſimili maritimo curſu elegantiſſimè Virgilius, lib. 5. Æneid

Illud quoq; elegans, & ad privatas delitias, ꝙ apud Sidonium Apollinarem reperitur: quaſi in Circo equis, ſic in mari metas fuiſſe, quas naves circuirent & tererent, etiam in privatis domibus. In Abitaco ſuburbano apud Arvernos Sidonius ipſe locum habuit, in cujus medio brevis inſula: ubi ſupra molares naturaliter aggeratos, ꝑ impactorum puncta remorum, trita navalibus meta ꝓtuberabat, ad quam ſe jucunda ludentum naufragia collidebãt. Sic antea in Circis circa metas pro curribus triremes, per canales inductâ aquâ, circumtortæ; præmio illi propoſito, qui per obſtacula ſervatâ navi, prior in eum locum rediiſſet, unde cum cæteris exierat.

Alia fuit exercitatio Duillio & Cornelio Coss. cùm primùm claſſem extruxiſſent Romani, & omnis multitudo ad navigium exercebatur, ſedibus in arenâ per ordinem diſpoſitis, in quibus remiges inſidentes, ad vocem præcipientis, nunc remos agitabant, nunc remittebant, ut mox in undis

novæ

novæ artis experimentum facerent. Longo post tempore, stationariis classibus ad tutelam Imperii stabilitis, sæpius in anno, cùm quies erat, classes illæ fictâ pugnâ certabant, nunc mixtæ, nunc separatæ, eminus, quominus, ordinatè, confusè. Hæc exercitatio nautica mirum in modum aucta fuit ad voluptates & securitatem populi Romani. Surrepsêre deinde deliciæ securitati, conversioq; facta est ad spectacula admirationis & risus.

Domitianus, finito navali prælio in Naumachiâ, ad lichnuchos Leandri amores repræsentavit, ita tamen, ut iste natator Leander meliore fortunâ, ludo suo & fictitiis amoribus supervixerit. Hic n. qui ad Herus lucernam de turri fulgentẽ, histrionicè Leandrum agendo, per commotas Amphitheatri undas ꝓperaverat, incolumis rediit, in Domitiani aquis securus, cũ verus Leander mari perierit? Exactâ hâc fabulâ, in fluctu, turba natantium Deorum Dearumq; habitu, ad tubarum concentũ, velut in solido, aut theatro, figuras ita finiit, ut ipsa in aquis hærentium, aut sese per certas vices, & saltus moventium dispositio,

tio, nunc formam fuſcinæ in aquis repræſentaret; nunc priore figurâ conturbatâ, anchoræ ſpeciem effingeret; nunc etiam compacto ordine & connexo, triremem figuraret, aliis ſuper alios aſcendentibus, quibus illi malum & antennas referrent: turgidis verò vento veſtibus, vela duplicique lumine, quod criſtallo incluſum & ſublatum, Caſtoris & Pollucis amica navigantibus numina. Hinc Martialis

Luſit Nereidũ docilis chor⁹ æquore toto,
 Et vario faciles ordine pinxit aquas.
Fuſcina dente minax, nexu fuit anchora curvo:
 Credidimus remum, credidimuſq; ratẽ.
Et gratum nautis ſidus fulgere Laconum,
 Lataq; perſpicuo vela tumere ſinu.
Quis tantas liquidis artes invenit in undis?
 Aut fecit luſus hos Thetis, aut docuit.

Venationem deinde Domitianus in aquâ Naumachiæ populo dedit. Edoctæ per manſuetarios feræ natantes pugnabant in undis, velut in arenâ. Currus quoq; lembis impoſiti cum equis, putabãtur natare, impellentibus remigib. lembos, in quib. occultabantur. Volitabat Neptunus in curru, ar-

armat⁹ fuſcinâ: Volitabat & Nereus, equo inſidens, findebatq; fluctus, dum claſſes pugnaturas diſponebat, Tritone claſſicū inauditum meditante. De hoc idem Poëta:

Auguſti laudes fuerāt committere claſſes,
  Et freta navali ſollicitare tubâ.
Cæſaris hæc noſtri pars eſt quota? vidit in undis
  Et Thetis ignotas, & Galatæa feras.
Vidit in æquoreo ferventes pulvere curr9,
  Et domini Triton ipſe putavit equos.
Dumque parat ſævis ratibus fera prælia Nereus,
  Abnuit in liquidis ire pedeſter aquis.
Quicquid & in Circo ſpectatur, & Amphitheatro,
  Dives Cæſarea præſtitit unda tibi.
Fucinus, & pigri taceātur ſtagna Neronis;
  Hanc norint unam ſecula Naumachiam.

Sic aquâ per tubos & canales emiſſa, repleto Amphitheatro, poſt gladiatores, venationes, & ludicra ſpectacula, tandem pugnam navalem Domitianus dedit, teſte Suetonio, penè juſtarum Claſſium, effoſſo & circumducto, juxta Tyberim lacu, atq; inter maximos imbres nivesque ſpectavit.

Non solùm omnes ferè, qui pugnaverant, mortui sunt, sed etiam multi ex spectatoribus, nemini n. permisit abire ex spectaculo: & quanquam ipse penulam mutaverit, tamen cæteros nihil mutare passus est.

Sub Julio post triumphos de Gallis, Alexandriâ, Ponto & Africâ, Tyria classis cum Ægyptiacâ conflixit: in utraq; remigum erât quatuor millia, pugnatores mille. Ante Julimur, M. Scaurus Romæ Ædilis in Euripo temporario ostenderat hyppopotamum, & quinq; Crocodilos. nondum aquæ cruore gladiatorio maduerant: Imperatores invenêre, sanguine inter undas emisso, voluptatem populo facere. Naumachiæ Julii Cæsaris locus in Campo Martio, qui eo mortuo, ex Senatus consulto terrâ oppletus est.

Augustus simulacrum Actiacæ pugnæ, circa Tyberim cavato solo, edidit, ubi postea Cæsarum nemus fuit; Quæ ratio moverit tantum principem producendi Alsietinam aquam, non satis compertum, nulliꝰ gratiæ, imò & parum salubrem, & nusquam in [illegible]us populi fluentem: nisi fortè, cùm opus Naumachiæ aggrederetur, ne quid salubrio-

lubriorib. aquis detraheret, hanc proprio opere perduxit, hortis subjacentibus, & privatorum usibus, Trans Tyberinam ad irrigandum comesit. Ibi in Camplum Flaminium undas emisit, ubi triginta sex crocodili occisi. Caligula multa spectacula exhibuit in septis, excavato eo loco, & aquâ repleto, ut unã navim introducere posset.

Claudius emissurus Fucinum lacum, Naumachiam antè commisit: sed cùm proclamantibus Naumacharris, *Ave Imperator, morituri te salutant*, respondisset, *Ave te vos*: neq; post hanc vocem, q. veniâ datâ, quisquam dimicare vellet, diu cunctatus, an omnes igni ferroq; absumeret, tandem è sellâ suâ prosiliit, ac per ambitum lacus, non sine vacillatione discurrens, partim minando, partim adhortando, ad pugnam compulit. Hoc spectaculo classes Rhodia & Sicula concurrerunt, duodenarum triremium singulæ, exciente buccinâ, Tritone argenteo, qui è medio lacu per machinam emerserat. Viginti millia pugnantium erant, Fucino lacu, & Lyri amne undiq; ratib. cincto, ne quà pugnaturis effugiũ esset.

Nero populo epulum dedit intra naves,

in eo loco, in quo ab Augusto bellum navale confectum fuerat. In stagno Agrippæ fabricatus est ratem, cui superpositum cōvivium aliarum tractu moveretur: naves auro & ebore distinctæ erant. Sparsa & populo missilia omnium rerum per plures dies, singula quotidie millia avium, cujusq; generis, multiplex penus, tesseræ frumentariæ, vestis, aurum, argentũ, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, jumenta, atq; etiam mansuctæ feræ: novissimè naves, insulæ, agri, Quod per tesseras fiebat ligneas & quadratas, in quib. aut dictarum rerum figuræ erant, aut saltem nomina. His q dictas tesseras, ut erant in publicum sparsæ, occupaverant, quicquid aut insculptum, aut denominatum fuerat, dabatur.

Exhibuit idem Nero & Naumachiam marinâ aquâ innatantib. belluis. Cæterùm cùm post Neronem bella ob Imperium gererentur, & brevis vita Imperatorum esset, periêre populo supradictæ voluptates, quas Titus, delitiæ Romanorum, cæteris Imperatorib. pacatior, resurgere & reviviscere jussit: dedit n. in veteri Naumachiâ prælium navale, & gladiatores, etiam theatrum

trum repentè complevit aquâ, & introduxit equos & tauros, aliaq; domestica animalia, edocta in ũdis ea omnia facere, quæ solita erant in arenâ. In amphitheatro quoq; suo, populo Naumachiam exhibuit, divisitque triremes omnes in classes duas, sub nominibus Corsireorum & Corinthiorum. Antea & similia spectacula ediderat, statim ab eversione Hierosolymæ, in urbe Cæsareâ & Beritho, ob natalem diem patris Vespasiani.

Aurelianus triumphatis Zenobiâ & Tetrico, Naumachiam ludis addidit. Severus navim in Amphitheatro exhibuit, quæ capere posset feras quadringentas: quâ occultè solutâ, exiliêre ursi, leones, potheræ, struthiones, onagri, bissontes. Istius navis figura in numis æreis argenteisque Severi videtur, cum hac inscriptione, *Lætitia temporum*. Edidit idem Imperator Naumachiam & gladiatores.

Carinus venationem in Naumachiâ exhibuit, terrestribus animalib. cum vitulis marinis & hippopotamis commissis, qui cãpæ & epirotæ dicuntur. Ludos seculares Philippus Imperator hippopotamis exhibitis

 bitis

bitis finiit. Ediderat antea Heliogabalus Circenses navales, in Euripis vino plenis. Erant autem Naumachiæ lapide grandi constructæ, & permanserunt diu incolumes, vel etiam hodie nescio quid ruinarum ostendentes, & sese adhuc vendicant ab annorum injuriâ.

Vadianus & Mela tradidêre de Lucernæ Helvetiorum lacu, si quis in eum lapidem, lignumve, aut quidvis injecerit, sponte lacum fremere atq; intumescere adeò furenti impetu, ut è marginib. effluat, & inundatione, agris satisq; perniciem afferat, rebus quibuscunq; obviis correptis: quòd si casu aliquo, non deditâ operâ, aliquid incidat, lacum non furere.

Est in Ostrogothorum regione lacus Vecher, porrectus in longitudinē 60000. passuum, patens in latitudinem 20. Is hyeme adveniente, cùm incipit congelascere, statim vento, fluctib. ac velut mugitib. fragoribusq; magnis commovetur, deinde sedatur, cùm gelu omnem superficiem constringit. recedente hyeme, mense Aprili, jam aëre tepente, cùm jam instat glaciei dissolutio, magno fragore ab ipso imo la-

cus

cus ebullire aqua incipit, absq; ullo tepore caloreve: tum ilicò tota glacies scinditur, quibus è rimulis evaporante spiritu, atque aëre occluso, universa compago glaciei in minimas portiunculas dividitur, ac q. conteritur in perexigua frustula ac glebas. Totaq; res adeò brevi intervallo conficitur, ut si quis viator lacum peragret, nulla spes sit salutis, nisi in solo Deo. Sic spiritus conclusus tumultuatur, uti tonitru in nubibus; & suscitatur sive à sidere, sive ab aëre immutato & omnia penetrante.

Lacus proximè Nidrossam habet aquas in superficie frigidas, uti reliqui: sed lutum quod in imo est, fervet adeò, ut prohibere gelu videri possit. nam si fune obsonium ad imum demittatur, extrahitur excoctum quin etiam assatum, teste Olao. cui prorsus similem facit illum in Gothiâ meridionali, prope Vessonam urbem.

Reatinis paludibus hoc proprium, ait Isidorus, ut ungulas contactu suo durent. In Poloniâ est lacus Biale, albus per antiphrasin dictus, quod ejus aqua Aprili & Majo fuscos reddat lavantes. Est ibidem Crinice, qui certis temporibus altero vel tertio quovis

anno cum mugitu fluctus attollit: exhauritur prope usque ad fundum, aquis vicini montis cavernas subeuntibus, & piscibus penè in sicco destitutis.

Bocatius refert, lacum Guferum Britanniæ, piscibus abundare, quamdiu piscatio omnib. libera permittatur; & sterilem se præbere ad inhibitionem: Sic non semel fontes salutares evanuêre, ubi avaritia tantillum telonii imponebat.

Linsiguna lacus in Cambriâ, Britannicâ Insulâ, prope Sabrinum flumen, ingentes maris æstus excipit, at nunquam augetur, ut margines excedat. dein cessante maris æstu, reddit eructans, instar montis, acceptas aquas mari, ripas suas aquis tegens atque alluens. Mirum hoc ibi accidit: ii, qui faciem ad lacum vertunt, dum hujusmodi aquæ redduntur mari, à lacu trahuntur merguntur que; at qui à lacu aversi terga vertentes, ad mare prospectant, tametsi aquis obruantur, omnis periculi sunt immunes, ut Bocatius scribit. Idē ait, Tarquiniensis Etruriæ lacum propterea admirandum esse, quòd duo magna circūferat nemora, nunc triquetram facientia

figu-

figuram, nunc rotundam ac circularem, sic undis impellentibus : at nunquam ibi visam esse formam quadratam.

De lacu, qui per annum sæpè repleatur, mox etiam exiccetur, sata tamen in humo solove etiam post inundationem ad maturitatē ferat, adeò ut messis, piscatio, venatio & aucupium eâdem in areâ contingant, ita Georgius Vernerus: Est in Carnis, finitimâ Histriæ regione, depressa vallis, in lacus formam, ad sesqui milliarium longitudine patens, ac paulo minus latitudine. Quicquid aquarum à proximis montibus, qui locum ambiunt, derivat, absorbetur septem scrobibus saxeis, in ipsâ valle à naturâ adeò probè formatis, ut hominum arte fabrefactæ videri possint: lacus admirandum in modum & oppletur & exiccatur. Nā cùm redundatione scrobes ipsæ nimium oppletæ fuerint, non modò non admittunt supervenientes aquas, sed quas jam acceperunt, regurgitando evomunt, tantoq; impetu ac celeritate effundunt in campum, ut eques quilibet concitatissimè properans, refluxum illum effugere non possit; tantumq; aquarum emittunt haustū

à terræ viſcerib. ut vallis illa tota, quæ pleriſq; locis ad decem cubitos alta eſt, & ubi minimum, æquat juſti hominis altitudinē, tot paſſuum millib. oppleatur, magnâ etiā cum piſcium affluentiâ. At mox tanta illa aquarum copia, non ē ſcrobibus tantùm, verùm etiam à ſolo ipſo, velut ſpongiâ ebibitur, & velut cribro fluens evaneſcit. Quod ubi agricolæ animadverterunt, agminatim advolant ad piſcationem, quæ maxima & perfructuoſa eſt. Siccato lacu, ſata perveniunt ad meſſem, & rurſum ſata fiunt, antequam inundationes accidant. Graminis adeò ferax eſt illud ſolum, ut poſt vigeſimam diem ſecari ſoleat.

In Dacia lacus eſt ripis undecunq; adeò abruptis, ut non niſi ſcalis in eum deſcendi poſſit, naturę op9, nō artis, apud Strabonē.

Veniam præfamur, hoc capitulum lacu ex Palæſtinâ clauſuri, quæ etiam Europæis patria eſt, figura utiq; gloriæ promiſſæ. De eâ Joſephus Judæus: Aſphaltides lacus ſalſus quidem ac ſterilis eſt, nimiâ v. levitate, & quæ graviſſima ſunt, in eum injecta fluitant: demergi a. quis in profundum nec de induſtriâ facilè poteſt. Deniq; Veſpaſian9

ejus

ejus visendi causâ venerat, jussit quosdam natandi inscios vinctis post terga manib. in altum projici; & evenit omnib. tanquam vi spiritus sursum repulsos desuper fluitare. Ad hæc mirabilis est coloris mutatio, q̃ ter in singulos dies superficiem vertit, & Solis radiis variata resplendet. Multis a. locis vomit nigras bituminis glebas, quæ super undam & habitu, & magnitudine tauris sine capitib. assimiles natant. Ad eos a. lacꝰ exercitores cùm accesserint, nocti quod aggestum est, ad naves trahunt, & quia lentum est, repletas eas abrumpere nequeunt, sed q. religata scapha pendent à cumulo, donec menstruo mulieris atq; urinâ solvatur. Est a. utile non modò ad compagines navium, sed ad corporum etiam curationem multis remediis admiscetur.

Addit Egesippus, qui non longè abfuit à Josephi seculo: Ex Asphaltide, quæcunq; mergenda putaveris viventia, resilire opinio est; & quamvis vehementer allisa, statim excuti. Aqua ipsa amara est & sterilis, nihil recipiens generum viventium; deniq; neq; pisces, neq; assuetas aquis & lætas mergendi usu patitur aves: lucernam accensam

ferunt aquis supernatare sine ullâ conversione, extincto demergi lumine, & quāvis demersum arte q̄ vivat, difficile in ꝓfundo hærere. tū addit experimentū Vespasiani.

Plinius inter cætera: nullum corpus animalium recipit, tauri cameliq; fluitant, inde fama, nihil eo mergi: longitudine excedit centum millia passuum, latitudinem maximam implent viginti quinque, minimam sex. Solinus: sed ubi admota fuerint cruore muliebris menstrui polluta fila, discerpit sponte. Isidorus ejus dat longitudini stadia 780. latitudini 150. sed neq; ventis movetur, resistente turbinibus vitumine.

Olaus suam Vestro Gothiam apponet: est ibi lacus, stagnumve, multis passuum millibus patens, in quo nihil nisi limus, tametsi graminib. fruticibusq; contegatur: sive pedes, sive eques, & quodcunque animal ingrediatur, à limo suffocatur. Superfluunt rivuli multi, nulla alia industria trāsmitti potest, q̄ pontib. prælongis, qui numerantur ad quadraginta in labyrinthi formâ, inextricabili ferè arte compositi.

Ortelius ista: In Hibernia insulâ, prope Foneram, tres lacus sunt sibi invicem proximi,

ximi, in quib. singulis singulæ pisciũ quorundam species tantùm vivunt; q̄ si unius speciei & lacus piscis in alium forte deferatur, aut per rivulos, q interlabuntur lacub. ipsis, in proprium lacum reptans redit. Adeò diversa est natura in operibus suis.

Seneca, cùm Cæsarem Neronem ad clementiam instrueret, sic exclamat: Quis nõ Vedium Pollionem pej9 oderat, quàm servi sui? quòd murænas sanguine humano saginabat, & eos, qui se aliq̄d offenderant, in vivarium quid aliud quàm serpentib. objici jubebat? ô hominem mille mortib. dignum, sive devorandos servos objiciebat murænis, quas esurus erat, sive in hoc tantùm illas alebat, ut sic aleret. & porrò cùm Divus Augustus apud Vedium Pollionem, cænaret, fregit unus è servis cristallinum, ex quo rapi eum ad mortem Vedius jussit, nec vulgarem quidem: nam murænis objici jubebat, quas ingens piscina cõtinebat; Quis non putaret, hoc illum causâ luxuriæ facere? Sævitia erat. Sed evasit è manibus puer & ad Cæsaris pedes confugit, nihil aliud petiturus, quàm ut aliter periret, nec esca fieret. Motus est novitate crudelitatis

Cæsar, & illum quidem dimitti, & cristallina ante omnia coram se frangi jussit, compleriq; piscinam. Fuit Cæsari sic castigandus amicus: benè usus est viribus suis.

CAPUT XXV.

NAVES.

Regiæ Præfectorum naves apud Sinas, nisi oculis subjiciantur, omnem fidem superant: nihil n. quod ad illas accedat, reperire est in Europâ nostrâ. Sunt a. ad instar præaltæ domus, è materiâ assurgentes: ad latera varia dividuntur in cubicula, mediū occupat spatium aula, utcunque capax, in quâ dispositæ mensæ, sedilia affabrè facta, fenestræ ac januæ ex lignis reticulato opere, variisq; mæandris ac cælaturâ elaboratæ. Pro specularib. vitris ostreorū tenuissimæ membranę aut lamellæ, sericive panni subtilissimi, pellucente cerâ illiti adhibentur, q. optimè ventum omnem arcent, variis florum, arborum, aliarumq; rerum figuris ornati. Ambiunt navim ad fores podia & cancelli, per quos nautæ, absq; navigātium incommodo, liberè discursant. Navis tota glutine, seu sandarachâ illita, miro lævore,

ac variâ colorum amænitate arridet: depictis intus aureis coloribus, avibus, urbib., volucribusque, res tota visu dignissima, & commodissima usui. Longitudo naviũ nostris triremib. par est, suppares sunt altitudo & latitudo. Ad ingressum per octo ferè cubitorum scalam ascẽditur, in ꝓrâ castelli habet formam, ꝙ tibicines ac tympanistæ occupant, musicâ continenti aures demulcentes. Ea ubi auditur à navib. cæteris, loco cedere solitæ; si alterius pręfecti navis occurrerit, ꝓ officii dignitate invicem deferunt? nullæ ibi rixæ, nullæ contestationes, aut lites; certis regulis ac statutis definita sunt omnia. Eam ob rem ad proram aureis ac cubitalib. literis cujusq; navigantis p̃fecti dignitas exarata, versicoloribus ad latera è serico fluitantibus vexillis. dum cessant ventorum flatus, adsunt destinati, qui remulco trahant; aut remis moles tota impellitur, motis ad modum caudæ piscium; methodo facili & compendiosâ, Siniciq; ingeniii non exiguo argumento: quippe sine ullâ aq̃ percussione, extractioneve remi, vel remo unico ꝓpellitur & dirigitur navis, adeoq; unus hîc sex aut octo nostratib. nautis æquivalet. Na-

Navibus, quæ pisces Sauel, & sericos pannos ad regiam ferunt, nihil aut pulchrius videtur aut inveniri potest, cùm sint undiquaq; deauratæ, rubroq; colore depictæ, adeoq; miram ostentent elegantiam, quibus, ornamentorum splendore, lociq; dignitate omnes præfectorum illæ naves, si fortè occurrerint, cedunt.

In Nanking, ad Sucheu naves sunt quãplurimæ, solis voluptatibus dicatæ, auro, aliisq; vivacissimis ac pulcherrimis coloribus exornatæ, quæ magnificæ domus potius, quàm navigia dicenda: in his helluones, ac Combibones Baccho Venereque sese mergunt & perdunt. Maxima hîc omnis generis mercium copia est, auri, muschi, byssi, pannorum sericorum, auro argentoq; intertextorum, ex quib. singulis trimestrib. uti ex Kiangning sive metropoli Nanking, quinque majores naves regiæ ad Imperatorem holoserica, variaq; pretiosa cimelia deferunt. Hanc urbem Venetus appellat Quinsai.

Sucheu Civitas extra mænia habet telonium, in quo non merces, sed naves solum-

mo-

modo pro mole suâ ac magnitudine certum pendunt vectigal : & quotannis facit ad millionem ducatorum : præfectorum naves publicæ & regiæ omnes nihil pendunt.

Tantus in Sinâ navium ultro citroq; cōmeantium numerus, ut fidem excedat. Fluminum ea commoditas, ut ex Amacao Peking usq;, ad sexcentas prope leucas navigetur, non nisi die uno, quo mons superandus, navigatione interruptâ. Ita & ex Chekiang navigatur in Suchuen p totam, qua ab Ortu in occasum extenditur, longitudinem. imò vix urbs est, aut civitas, ad quam navibus non pateat iter, naturâ aut arte ductis ubiq; fluviorum alveis.

Ubi navium stationes, diceres mobiles Civitates, cùm sub noctē quiescentes, sępè civitatis magnæ spatium occupent, speciēque repræsentent. In his nō modò suas, sed & altilium animaliū educant familias, porcorum inprimis, Gallinarum & anatum.

In Chekiang, sub Hangcheu est lacus amænissimus Si, in quo naves, quas inaurata palatia haud immeritò dixeris, adeò colorib. variegatis, auroq; splendidissimo splen-

dent

dent omnia, quæ omnem ad ſe trahunt vehuntq; conviviorum, ſpectaculorum, ludorumq; apparatum; adeò ut nihil omninò ſit, quod non hîc belluones, ſympotæ, voluptatiſque mancipia affatim reperiant. Naves à rebus omnibus inſtructiſſimæ, lætæ, ac ſecuræ lacum perambulant, procul omni naufragii, tempeſtatiſq; metu amandato, niſi quòd fortè ex largiori potu aut delitiis immineat.

Fokien tot habet naves, ut Imperatori, in Japones bellum meditanti, pontem hæc provincia obtulerit, colligatis inter ſe navibus, ex hâc, in Japoniam uſque, inſulam fabricandum, ſi mare eum pateretur.

Min flumen ad Focheu metropolin manat, in confinibus Chekiang ortum; inde præterfluit Buching, mox Kienning urbẽ, ac Jenping & Xuikeu oppidum. hinc immensâ aquarum mole auctum, metropolis territorium ingreditur, ac dein mare ſubit. Ex Puching ad oppidum uſque Xuikeu per valles ac ſaxa, ingenti impetu ac violentiâ volvitur: inde placidiſſimum flumen eſt, & quantumcunq; violentum, enavigatur tamen à Sinis, conſuetâ illorum induſtriâ, ac

par-

parvarum navicularum raro artificio: Hæ n.naves clavum, ut aliæ, non habent, sed duos longissimè porrectos, ad puppim unum, ad proram alterum; his per saxa ac scopulos prominentes facillimè ac velocissimè naves, ac si fræno equos continerent, dirigunt, cùm sæpè inter saxa vix tantus sit canalis, ut ad scapham ipsam capiendam videatur sufficere, atq; illa undiq; navem cingere videantur, unde & non rara illîc naufragia. Ex hâc a.navigandi difficultate, nautarumq; industriâ, inter Sinas natum diverbium, cùm ajunt: nautas esse ferreos, naves verò papyraceas, eò quòd tenuibus, ac minimè resistentibus constent asseribus, imò ne clavis quidem compaginatis, sed vimine quodam lentissimo; unde tametsi in saxa impingat navis, sæpè tamen minimè rumpitur, quia vix resistit. Torrentes eo impetu ruunt, ut vix quinto die ascendas, quantum uno descenderis.

Iquon pyrata, ad munimenta Hiamuen & Ganhai, per Foquien, sæpè classem habuit ter mille Sinensium magnarum naviũ.

Nunquam è navi exponuntur merces ut inspiciantur, si mercatores cum fide librũ

ex-

exhibeant,in quo,quænam eæ,quotq;ſint, notetur. Si quis tranſeat,qui mercator non ſit,tametſi quædam ex iis,quæ ab unâ provinciâ in aliam deducuntur,ſecum habeat, nihil ab eo petitur. Ad veſtes a.corporis,ut exploret quis, manum porrigere , aut denudare jubere partem corporis, ſimiliaq;, quæ quibuſdam in locis ineptè fiunt, barbarum prorſus credunt , inurbanum , atque homine indignum.

Romanorum luxus ſibi non defuit in hoc genere & artificii & delicii. Cùm Nero navim quampiam in Amphitheatro conſpexiſſet,ita factam,ut ſponte ſolveretur,& belluis quibuſdam ad certamẽ emiſſis,rurſus compingeretur , rediretq; integra,ut antè viſa fuerat: ſimilem huic ædificare ſtatuit,unde mater periret;quod &fecit,ſed naufragium genitrix tyranni vitavit fato:ſoluta a.navis in profundũ merſa eſt.

Senellius neutiquam aberraverit , cùm triremes in tres gradus diviſit: nam Philopator,rex Ægypti,navem ædificavit longã 280.cubitos,latam 38. ad acroſtolion uſq; 53.cubitorum. Clavi fuêre quatuor cubitorum 30. remi longiores ad puppim in-

ſer-

ſerti:horum maximi cubitorum 38.tracta- tu & remigio in uſu faciles, ob plumbum ad manubrium additum; & quia, quà navis laterib. adjunguntur, introrſum apprimè graves forent. Duplex in eâ tum prora tũ puppis fuit, roſtra ſeptem, præcipuum quidem unum extans præter cætera, alia breviora & contractiora; quædam ad laterum projecturas. Navis coſtæ & tabulata 12. fuerunt, ſingula cubitorum 600. ſtructurâ ſupra modum eleganti, reliquisque ornamentis ſtupendi luxus.

Etenim in prorâ & puppi animantium effigies fuerunt, cubitis non minores duodecim, ubi quivis in eâ locus cereæ picturę verſicolori varietate diſtinguebatur. Ea pars, quà remi collocantur, ad carinam uſque, thyrſis & hederaceâ fronde operta fuit. Quater mille remigum illi fuêre, mediaſtini & adminiſtri operæ 400. militum 4000. Sub tranſtris, in mediâ navis parte aliâ ſeorſim hominum turba, arma & commeatus ingens. Ex eſchario (quod temporarium ædificium eſt, ſub quo naves ædificantur) materia quinqueremium quinquaginta facto, protracta. Populo cum fauſtis

ac-

acclamationibus,&tubarum clangoribus, in mare perducere eam conante, Phœnix quidam rationem excogitavit, quâ deduci posset, fossâ, quæ navi longitudine par esset subjectâ, & prope littus excavatâ. In hâc jacta fundamenta solido lapide construxit ad altitudinem cubitorũ quinque: deinde per illa continuas phalangas, h. e. rotundos teretesq; fustes, transversas impulit, sub quib. ad fundum usq; fossæ, quatuor cubitorum spatium relinqueretur: tũ mari immisso fossam implevit, navemque stabilivit. ex hoc apparet, cùm remi alii aliis longiores fuerint, & plura tabulata, plures quoq; remigum gradus fuisse, ob id tesser a conteres dicta, quòd quadraginta non remis, sed remorum ordinibus, aliis super alios immensum insurgentibus, ageretur.

Ædificavit & idem Philopator navem alteram, Thalamegon vocatam, quâ voluptatis gratiâ cum uxore & liberis per Nilum veheretur. Ejus longitudo fuit dimidij stadii, h. e. pedũ 312. latitudo major q̃ cubitorum 30. altitudo cum tabernaculi subrecto fastigio, parum à 40. cubitis aberat. figura nec longas naves immitabatur, nec ro-

rotundas, sed ab illis diversa, pro usus commoditate & altitudine fluvii: infernè quidē ad carinam lata & humilis, at ejus summæ partes præcipuè ad proram, multum extendebantur. Duplex prora, duplexq; puppis. In ejus alvo mediâ, cænationes & constructa cubicula. In ambitu navis, duplex deambulatio, non minore circuitu, q̃ jugerum quinque, & inferioris quidem humoque propioris species ac dispositio portui similis, quam columnæ sustinent: superior autem & à terrâ distantior, camerata, fenestris fenestrarumq; intersepimentis undique circumdata Vestibula ambulationū ex ebore, aliâque materiâ pretiosissimâ.

His adjuncta fuit domus, uno tantum columnarum ordine circumvallata, quæ lectos viginti capiebat, maximâ ædificii parte è cedro fissili materiatâ, cupressoque Milesiâ. Fores ex assamentis Thyiæ coagmentatæ, cum eburneis ornamentis. In earum fronte clavis ostiorumq; marculis & anulis ex ære rubro conflatis, color aureus igne adscitus est. Columnarum scapi è cupresso; capitula operis Corinthiaci, auro & ebore ornata; epistylium (trabs est,

co-

columnarũ capitulis imposita) totum aureum, cui diasosima, seu præcinctio aptata, cum insignibus animantium imagunculis eburneis, cubito majoribus, artificii mediocris, sed numero materiâq; admirãdis.

Cænationi tectum superstabat, elegans, è cupressi ligno, cũ variis ornamentis sculptis, inauratâ superficie. Inde dormitoriũ cubiculum cum lectis quinq;, cui conjunctus fuit angustus Canalis, in latum per navis alvum distentus, mulierũ conclave dirimens, in quo cænaculum fuit cum lectis novem, sumtu & magnificentiâ par majori, ac cubiculum cum lectis quinque. Ad primũ usq; tectum hæc ita disposita fuerunt.

At in scalas, cubiculo vicinas ubi ascendisses, alia domꝰ apparebat, instructa quinque lectis, convexâ tecti summitate, figurâ rhombo simili: & prope ipsam, ædes Veneris camerata, in testudinis rotundum fastigium desinente cacumine, in quâ marmogium area Divæ statua. è regione hujus domus aliud erat cænaculum sumtuosum, uno columnarũ ordine circumseptum, columnis constructis è lapide Indico. Huic ꝓpinqua cubicula, iis quę antea declaravimus, ornatu simili respondebant.

In

In proram euntibus, Bacchica domus subjacebat, uno columnarum ordine cincta, inauratis suggrundiis, sive tecti prominentiis, usq; ad epistylia circumdata. Tecti fabrica eadem quæ & ædis Veneris. Ad hujus ędificii dextrum latus antrum effossum fuit, eo prorsus colore, q videtur in lapideo cæmẽtitioq; ope, ex variis lapidib. & auro cõfectũ. In eo regiæ stirpis ac cognationis imagines collocatæ, ex lychnitide arbore.

Fuit & alia cænatio perquam amæna, super maximæ domus tecto posita, ordine & formâ tentorii.

Adverso flumine cùm navigabatur, aulæa in eâ expandebantur purpurea. Cænationem hanc excipiebat locus dialis, cujus in superiore parte navis ea collocatio fuit, quæ subjecta prostadis seu viæ, quæ à porticu in gynæceũ ducit. Huic vicina fuit scala tortilis, quæ ad occultã ambulationem tẽdebat, & cænationem novem lectis instructam, fabricâ Ægyptiacâ. Nam teretes quę illîc columnæ fuêre, vertebratis scalpturis differebant, candidæ vicissim, ac nigrę. Rotunda in illis forma capitulorum, totaque circumscriptio rosis aliquantulum dehi-

ſcentib. ſimilis. Circa partem, q̃ calathum vocant, nullæ volutæ fuerunt, quem admodum in Græcis: craſſa nulla folia, ſed loti fluviatilis calyces, & palmæ nuper germinantis fructus. In quibuſdam aliorum florum multa genera exculpta.

Quod a. radici capituli ſuberat, nempè q̃ vertebræ jungenti cum ſcapo inſidet, ciboriorum, h. e. fabæ Ægyptiacæ, florib. & veluti complicatis foliis cælatum erat: ſic n. Ægyptii parietes conſtruunt & ornant, quos nigris lateribus & albis variant, interdum etiam lapide, quem alabaſtriten vocant. Ædificia quoque multa, alia in mediâ mole alui navis, & in cunctis ejus partibus fuêre. Malus ejus cubitorum 90. velum byſſinum, id eſt, è tenuiſſimo lino, purpureis funibus ornatum.

At de nave, q̃ conſtruxit Hieron Syracuſius Archimedis operâ & ingenio, alia referuntur. Materia ex Ætna, quæ ad conficiendas triremes 60. ſufficeret educta. populi ex Italiâ ad remos petiti, rudentes ex Iberiâ, cannabis & juniperus è Rhodano, cætera ex aliis Orbis partibus. Dimidia navis pars per 300. operarios ſex menſib. ab-

absoluta. Interstitia & rimæ asserum laminis plumbeis tectæ. Archimedes excogitatâ Helice machinâ, cochlearum instar claviculatim & spiratim striatâ, tantum navigium in mare pertraxit. Viginti remorum ordines in eâ fuêre navi, aditus triplex: infimus quidem ad saburram, in quam p crebras scalas descendebatur; alter ad diætas ducebat; ultimus ad militum stationem tendebat. Ad utrumq; parietem aditus medii, cænationes viriles 30. singulæ tribus lectis stratæ. In Nautarum diætâ lecti quindecim & thalami tres, h. e. maritorum & uxorum cubicula, inque singulis tres lecti. Horum omnium solum exiguis lapidibus pavimentū fuit, iisq; coloris diversi, in quo Iliadis tota fabula depicta conspiciebatur.

In aditu supremo, gymnasium & ambulationes eâ conditione, quę navis magnitudini congrueret. In iis horti, omnib. plantis ad miraculum usq; consiti, quibus lateritio plumbeoq; canali aqua immittebatur. Prætereà ex albâ hederâ, & vitib. attegiæ, trichlilæ, quarum stirpium radices in doliis terrâ plenis alebantur. Subjectas ambulationes attegiæ adumbrabant. Post

hæc ad Veneris voluptates Aphrodiſium extructum cum tribus lectis, pavimento ex achate gemmâ, & aliis pulcherrimis, quæcunq; in Siciliâ reperiuntur, compoſito. Materia tecti è cupreſſo: januarum ex ebore & thiyâ, ſive cedro Athlanticâ: picturis, ſtatuis, variis poculis ornata omnia.

Continens huic fuit Scholaſterium, ad otiandum & confabulandum, cum lectis quinq; materia buxea parietum & januarũ, in eoq; Bibliotheca, & in ſummo tecti polus, ſeu horologium, factum ad imitationẽ ſolarii, quod Achradinæ fuit. Sequebatur balneum cum caldariis trib. æneis, & folio & Tauro menite lapide vario, cum metretis quinque. Ædificatæ multæ cellæ vectoribus, & ab iis ſeparata equilia, ex utroque navis pariete decem; inq; iis pabulum eqs repoſitum, cum puerorum & equitum ſarcinis. In prorâ aquæ receptaculum claudebatur, & recludebatur, quoties libitũ erat; & metretas ad bis mille capiebat, ex aſſeribus, linteolis, & pice confectum: ſunt a. metretæ cadi, ſive vaſa congiorum decem.

Propè hoc piſcium vivarium è plumbeis laminis, & aſſerum tabulis, maris aquâ ple-

plenum, in quo pisces alebantur. E muris utrinq; tigna prominebant, intervallo mediocri distantia, superquib. constructa erât lignaria, clibani, culinæ, molæ acuendis ferramentis, & aliæ plures ministeriorum officinæ. Extrinsecus navē circuibant Atlantes, cubitorum sex, molem summi tabulati & triglyphorum, seu triplicium canalium sculpturam in columnarum Zoophoro, suscipientes, ordine omnes locati. Tota v. navis picturis miris spectantium oculos detinebat Duæ in puppi turres, totidem in prorâ, quatuor in medio, & super his aperta foramina, quibus in accedentes hostes saxa deturbarentur.

Super navis foris murus cum propugnaculis extructus, & in eo jaciendis saxis collocata machina, fabricata ab Archimede, lignis in tria veluti crura divisis suffulta, & saxum 300. librarum pondo, ac sagittam cubitorum 15. vibraret. In navi mali tres, & horum singulis aptatæ antennæ duæ, lapides ferentes, è quib. unci, ferreq; massæ jacerentur in hostem oppugnantem. Ferreum quoq; vallum navi circumjectum, quod ascendere conantes arceret cum ferreis

corvis per totum ambitum, qui instrumentis projecti, naves hostium correptas propè admoverent, ut facilius ferirentur.

Ad utrumq; murum 60. juvenes consistebant, toto corpore armati, totidemque circa malos & antennas. In malorum corbibus æneis majorib. viri tres, mediis duo, minoribus unus excubias agebant. His pueri saxa canistris textilib. & sagittas trochleis subministrabant in thoraciâ. Anchoræ 14. navi fuêre ligneæ, ferreæ 8. Major malus è Britanniâ petitus; Phileas Tauromenites machinarius eam in mare deduxit. Sentina, quamvis profundissima, ab uno tantum homine exiccabatur cochlio, quod Archimedis inventum fuit.

Navis ea principio Syracusia vocata est, postquam Ptolomæo dono ab Hierone missa, Alexandrina. Etenim Ægypti reges rei nauticæ studiosissimi semper fuerunt: namq; Philadelphus navium multitudine omnes principes superavit. Amplissimæ apud eum fuerunt ordinum 32. ordinum 20 una. ordinum 14. quatuor. duæ ordinum 12. undecim ordinū 14. novem ordinū 30. septem ordinū 37. sex ordinum 5. quinq;

remes

remes 17. quadriremes, triremes & hemiolæ, sive biremes, duplo plures. Navigia v. quæ ad Insulas dimittebantur, ejusq; ditionis urbes, & Lyciã, plura quã 4000. fuêre.

At quàm longè ab Hierone, & Philopatore, neque tamen minus ad miraculum, navis Myrmecidis, quæ apiculæ alis tegebatur tota.

Non sic illa navis ab Ægypto Caii Principis jussu, Ostiã advecta, cui, centũ vigintĩ modii lentis pro saburra fuêre. Arboris crassitudo quatuor hominum ulnas complectentium implebat. Submersa maximam partem Ostiensis portus sub Claudio Imperatore tenuit, cum tribus molibus turrium altitudine ædificatis.

Fabricaverat & antea C. Caligula de cedris Liburnicas, gemmatis puppibus, versis coloribus velis, magnâ thermarum & porticuum, & tricliniorum laxitate, magnaque etiam vitium, & pomiferarum arborum varietate, quibus discumbens de die inter choros & symphonias, littora Campaniæ peragraret.

Inter prædam, quam Julius Cæsar Pompeio pugnâ Pharsalicâ abstulit, navis du-

metis consita inventa est, in quâ omne genus arborum pomiferarum, pendente è ramis fructu.

Triremem Lucullus tantæ vastitatis extruxit, ut in eâ, velut in Circo, aut Arenâ, venationes fierent.

Dionysius tyrannus, cũ Siciliã fugeret, navi 6000. hominũ capace exceptus fuit.

Genus Liburnæ, quam sex boves agunt, volubilitate rotarum, navis lateribus impactarum, fluctusque, ceu remis verberantium, ut miraculosum prorsus, luberet oculis usurpare curiosis: ejus usum in mari fuisse multi negant, nisi circa littora; in lacubus v. & maximè fluviis opportunum.

Effigies animantum in prora: Deorum, Nympharum, aut Heroum olim in puppi locabantur: istæ Tutelæ, illæ Parasema vocabantur: & in vulgus notæ naves per proram: hinc naves, Bellerophontis Pegasus; Helles & Phryxi, aries deauratus; Jovis ad rapiendam Europam, Taurus, dictæ. Cùm naufragium imminebat, convertebantur vectores omnes, apprehensâ malo (unde Horatius, Non Dî, quos iterum pressa voces malo) in puppim, ut inde in auxilium

um ſuum , Deos, qui in eâ figurati erant, id eſt, Tutelares navis, invocarent.

Neque tantùm effigies erant in proris puppibuſque, ſed tota navis picturas varias ad luxum oſtentabat, aut ſaltem remedium in fluctuum mordacitatem & putredinem. Encauſticè, pingendi duo genera fuiſſe conſtat, cerâ & ebore, ceſtro id eſt, verriculo donec claſſes pingi cepêre: tertium iſtud acceſſit reſolutis igni ceris penicillo utendi, quæ pictura in navibus, nec ſale, nec ſole, nec ventis corrumpitur.

Romani dudum navem, quâ Saturnus in Italiam venit, ſacram habuêre, aliaſque quib. ſimulacra Matris Deûm è Peſſinunte, & Æſculapii ex Epidauro Romam tranſportatæ ſunt. Seſoſtris, antiquiſſimus Rex Ægyptiorum, navim è Cedro 280. cubitorum, deauratam exterius, interius de argentatam obtulit, dedicavitque Deo, qui Thebis colebatur.

Sacra quoque dici poteſt Bucentaurus navis hodie apud Venetos, ſeu quòd in urbem advenientes ſacri Principes externi eâ portantur, ſeu ꝙ ſingulis annis dux, & Senatores, ſacro Aſcenſionis die, magnâ

pompâ, eâ navi despondendo æquori vehantur: quod fit injecto annulo aureo, cum supplicationibus & votis.

Anceps hæreo, an navibus accenseam Belgii nuperum currum, pansis velis à vento impulsum, sine quadrigis & remigio. Tum v. Dædali ausum, qui navem automaticis visceribus impellebat, ut sub aquis, uno superius extante spiraculo, etiam clavo dirigeretur quoquo versum: qui tamen vectores non invenit, tametsi Palladi litâsset, cæcus ad cautes cæcas, phari negligens, acui magneticæ confisus, vel ob tantillam aberrationem elidendus.

Apud Helvetios in pago Berna, inventa navis anno C. 1462. subterraneis metallorum cuniculis fodiendis, sub imâ terrâ, ad brachia centum: lignea fuit, anchora ferrea, vela ex telâ; sed omnia velut absumta: visebantur adhuc quadraginta hominum ossa. Censebat Baptista Fulgosus, à diluvio id factum, ut regurgitatione fluctuum tanta humus navim obruerit. Sed ante diluvium navium viguisse usum nemo facilè credit, q. Noë ob fabricam arcæ fuerit irrisus.

Anne, ut ille Hispanus disquirit, Arida ante-

antediluviana oceano eſt commutata, ut jam Aridam incolamus, quam tum piſces & monſtra perambulabant?

Caput. XXVI.

PONTES.

In Peking habet Civitas Paogan magnum ex ſecto lapide pontem.

In Xenſi, metropolis Sigan habet pontes tres ſupra Guei fluvium: unus ad ortum eſt, in medio alter, tertius ad occaſum; omnes pluribus, iiſque altiſſimis arcubus conſtant, ex ſectis quadratiſque lapidibus: accedunt podia, ferreæ trabes, leonum ſtatuæ, ſimiliaque ornamenta, ad ſoliditatem operis ac ornamentum. Quartum, his tribus non abſimilem, habet Lantien Civitas.

Ad urbem Hanchung opus eſt ſtupendum, cui par, aut ſecundum non eſſe facilè dixerim, in orbe, quà patet, univerſo. Inter hanc urbem & metropolim iter erat devium admodum & inflexum, vix ullâ rectâ ſemitâ, ob montium altitudines aſperitateſque ac profundas vallium voragines & ambages. Eam ob rem cogebantur vulgò verſus ortum multum deflectere, atque

Honan Provinciæ fines attingere, moxque redire versus Boream, ac repetere iter; unde ad duo stadiorum, eoque amplius, conficienda erant millia, cùm, si per montes facerent iter, octingenta vix stadia fuissent superanda. Sub exitum ergò Cinæ familiæ, cùm Lieupango contra Hiangyvo de imperio pugnaret, à Changleango, Lieupangi fidelissimo, prudentissimoque duce, hæ montium asperitates, voragines ac præcipitia omnia æquata sunt, ut hostes fugientes anteverteret. Incredibili itaque celeritate, ingentique opere, montes hi omnes in plana deducti, quò in opere multa centena hominum millia, totumque exercitum suum desudare jussit, singulis turmis certâ montis attributâ parte, quam perviam planamque redderent, exurgentibus utrinque, q. ad perpendiculum parietibus è monte factis, adeoque altis, ut in cælum attolli ferè videantur, vixque via ipsa lumen ab alto allapsum admittat. alicubi ligneis trabibus, asseribusque stratis, de monte ad montem pontes struxit, intra ipsas montium, rupiumque commissuras exterebratis, exsculptisque foraminibus,

qui-

quibus trabes impositæ sustententur: præcipuè ubi torrentes ex montibus dilapsi, quasi viam sternunt, quorum semitas sæpè secutus est. Alibi, ubi valles latiores sunt, columnæ adhibitæ, atque hujuscemodi pontibus tertia ferè hujus itineris pars constat: tantâ autem subinde per intervalla sunt altitudine, ut fundũ voraginis absq; horrore vix ausis inspicere. Viæ latitudo quatuor equitum capax est, quæ etiamnum sarta tectaque servatur & reficitur, pro iter facientium commodo; eaque de causâ, certis intervallis dispositi sunt pagi, tabernæque pro diversoriis. Tota hæc via ubique tellure injecta cooperta est. Ne verò viatoribus per præcipitia fortè ex pontibus dilabendi aliquod immineat periculũ, addita sunt utrinque podia, fulcraque lignea aut ferrea. Ejus longitudo est ab hac urbe usque ad metropolitanæ partem, quæ spectat ad occasum, ubi triginta circiter stadiis ab urbe distat ejus finis: eum pontem Sinæ Cientao, id est, fulcrorum viam vocant.

Prope Chegan, ad ripam, Fi pons est, de monte ad montem, unico extructus ar-

cu, cujus longitudo quadraginta est Sinensium perticarum, hoc est, quadringentorum cubitorum; altitudo verò, seu perpendiculum, sub quo fluit Croceus, quinquaginta perticarum est. Triennium in ejus fabricam impensum referunt: Sinæ pontem volantem, haud incongruo dixêre nomine.

In Xantung, in metropoli Cinan, pontes numerantur lapidei non pauci, inter quos Pehoa pluribus est fornicibus arcuatus, qui insulam cognominem in lacu Taming jungit, atque inde procurrens, ad alteram usque ripam pertingit, clauditurque ipsis urbis mænibus.

Est & alius pons Fuyung, supra eundem lacum Taming, quadrato saxo structus, superiori nihilo inferior.

In Honan est Queite urbs: ibi supra lacum Nan pons est quadrato structus lapide: alterque illi non absimilis, extra mænia civitatis Jungching. Nan lacum in duas partes dividit pons, in multos arcus porrectus.

In Huquang, ad Siangyang est Soxoang pons, qui jungit utramq; ripam fluvii Han

adi

ad Çaoyang, in multos arcus divisus, totus è secto lapide, à regibus Guei extructus.

Ad urbem Changte ingens caverna est Lungmuen dicta, ante quam pons est ex monte ad montem, ab ipsâ Naturâ protensus, omninò quadratus, adeò ut unum latus ad duo ferè stadia extendatur: sub eo fluit torrens.

In Kiangsi sub Jaocheu, Gangni civitas habet pontem, memoratu dignum, & obsequii & obedientiæ pons dicitur. Ajunt enim ditissimorum parentum filiam quandam, primis nuptiarum diebus amisisse maritum, cùmq; denuò nubere apud honestas, qualis hæc habebatur, crimen sit ac nefas, viduitatem suam matris patrisque præsentiâ solabatur, atque sat æquo animo tolerabat: at illis demortuis, cùm omnis jam esset expers solatii, pontem hunc lapideum, multis arcubus fornicibusque distinctum, extrui curavit, eoque in opere, omnibus magnâ ex parte consumtis suis opibus, cùm absolutum vidisset, ex illo se in aquas præcipitem dedit, ac mox submersa est. Utramque rem pietati adscribunt Sinæ, quam potius crudelitati in sese, ac pusilla-

ſillanimitati adſcribere debuerant: ponti nomen Hiaolie, hoc eſt, obedientiæ claritas. Sub Nankang eſt pons ingens, totus ex ſecto lapide, qui vallem ſuis fornicibus, arcubuſque ſubſternit.

Cancheu urbs, pontem longiſſimum navibus, quarum ad centum & triginta numerantur, incumbentem habet, quà ad urbem utriuſque fluminis, Chang & Can, confluentes, Naves omnes ferreis catenis ſibi mutuò adnexæ ſunt, ſuperimpoſitæ trabes craſſique aſſeres pontem ſternunt: in ipſo ponte telonium eſt, unâ ex navibus ita conſtitutâ, ut facilè aperiatur claudaturque pro navium tranſitu, ubi portorium ſolverint.

In Nanking, Siucheu civitas major pontem habet, aquis innatantem, ex quinque & triginta magnis navibus conſtantem: eas ingentes ferreæ catenæ colligant.

In Chekiang, ſub Kinhoa, In montis Fangmen ſummitate ingens ſupra vallem viſitur pons.

Sub Ningpo, in Guki, pons pilis lapideis & ligneis trabibus conſtans, perticarum centum

centum longitudine. Alter ibidem altissimus, tres numerat arcus.

In Fokien, ad Focheu metropolin pons planè superbissimus supra maris sinum est, cujus longitudo centum quinquaginta perticarum est, latitudo sesqui perticæ. Totus ex albo constat lapide, supra centum altissimos arcus numerat: hinc inde ad utrumque latus pontem armant ac ornant cancelli ac podia, debitisque intervallis supra lapideas bases, ex lapide eleganti opere cælati leones. Huic, qui ad Nantai est, similem prope Focing Civitatem Sinæ scribunt, cujus longitudo centum octoginta perticarum. Civencheu urbs habet pontem Loyang, cui nullus par, nullus secundus in orbe, quà patet universo, invenitur. Eum sinicus author ita describit: Jacet Loyang pons ad urbis Barrolybicum, supra Loyang flumen extructus, etiam Vangan dictus: hunc ædificavit urbis præfectus Çaijang, ejus longitudo ultra trecentas & sexaginta perticas protenditur, latitudo autem sesqui perticam obtinet. Priusquam pons structus esset, navibus patebat transitus, sed quotannis propter

pter æſtus vehementiam quamplurimæ cum ipſis vectoribus mergebantur. optabat Çaiſangus, ut hominum, ac præ ſertim ſuorum ſaluti & incolumitati conſuleret, pontem extruere ; ſed cùm ad hoc opus hominum vires nullo modo intelligeret ſuffi ere, videretque maximam aquæ altitudinem fundamentis jaciendis minimè aptam eſſe; invocato maris ſpiritu, petiit ut æſtum contineret, obtinuitque (ſi credere fas eſt) poſtquam maria omnia fuêre pacata, atque uno ac viginti diebus ceſſavit æſtus: tum demum fundamenta jacta, in ſumtaque ad quaterdecies centena aureorum millia. hæc ille. Pons autem totus ex eodem ſecto, nigricanteq; eſt lapide, nullũ habet arcũ ſeu fornicem, ſed pilas ex lapidib. ingentibus ſtructas ſupra trecentas, omnes maximi navigii figuram habent, utrinque in angulum acutum deſinentem, ut minus aquæ vim ac alliſionem ſentiant. In ſupremâ lapidum coagmentatione â pilâ ad pilam quinque, iique æquales lapides, ſpatium, quod in latum eſt, occupant: lapis quivis ad duodeviginti longus eſt paſſus communes, & duos omninò latus, ac totidem

dem altitudo seu crassities obtinet: sunt ergò similes omninò & æquales ibi ingentes illæ lapideæ, ut sic dicam, trabes, mille & quadringentæ. Stupendum omninò opus, non ex eo tantùm, quòd pilis super impositæ tot hujusmodi moles sint, sed vel maximè, quòd tantæ totque, adeoque æquales, uspiam reperiri, excindique potuerint. Ne verò transeuntes è ponte delabendi ullum subeant periculum, podia ex eodem lapide utrinque cum leonibus, qui basibus insistunt suis, adstructa sunt, similiaq; plura addita ornamenta. sed notandum, hanc esse eam partem, quæ est inter Logan oppidum & castellum, supra ipsum pontem ædificatum: illo n. superato, alia pars pontis sequitur, superiori haud multò minor, cætera totus æqualis. Quod ad sumtus attinet, parvi hi fortè censebuntur ab Europæis pro tanto opere; verùm illud hîc considerandum est, maximam operarum partem apud Sinas gratis servire, cũ publicum quid extruitur; eorum verò, quibus stipendium solvitur, adeò exilis est merces, ut unius Europæi stipendium hîc facilè decem sufficiat.

Chang-

Changcheu urbs pontem habet verè magnificum, totum ex ſecto lapide, ad ſex & triginta altiſſimos & maximos porrectum arcus, tantæ latitudinis, ut utrinque ædiculas cum tabernis Inſtitorum ſuſtineat, in quibus aſſiduæ quodammodo celebrantur nundinæ.

In Kienning urbe pons ſupra Min fluvium velociſſimum pulcherrimus, tecto coopertus, utrinque domus & tabernæ conſtitutæ, pilæ omnes ex ſecto lapide altiſſimæ, reliqua ex ligno.

Sub Jenping urbe, in Xa pons eſt tecto coopertus, planè magnificus, cui multæ ſuperextructæ ſunt Inſtitorum tabernæ.

In Quangtung, Hoeicheu, pontem habet ad confluxum duorum fluminum, quadraginta magnis arcubus præclarum. Alter eſt lapideus totus, plurimis fornicibus erectus ſupra lacum Fung.

Chaocheu pontem habet ſumtuoſum, cujus latitudo quinq; perticarum eſt, longitudo centum & octoginta, ſuper fluvium Go.

In Queicheu, ad Liping, eſt Pons Tienſem, quaſi à cælo factus, quem nos à naturâ

ſtru-

ſtructum diceremus, ex uno conſtat lapide, ſupra torrentem Tanki, cujus latitudo duas perticas, longitudo viginti æquat.

Ad Picie occidentalem partem, ſupra profundiſſimam vallem, per quam torrens ingenti aquarum in præceps ruentium lapſu atque impetu voluitur, ut viam ſternerent Sinæ, craſſiſſimis ferreis catenis annulos aliquos ita hamis unciſque ex utraque parte montium firmârunt, ut ſuperimpoſitis aſſeribus pontem efformârint. Catenæ ejuſmodi ſunt viginti, duodecim perticarum longitudine ſingulæ. cùm plures ſimul tranſeunt, titubat, ac movetur pons, non abſq; tranſeuntium, ob ſubjecta præcipitia, horrore.

In Junnan eſt Kingtung urbs: hîc Mingo, Hanæ familiæ Imperator condidit parem pontem, circa an. C. 65.

Likiang ſupra Kinxan pontem habet iſtiuſmodi.

In Suchuen eſt Chingta metropolis, cujus tota regio partim plana, partim mō-tibus extuberans, agro omninò fertili, cujus nullam partem incultā ſquallere patiuntur: campi omnes, deductis ubique arte

te vel naturâ rivulis irrigui, præcipuè ortum versus, ubi per amænissimam planiciem trium dierum iter est, quo in itinere supra centum lapidei pontes superandi sunt, omnes pluribus arcubus innixi.

Sub Chincheu Civitate majore, ad Queitung est magnificus lapideus pons, in multos arcus divisus, qui totus efformatus ex lapide lecto ad centum & amplius perticas Sinicas extenditur.

Sub Quangsin, propè Jeyang, ad montem Paofung, est pons antiquissimus, quinquaginta perticarum (500. cubitorum) longitudine.

Eximia sunt ista ferè singula, sed Europa subjiciet paria, quocunque judice: Londini in Angliâ supra Tamesim pons est, in quo numerantur viginti concamerationes ac pilæ: æquat eandem dimensionem pons Dresdæ super Albim Saxoniæ. Ille Angliæ adeò latus est, ut hinc inde exædificatis domibus non censeatur pons à permeantibus, sed vicus populosus.

Aureliæ Ligeris ponte sternitur lapideo, per mediam insulam, in quo monumenta videre est Joannæ Darciæ Virginis,

quæ

quæ ſub Carolo VI obſeſſam ab Anglis Urbem anno C. 1428. ſcribitur liberâſſe, erecta.

Iſara à Plinio comparatur Rodano: de eo Plancus Imperator ſic ad M. Tullium: In Iſara flumine maximo, quod in finibus eſt Allobrogum, ponte uno die facto, exercitum ad quartum Eidus Maii traduxi.

Pons, qui apud Pragam eſt Bohemiæ ſuper Muldaviam, habet ſedecim fornices ampliſſimas, longus cubitos 872. latus ad excipiendos quatuor currus ſimul procedentes, totus è quadrato ſaxo, adeò ut in omni Europâ vix alius ſit celebrior.

Trajanus Imperator pontem, apud Dionem lapideum ſuper Iſtrum ſtatuit, quem ego nec dignè quidem habeo admirari. Nam etſi alia pulcherrima Principis ejus opera extant, tamen hoc eſt ſuper omnia. Pilæ igitur ejus ſunt viginti, è lapide lecto & quadrato, quæ altitudinem habent 150. pedum, latitudinem 60. diſtant inter ſe 170. pedes, fornicibus devinctæ. Quomodo a. non aliquis ſumtum in iſtas admiretur? quomodo non & deſtituendi firmandique modum? idque in flumine magno &

vor-

vorticoſo, & fundo ipſo infido & limoſo; nam nec avertere quidem curſum fluminis licuit ullo modo. Nec verò de magnitudine fluminis ideò dixi, tanquam ibi maximum ſit (imò verò alibi duplo majus eſt aut triplo atque inſtar pelagi ſe diffundit) ſed quia locus ille arctiſſimus ibi locorum, & aptiſſimus ponte jungi, eſt tantus. Quò autem magis in arctum illud ex lato contrahitur, & rurſum in latum ſe effundit, tantò nimirum, & rapidius fluit, & profundius exiſtit: Ut hoc quoque difficultatem atque arduum operis valdè auxerit. Magnitudo igitur animi Trajani ex eo quidem conſtat, non tamen uſum nobis nunc præbet; ſed pilæ duntaxat ſtant, quaſi in eum finem modò ſtructæ, ut documento ſint, nihil eſſe quod ingenio humano non poſſit effici. additque deinde, Hadrianum Imperatorem metu, ne Barbari eà tranſirent, an æmulatione in optimum principem, juſſiſſe ſuperiora pontis dirui. Sabellico craſſitudo in ſingulis pilis ſexagenum fuit pedum: arcus inde fornicati interjecti pontem ſtatuêre, quià citeriore ripâ ad ulteriorem ſtadia habuit ſeptem,

pedes

pedes 230. quod ſpatium, ſi ad notiorem menſuram redigas, habet paſſus nongentos & unum.

Paulus Jovius dicit, etiamnum triginta ſex extare & conſpici in confinio Valachiæ & Transſylvaniæ ad oppidum Severinum; qui numerus potuit auctarium accepiſſe, extra ripas, propter acclivum aſcenſum: adeò ut Dio, Dalmatiæ Pannoniæque præſes, de ipſo flumine tantùm ſit intelligendus.

Caligula novum & inauditum ſpectaculi genus excogitat; Bajarum medium intervallum, & Puteolanas moles, trium millium, & ſexcentorum ferè paſſuum ponte conjunxit, contractis undique onerariis navibus, & ordine duplici ad anchoras collocatis, ſuperjectoque aggere terreno, ac directo in Appiæ viæ formam. Per hunc pontem ultro citroque commeavit biduo continenti: primo die phalerato equo, ipſe querneam coronam, ſecurim, cetram, gladium, aureamque chlamydem gerens: poſtridie quadrigario habitu, curriculoque bijugi famoſorum equorum, præ ſe ferens Darium puerum

ex Parthorum obſidibus , comitante Prætorianorum agmine, & in eſſedis cohorte amicorum.

Hoc ſpectatur in numo æreo Caligulæ , in quo vultus ejus intra hunc titulum *C. Cæſar Aug. Germ. P. M. Tr. P.* ab alterâ elogium quaſi inſignis victoriæ , ob hanc molem factam, *Terra marique victor.* Pons ſubjectis navibus ſubeſt, terreno aggere ſolidatus , curru quadrijugo triumphanti ſimilis vehitur Caligula, adſtantib, ducibus, & ſignifeiis ſequentibus currum.

Erant autem naves duplici ordine compactæ, & ferreis catenis conjunctæ, extructis hinc inde ædibus. At ſi reliquum ejus pontis metiamur , quo ulterius progrediebatur, ad decem paſſuum millia excurriſſe certum eſt.

Pons fuit Tiberinus haud procul Otriculo, ubi pilæ quædam prægrandes hodie viſuntur , quibus quondam pons ſuſtinebatur , unus quaternorum è numero, quos Octavianus Auguſtus Viâ Flaminiâ perinſignes & magnificos ædificavit.

Supra Narem|prætergreſſis Narniam adparent à dextris admirandi Pontis forni-

ces,

ces, qui duos præcelſos & abruptos montes, ſubterlabente flumine, ſolebat conjungere, ut æquali viâ tranſitus ab oppido Narniâ pateret in montem adverſum. Auctorem memorat Auguſtum Procopius; qui haud unquam altiores Pontis arcus ab ſe viſos profitetur. qualis quantuſque fuerit, docent hodieque ex lapide quadrato prægrandi reliquiæ. Exaudiendus de eo Martialis:

Sed jam parce mihi, nec abutere Narnia Quinto;
Perpetuo liceat ſic tibi Ponte frui.

Anienis tranſitus quatuor conjungunt pontes: Eorum unus in viâ Tiburtinâ, Mamolus vulgò dictus, tanquam Pons Mammeæ, qui primùm ab Antonino Pio factus, dein à Mammeâ Alexandri 25. Imperatoris matre reſtitutus, ac marmore ſumtuosè fuit exornatus, quo tamen nunc ſpoliatus cernitur. Alter paulò inferius viam Nomentanam jungit: eum quis condiderit, nondum conſtat: integer eſt, ſed ornamentis ſuis planè denudatus. Succedit infra tertius in viâ Salariâ, tribus ab Urbe Româ milliaribus, ab Narſete, Juſti-

niani Imperatoris Augusti legato, victis Gothis, fabricatus, quod docent Inscriptiones: *Imperante D.N. piissimo ac triumphali semper Iustiniano P. P. Aug. anno xxxviiii. Narses vir gloriosissimus, ex præposito sacri palatii, excons.* atque patricius, *post victoriam Gothicam, ipsis eorum regibus celeritate mirabili, conflictu publico superatis atque prostratis, libertate urbis Romæ, ac totius Italiæ restituta, pontem viæ Salariæ, usq; ad aquam à nefandissimo Totila tyranno destructum, purgato fluminis alveo, in meliorem statum, quàm quondam fuerat, renovavit.* Quartus pons Tiburi, quàm Romæ propinquior est, Lucanus; ubi moles rotunda conspicitur & præclarum in marmore Pontis T. Plautii Sylvani elogium.

Sontius ex Carniâ, ortus, habet ad Caporetum pontem eximium, arcu uno, pedum sexaginta.

Sunt qui centum & quinquaginta numerent Hispaniæ fluvios; & in iis pontes ultra septingentos, inter quos nobilissimi Segoviæ, & Alcantaræ.

De Constantini ponte, quo Rhenum stra-

ſtravit, ita Broelmannus: Per ſciographium factu difficilem, & operis atque molis immanitate ſtupendum, lapideum Conſtantinianum pontẽ depinximus, quâ formâ illum per Rhenum latiſſimum, atque altiſſimum flumen anno Imperii ſui decimo inviċtiſſimus Imperator Fl. Valer. Conſtantinus, Conſtantii Chlori F. P. F. A. & verè, ſicut ad ipſum panegyri ſynchronus Publilius Optatianus Porphyrius omnia Magnus, ex Coloniâ Claud. Aug. Agrippinenſi contra barbaros trans-Rhenanos, Francos plerique temporis ſcriptores nominant, rectà in Orientem Solem exædificavit.

De eo Joh. Iſaacius Pontanus: Sed & pontem jam injicere Rheno ex oppoſitu Francorum cœperat idem Conſtantinus, circa nimirum Coloniam Agrippinam, idque non tàm, ut interpretantur adulantes panegyrici, ne metum gens poneret, dum in hoſticum tranſeundi, quoties vellet, Imperatori facultas eſſet, ſed magis ut gloria imperio, ac reverentia accederet limiti. Ita enim habet Eumenius: inſuper etiam Agrippinenſi ponte faciundo reli-

quiis afflictæ gentis Francicæ insultas, ne unquam metus ponat, semper horreat, semper supplices manus tendat; cùm tamen hoc tu magis ad gloriam Imperii tui, & ornatum limitis facias, quàm ad facultatem, quoties velis, in hosticum transeundi. quippe cùm Rhenus totus armatis navibus sit instructus, & ripis omnibus usque ad Oceanum dispositus miles immineat. Sed pulchrum tibi videtur, & reverà pulcherrimum est, ut Rhenus ille non solùm superioribus locis, ubi aut latitudine vadosus, aut viciniâ fontis exiguus, sed etiam ibi novo ponte calcetur, ubi totus est, ubi jam plurimos hausit amnes, quos hîc noster ingens fluvius, & barbarus Nicer & Mænus invexit, ubi jam immani meatu ferox, & alvei unius impatiens, in sua cornua gestit excedere. Erigebat autem pons in medio præcelsam turrim, & transmittebat subsidiarios in Duitium, quod decem rotundis & validis turribus in hostico munitum erat.

De Julii Cæsaris ponte ipse ait: diebus decem, quibus materia cæpta erat comportari, omni opere effecto, exercitus tradu-

ducitur. Cæsar ad utramque partem pontis, firmo præsidio relicto, in fines Sicambrorum contendit.

CAPUT XXVII.

FLUVII.

Postquam expedivimus mortalium opera præcellentiora, jam ipsa Naturæ prodigia & miracula spectare liceat, initio per fluvios, sumto.

Yangçu Kiang, vel Kiang, est maris filius, dividit totam Sinam in Borealem & Australem, fluit ab occasu versus ortum, & varia fert nomina ex regionibus. Primùm Minkiang dicitur à montibus Min, à quibus ortum ducit; qui, quà Provinciæ Suchuen maximè vergit ad Occidentem, in Sifan, sive Preti Joan regionem quàm longissimè excurrunt; ad Boream radices habent haud ita procul à metropoli Guei, Inde egressum flumen, magno aquarum impetu, metropolim ipsam alluit, factoque undarum divortio, in varios sese extendit ramos, magnamque regionis par-

tem in Insulæ modum coactam, gyro suo complectitur.

Ad Sincin civitatem, mutato nomine, Takiang dicitur: inde collectis plurimis ignobilioribus rivis, ad Sui Civitatem, in Mahu fluvium influit. Hinc illi ad Liucheu civitatem, Liukiang nomen est: inde ad Chungking urbem tendit, & magnum Pa fluvium, cum ejus nomine excipit, Tum superatâ Queicheu urbe, Huquang Provinciam ingressum, Takiang nomen recuperat, haud ita procul ab urbe Kingcheu.

Huc usque per vallium anfractus, multis vorticibus, ingentique aquarum impetu, per famosos sæpè scopulos, ac horrenda præcipitia prorumpit, quæ tamen suâ freti arte ac industriâ, feliciter vitant & enavigant Sinæ. Ex Kingcheu paulatim fit placidius, ubi Tungting lacum, versus Boream transit, eo ac metropoli adjacente superatâ, Kiangsi provinciam adit, ibidemque ex lacu Pengsi, sive Poyang, immensum quantum auctus; Yangçu Kiang nomen obtinet, à Kieu Kiang urbe ad mare usque Eoum, per 100. eo-

que

que amplius leucas, ita placidũ pacatumq; flumen est, ut expansis ubiq; velis, recto & obliquo cursu, secari à navib. possit. Dictu mirũ! per tantam terrarum longitudinem in Noviluniis ac Pleniluniis præsertim, huc usque maris æstum sentiri, & pertingere, piscesque maritimos adversas undas ascendere. Hîc ad duarum leucarum plerunque latitudinem sese diffundit, totamque Nanking provinciam fæcundat ac rigat; donec pertransitâ Kiangning, aliàs Nanking, urbe, & Chinkiang, ingenti sibi adaperto ostio, in ipsum Oceanum se exoneret. In ipsis faucibus insulam tenet, atque urbem, à militum naviumque præsidio egregiè instructam: urbes ac civitates plurimæ illius ripis ab utroque latere impositæ.

Hoang est Croceus aut luteus fluvius, à colore, quo imbutus, primitus videri potest palus, nisi aquarũ impetus ac vis ingens aliud ostenderent; quippe incredibili velocitate proruens, naves adverso flumine subire non patitur, nisi magna hominum multitudo, & in duplum, q̃ alibi soleat, major remulco trahentiũ numerus

aqua-

aquarum depressionem, pertinaciamque evincat.

Dimidii milliaris latitudinem modò æquat, modò exuperat: longitudo tanta, ut ad octingenta & amplius milliaria pertingat; in hæc ferè verba à Sinis descriptus. Ortus Hoang fluvii est inter australes montes Quenlun, quos incolæ Otunlao vocitant. Aquæ, pluribus quàm centum fontibus scaturientes, ad superficiem lacus, quem efformant, ebulliunt. Sing cieu mare dicitur: octoginta stadia quadrata occupat: ex eo aqua, canali deducta, alterum lacum efficit, antecedenti paulò minorem. Inde fluit Hoang Boream versus, nonnihil in ortum deflectens: mox Xensi provinciam alluit, rectàque ad ortum pergit. Tum deinde versus Boream arenosos campos, seu desertam solitudinem præterlabitur, atque hinc versus Austrum Sinam subit, & per Xantung in mare prorumpit. Hæc ferè Sinicus author.

Est igitur hic fluvius hujus extremæ Asiæ, magnitudine & celebritate nominis secundus; at nihilo propterea magis Sini-

cas

eas leges veritus, ab exteris Nationibus egressus Sinam ingreditur, ac veluti odium, quo Sinæ advenas persequuntur, prohibentque, ultus, eluvionibus sæpè circumjacentes regiones latè fœdat, mutato sæpenumerò alveo, dum limo, quem copiosum vehit, plenus, illum, illiusque vehiculum exonerat. Montes Quenlun, quibus ortum debet, omninò Amasæos esse existimo, eosque haud ita procul dissitos ab alterâ magni Magoris Regiâ, quam Laor vocant; aut à regno Tebet, imo iisdem in montibus scaturire Gangem Bengalæ, Meson Laorum, Historemque Cambogiæ, aliosque non ignobiles fluvios, qui Sion & Pegu regiones irrigant, ipse locorum, regionumque situs suadet: plurima enim maximaque flumina, quæ Austrum versus manant, inde suam petere originem, demonstrant Sinæ.

Croceus porrò Sifan & Tanyu, immensos terrarum tractus, Sinis minimè subjectos prætergressus, ad illorum appellit ditionem, ubi Lingao urbs est, haud procul à civitate King, Provinciæ Xensi, quà murus ille magnus spectat ad orien-

tem; quem non tàm præterlabitur, quam alluit, raditque. mox desertam illam solitudinem, quà in ortum, quà Boream versus, tanquam hostiles campos, celerrimo cursu prætervectus, ad bis mille, plus minus, stadiorum longitudinem, ad Austrum vertit iter, & per Se, muri magni portam illapsus, limites statuit inter Xensi & Xansi provincias.

Inde Honan adit, tum Xantung, perque Kiagnan Provinciam, magnam itineris partem conficit, donec ad Hoaigan urbem, in mare, turbidus adhuc, & violentus sese immergat: olim Peking & Xantung percurrere solitus; at Sinarum industria & labor alveum illius procul avertit, quòd regiones illas, in longissimam latissimamque fusas planiciem, suá exoneratione, exundationeque prorsus elueret: rivum tamen reliquêre Sinæ, qui antiquam Crocei semitam adhuc commonstret. Aqua verò limo obsita, luteum habet colorem, quam ne mille quidem annorum spatio limpidam evadere posse volunt Sinæ, unde apud eos diverbio locus: Quando Croceus clarescet, de re admodum difficili,

li, aut quæ prorſus fieri nequit. Hanc aquam, ad uſum, limpidam faciunt navigantes, injecto alumine: illo enim infecta, limum ſuum præcipitat ad fundum vaſis.

In Peking, cujus poli altitudo vix excedit gradum 42. per integros quatuor ſæpè menſes, flumina omnia adeò duro concreſcunt gelu, ut currus, equoſque, ac graviſſima etiam onera glacies ferat innoxia, ac ſecuriſſimè tranſeant. His menſibus omnes naves ita in ipsâ glacie defixæ ſunt, ut progredi nequeant, ubicunq; illas frigus occupat, quod certo certius circa medium Novembris ingruere ſolet, per quatuor illos menſes immotæ ibi perſtare coguntur: neque enim reſolvitur glacies ante Martii initium.

Hæc plerunque glaciei concretio uno fit die, cùm non niſi pluribus, & quidem ab inferiori ſuperficie prius fiat liquefactio. Omninò illud mirum, tum non videri aut ſentiri illud frigus, ut Europæos ad hypocauſta ſubeunda videatur poſſe urgere, aut in Europâ, ad glaciem producendam ſufficere: unde ad ſubterraneas illîc exhalationes, pro harum rerum cau-

ſis indagandis, omninò recurrendum eſt.

In Xanſi, in montibus, propè Ping-jao, lapſus eſt aquæ ingens, ſive Catadupa, cujus fragor ad plura auditur ſtadia, adeò ut non multum antiquis illis Niloticis debeat.

In Kiangſi, ſub Nanchang, prope Fungſin, eſt mons Pechang, hoc eſt, centum perticarum, quia aqua ex eo, ingenti lapſu, ad centum perticas decidit.

Chuen amnis, ſub Xunking, circa Quanggan per ſaxa voluitur, ac præcipitia in eo ſunt ſex & triginta, Catadupas ſeu Caſcatas vulgò vocant, ex quib. aqua decidit ingenti cum murmure ac fragore.

Ad Siucheu eſt Xemuen ſeu Heng fluvius, qui magnâ aquarum vi profluit, ibiq; è Catadupâ decidit, quæ campana dicitur, ſiquidem ingenti boatu reſonat.

Yao fluvius, prope urbis Linyao ipſa mœnia, ingenti aquarum ſtrepitu, tonitrumq; imitante boatu volvitur.

Sub Chunking eſt torrens Mingyo, prope Chung civitatem, qui præruptis undique ſaxis, ex monte, ad quinquaginta & amplius altitudinis perticas, ingenti impe-

tu

tu decidit: inferius ubique in ripis anosas ac proceras alit arbores.

Ex montibus Taye aqua decidit, ad altitudinem ferè perticarum quadringentarum.

Prope Tau civitatem ingens est lapsus aquæ, inde lacus.

Prope Choxang est amnis Xangyung, in quo ingens una Catadupa: in quam si vel lapidem injeceris, continuò tonitru ac pluvia ingruit.

Sub Hoeicheu est flumen Singan, quod per valles & saxa 360. aquæ præcipitia habet, antequam ad Singan, Chekiang provinciæ civitatem perveniat, superatu prorsus difficillima.

In Fokien, sub Tingcheu, in flumine, per quod Jenping navigatur, catadupæ multæ sunt, & periculosissima Syrtibus loca: cùm naves transeunt, ne cum aquâ decidentes, fractionis incurrant periculum, scitè præmittunt nautæ aliquot straminis fasces, ad quos navis levius impingat, ac transeat.

In Quangsi, ad Pinglo, est flumen Ly, quod inter arctissimas ac profundissimas valles profluit, sæpè per scopulos & saxa

in-

ingenti murmure volvitur, prębetque trecenta & sexaginta aquæ præcipitia, unde navium vix patiens est.

In Queicheu ad Ganchoang Catadupa visitur duodecim perticarum.

Kan flumen, ad Kiegan urbem, ubi Xetapan infames scopuli initium habent: ab hac enim urbe hujus fluminis descensus periculis plenus est, & multarum navium sæpius facto naufragio omninò formidandus, ob latentes hinc inde syrtes atque acutissimos scopulos, per quos rapido ac velocissimo cursu flumen devolvitur. Decem & octo recensentur loca, in quibus majus subesse creditur periculum; inde Xepatan nomen ortum, quod decem & octo præcipitia sonat. solent autem ferè pleræque naves peritum ex hâc urbe accipere gubernatorem.

Ad Çe civitatem est amnis Tan, hoc est, ruber; ejus enim aqua sanguinem refert colore. Scribunt Sinæ, olim fuisse limpidam, sed à Pei, fidelissimi Chao regum præfecti sanguine rubrum colorem accepisse, atque hactenus conservâsse, quòd

ad

ad amnis ripam violentas ſibi intulerit manus.

In Suchuen, ſub Chingtu metropoli, Chu flumen præterlabitur civitatem Çu, unionum vulgò dictum; quia noctu in eo lumina micantia collucent, quæ putant Sinæ carbunculos eſſe, quos Yeming vocant, hoc eſt, noctilucos.

Siang fluvius ad Jungcheu urbem, aquam habet limpidiſſimam, adeoque criſtallo ſimilem, ut licet ſubinde perticas aliquot altitudinis obtineat, calculi tamen omnes lapillique in fundo jacentes videri numerarique poſſint.

Sub Foning emanat ex Talao monte rivus, cujus aqua autumnali tempore cærulei eſt coloris: at tum temporis incolæ pannos illâ lavando, eodem inficiunt colore.

In Quangtung, ad Nanhiung eſt amnis Mĕkiang, ab atramento dictus, quòd ejus aqua ſit atramento ſimillima, adeoque nigerrima: piſces tamen habet præſtantiſſimos.

Kiemo fluvius ad Paogan, ſub Jengan, aquas fertur habere adeò leves, ut nec lignum,

gnum, nec navem ferant, sed perinde ferè, ac si in aëre tantum essent, continuò, ut imponuntur, fundum petunt.

Jo amnis ad Kancheu, dicitur debilis, ob aquas adeò leves tenuesque, ut ne paleas quidem sustinere possint.

In Xantung, sub Laicheu urbe, est Kiao amnis, propè Pingtu, quasi amnis glutinis, quòd viscosam ac turbidam vehat aquam.

Kin fluvius, ad Chingtu metropolim, vulgò Damascenus dicitur, quia holoserica in eo lota mirum acquirunt splendorem.

Sub Chingtien, in monte Çucai, rivus est, qui dulcissimam ac odoriferam voluit aquam.

Co amnis, civitatem Han alluit, cujus aqua ad ferramenta acuenda præ reliquis aptior est & expetitur.

Prope Choxan amnis est Cungyang, cujus aqua maculas omnes facilè è vestibus eximit, & ad ferramenta exacuenda optima esse scribitur, quòd nescio quid mordacitatis habere videatur.

In Hoquang est Han amnis, qui ex montibus

tibus Vuchang metropolis fluit, cujus aqua ſolito frigidior, aërem ibi in Canicularibus temperat; unde reges ſupra rivum palatium extruxêre, quod æſtatis tempore, ad vitandos nimios calores, inhabitare ſolebant.

In Horan, fluit amnis Ki, ſub Hoaiking urbe, ex monte Vanguo: inde ſub terrâ occultatur, mox lacum Taye efformat, ex illoque promanans, Ci amnis dicitur.

Vi amnis, prope Caomie, fuit aliquando ſaccis arenariis repletus ab Hanſinio, ut hoſtes inopinatò opprimeret.

Hoitang torrens eſt, à copiâ roſarum aquaticarum, quæ Haitang vocantur, dictus, ad Paoning urbem.

Kinxa fluvius, ad primam urbem militarem, dicitur aurifer, quòd ex eo magna auri vis ab incolis, colligatur: ſic enim territorium Humung ditat.

Pexan præterfluit amnis Che, qui etiam Hoanglung dicitur, hoc eſt, Croceus draco: nam crocei coloris draconem in eo viſum ſcribunt, Hanæ familiæ temporibus.

Prope

PropeChikiang civitatem insula est Peli, hoc est, centum stadiorum: olim nonaginta novem insulas fuisse scribunt, dein succrescente arenâ, aquisque decrescentibus, unam insulam constituerunt.

Siangyn præterfluit amnis Mielo, ex eo celebris, quòd festi apud Sinas Tuonu, dicti, causa fuerit. Id autem celebratur per totam Sinam magno apparatu, plausuque ac lætitiâ, quintâ die quinti mensis, in memoriam optimi cujusdam ac fidelissimi præfecti, qui se in Mielo flumen præcipitem dedit, cùm à proditoribus peteretur. Erat ille genti, quam regebat, gratissimus ac suavissimus: eam ob rem, in ejus honorem, eo die ludicra in navib. instituta certamina, celebrataque convivia ab iis, qui quodammodo adhuc præfectum suum videntur quærere. Atque ita hæc res increbuit, ut per totam jam Sinam idem passim fiat, quod non nisi uno antè loco fieri erat solitum. Pulcherrimis deauratisque naviculis, & in varias Draconum figuras elaboratis, discursantes certantesque pugnas miscent:

Nec victoribus ſua deſunt præmia, è publico propoſita, magnoque ſæpè conſtantia.

In Kiangſi, ſub Vucheu eſt amnis Lienſan, cujus aquam Sinæ expetunt pro clepſydris, ſeu horologiis aquaticis: quòd præ reliquis hæc minus aëris varietati, mutationibuſque inveniatur obnoxia.

Sub Kiegan, propè Jungſin, eſt rivus Senting, fiſtula dictus, quòd ejus aqua, per ſaxa velociſſimo curſu profluens, ſuave murmur, ac quaſi gratam vocem ſuo decurſu efformet.

In Nanking, ſub Changcheu urbe, eſt canalis, per quem ex Sucheu urbe ad King uſque fluvium navibus patet iter. Ejus ripæ utrinque propè hanc urbem quadrato ſectoque lapide, ab imo uſque ad ſummum, firmatæ atque ornatæ ſunt, majori ferè atque elegantiore, quàm uſpiam alibi, artificio.

Sub Xincheu, ad Xangcao, eſt flumen Xo; de quo conſtans fama, epotam fluminis aquam multis mederi morbis.

Sub Junnan, ad Likiang urbem, diffunditur Kinxa fluvius in magnam latitu-

tudinem, lacumque efficit triginta stadiorum, cujus tanta profunditas, ut nondum sit satis explorata.

Heng mons habet 25. torrentes: & Hoang, 24. rivulos.

In Chekiang, sub Hangcheu (est ipsa Quinsai) fluvius dicitur modò Che, modò Cientang, modo Çingan, ratione decursus: quem die decimâ octavâ, octavæ lunæ (per Europæum Octobrem, stupendus ac vehemens maris æstus concitat ad ipsam usq; urbem, ut vel hinc philosophi copiosam disputandi materiam haurire possint. Toto quidem anno æstus magnus observatur ; at hic, & aquarum vi & violentiâ plurimum reliquos superat: ingentes n. ac montium instar ingrediuntur undæ, quæ fragorem ac murmur edunt maximum, naves omnes, quas transversa occupant, invertunt ac mergunt.

Adeò famosa demum est ea dies circa quartam pomeridianam , ut tota civitas præfectiq; accurrant, ac maximè exteri aut advenæ, si qui sint, ut ꝓdigiosam per hunc diem æstus vehementiam coràm oculis usurpent. Unde facilè conficitur, ęstum maris,

ris, tametsi Lunæ se periodis accommodet utcunq; non à Lunâ tantùm, sed & ab ipsâ constitutione Orbis terramne, varioque flexu & recessu littorum, imò & à vario stellarum aspectu atque influxu, subterraneisque exhalationibus, ac qualitatibus inde ortis dependere. Cùmq; mense Octobri maxima ferè fiat mutatio temporis, æstate autumnoque in hyemem paulatim declinante, totus quidem hic orbis noster videtur id quodammodo sentire, atq; ipse turbari maris fundus, variè affectus, pro variâ positione climatum atque terrarum: uti in Indiâ videmus, hyeme imminente Oceanum q. solito magis irasci, arenamq; adeò copiosam in littora evomere, ut portus ferè omnes occludat, quos ineunte æstate iterum aperiri, detergique arenas scimus. Id quoque circa promontorii Bonæ spei littora navigantibus, statis anni temporibus, quibus certæ cæli, ventorum, marisque tempestates sunt, longè magis fit manifestum.

In Europam redimus: Sequana oritur in Burgundiæ Ducatu, in Alseti regione, paulò amplius leucâ versus septentrionem à Bur-

Burgo, qui S. Sequano sacer, duobus rivulis. lustratis sectisque cùm aliis, tum Lutetiâ Parisiorum, cui nobilissimam facit insulam, Rotomagoque, mare Britannicum vel Normannicum ostio satis lato irrumpit: æstuarium ibi satis est periculosum navigantibus. Sed mare ingressus, repentè contra fluviorum cæterorum naturam refluit, horrendo sonitu ascendens ad hastæ longioris altitudinem.

Arva fluvius Rodanum ingreditur, centum circiter passus emensum, postquam è lacu Genevensi exiit. Tanta autem est ejus fluvii, seu verius torrentis vehementia, tantaque rapiditas, ut Rodani alveum ingressus, multos fluat passus, antequam ei misceatur, ita ut duo flumina juncta quidem, sed nullo modo mixta, eodem labantur alveo.

Tiberina aqua multis annis incorrupta servari solita, suavissima & saluberrima, quoties hauritur paulò supra urbem usque ad mare. accidit hoc ex mistione Tiberis cum Aniene, qui aquas habet multo infectas nitro, quod putredinem prohibet,

Amnis est apud Faliscos, qui, ex aquæ usu